Digitized by Google

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE

RACCOLTE DAL

DOTT. DIOMEDE BONAMICI

di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIAE BIBLIOTHECÆ FABRICIANAE

PARS V.

Qua

Singuli eius libri, eorumque contenta, & ſi quae dantur variae editiones, augmenta, epitomae, apologiae ſive defenſiones, auctorum errores & vitae,

Doctorumque virorum de auctoribus illis, & eorum libris iudicia, atque alia ad rem librariam facientia recenſentur, ſcriptoresque anonymi & pſeudonymi, nec non ſcripta ſpuria indicantur,

AVCTORE

IOANNE FABRICIO.

WOLFENBVTTELII,

Sumtibus IOAN. CHRIST. MEISNERI, Bibliop.

ANNO MDCCXXII.

HELMSTADII LITTERIS SCHNORRIANIS.

Digitized by Google

PERILLVSTRIBVS, SVMME REVERENDIS NOBILISSIMOQVE ET CONSVLTISSIMO

VIRIS,

IVLIO BASILIO

PAPE

SER. DVCIS BRVNSV. LVNEB. SANCTIORI CONSILIARIO STATVS, ET DECANO PRINCIPALIS COLLEGII S. BLASII IN VRBE BRVNSVICENSI,

HENR. ECBRECHTO

DE **GRONE**

IN WESTERBRACK,

PRAEPOSITO LIBERI ET SAECVLARIS MONASTERII NOBILIVM VIRGINVM STEDERBVRGENSIS,

ED. ERN. FRIDERICO

DE **WEFERLING**

IN WAZVM, GROS VAHLBERG ET BORNVM,

IOACH. LVDOLPHO

DE **VELTHEIM**

IN DESTEDT, BARTENSLEBEN, ET GLENDORF, SER. DVCIS CONSILIARIO REGIMINIS,

RVDOLPHO ANTONIO

CELLARIO

CIVITATIS HELMSTADIENSIS DEPVTATO, EIVSDEMQVE CONSVLI, AC SER. PRINCIPIS CONSILIARIO,

Digitized by Google

CONSILIIS, CVRIS, STVDIIS, ET ACTIONI-
BVS SVIS RES AERARII ATQVE
PROVINCIALES
LAVDATISSIME PROMOVENTIBVS,
DEQVE CELSISSIMO HERO SVO AC TOTA
PROVINCIA
OPTIME MERITIS AC MERENTIBVS,
NEC MINVS LITTERIS, QVARVM CO-
GNITIONE AEQVE, VT OMNI VIRTVTE,
ORNATI SVNT,
QVAM LITTERATORVM COMMODIS FAVOREM,
OPEM ET PATROCINIVM PRAESTANTIBVS,
DIGNISQVE ADEO, QVIBVS
MVSAE ET VIRTVTVM CHORVS
AETERNVM
MEMORIAE MONVMENTVM ERIGANT,

IN GRATI AC PERPETVO DEVINCTI ANIMI
SIGNVM
ET OBSERVANTIAE TESTANDAE CAVSSA
PRAESENTEM HISTORIAE SVAE BIBLIO-
THECARIAE PARTEM
DAT, DICAT, DEDICAT
AVCTOR.

LECTOR

Digitized by Google

LECTOR BENEVOLE

HAbes hic libros varii argumenti, & eius quidem formæ, qua plagulæ in quaterna folia complicantur, videlicet (1) in Theologia: Commentarios in SS. Biblia, Patrum ſcripta, & libros Scriptorum eccleſiaſticorum, didacticos & polemicos, morales, irenicos, caſuiſticos, Colloquiorum, & homileticos. (2) in Iurisprudentia: ad Ius civile & eccleſiaſticum pertinentes, liturgicos, de officio eccleſiarum præſcribentes. (3) in Hiſtoria: geographicos, chronologicos, hiſtoriam profanam & eccleſiaſticam, nec non veterem græcam & romanam, item numiſmata, vitas il-

Digitized by Google

CONSILIIS, CVRIS, STVDIIS, ET ACTIONIBVS SVIS RES AERARII ATQVE PROVINCIALES LAVDATISSIME PROMOVENTIBVS, DEQVE CELSISSIMO HERO SVO AC TOTA PROVINCIA OPTIME MERITIS AC MERENTIBVS, NEC MINVS LITTERIS, QVARVM COGNITIONE AEQVE, VT OMNI VIRTVTE, ORNATI SVNT, QVAM LITTERATORVM COMMODIS FAVOREM, OPEM ET PATROCINIVM PRAESTANTIBVS, DIGNISQVE ADEO, QVIBVS MVSAE ET VIRTVTVM CHORVS AETERNVM MEMORIAE MONVMENTVM ERIGANT,

IN GRATI AC PERPETVO DEVINCTI ANIMI SIGNVM ET OBSERVANTIAE TESTANDAE CAVSSA PRAESENTEM HISTORIAE SVAE BIBLIOTHECARIAE PARTEM DAT, DICAT, DEDICAT AVCTOR.

LECTOR

LECTOR BENEVOLE

HAbes hic libros varii argumenti, & eius quidem formæ, qua plagulæ in quaterna ſolia complicantur, videlicet (1) *in Theologia: Commentarios in SS. Biblia, Patrum ſcripta, & libros Scriptorum eccleſiaſticorum, didacticos & polemicos, morales, irenicos, caſuiſticos, Colloquiorum, & homileticos.* (2) *in Iurisprudentia: ad Ius civile & eccleſiaſticum pertinentes, liturgicos, de officio eccleſiarum præſcribentes.* (3) *in Hiſtoria: geographicos, chronologicos, hiſtoriam profanam & eccleſiaſticam, nec non veterem græcam & romanam, item numiſmata, vitas il-*

Digitized by Google

luſtrium virorum, remque academicam, bibliothecariam, & librariam exhibentes. (4) in Philoſophia: logicos, phyſicos, & metaphyſicos. Atque hic me ſubſiſtere oportuit, ne volumen excreſceret, & mole ſua præcedentia ſuperaret. Huic autem ſubiungam, ſi Deus volet, Partem VI. quæ complectetur huiusdem formæ libros ceteros in Philoſophia, morales, puta, politicos, & medicos; eosque excipient (5) varii in Humanioribus litteris: grammatici, Lexica, Orationes, Poëmata, ac miſcellanea. Hiſce pertractatis conſtitutum mihi eſt accedere ad minorum formarum libros, eosque eodem ordine & pari fide atque induſtria recenſere, & ſic toti operi bono cum Deo colophonem addere.

I. Hen-

I.

Henrici Jacobi *Van* BASHVYSEN Obſervationum ſacrarum libri II. Francofurti ad Mœnum 1708. Serveſtæ 1721. Quorum prior agit de integritate S. ſcripturæ, in primis Veteris Teſtamenti, quæ occaſione editionis verſionis & notarum R. *Moſis Maimonidis* tractatus ספר תורה ſeu de libro legis, qui & ipſe hic exſtat, nova methodo illuſtratur & contra *Spinoſam*, *Spencerum*, Rich. *Simonium* alioſque defenditur, adſperſis undique Antiquitatibus iudaicis, ita ut introductionis biblicæ vicem poſſit gerere: poſteriore autem continentur Diſputationes anni 1720. per ſingulos menſes pro veritate religionis chriſtianæ, cum exercitiis Regularum hermeneuticarum. Hinc habes menſe Ianuario Obſervationes ad Gen. 1, 1. 2. & Matth. 1, 1. menſe Februario ad Gen. 2. & 3. 1. Theſſal. 5, 23. & Io. 5, 39. menſe Martio ad Gen. 2. Marc. 7, 11. 2. Cor. 11, 14. 15. & 24. 25. menſe Aprili ad Gen. capita tria priora, Io. 8, 56. & Luc. 11, 27. item ad Ieſ. 7, 14. menſe Maio ad Gen. 4, 1. 3. 4. 7. 23. 26. cap. 5, 28. 30. cap. 6, 3, 17. cap. 9, 24. cap. 10, 21. Iob. 2, 9. Luc. 2, 1. 5. 7. 9. 14. 2. Sam. 7, 16. menſe Iunio ad Gen. 10. & 11. Ieſ. 9, 7. Luc. 16, 22. Rom. 12, 1. menſe Iulio iterum ad Gen. 10. & 11. Matth. 12, 58. Luc. 1, 17. Matth. 2, 1. cap. 3, 11. Act. 5, 5. Matth. 6, 16. 25. 29. 22. Luc. 18, 25. 29. 32. 33. cap 7, 1. 2. 4. menſe Auguſto ad Gen. 15, 1. Jeſ. 43, 13. Matth. 11, 27. Act. 17, 23. Col. 1, 16.

Digitized by Google

Rom.1, 19. 20. Eph. 2, 12. 1. Cor. 11, 10. cum Specimine novæ methodi diſcendi per Rabbinos linguam hebræam: menſe Septembri ad Gen. 15. 1 Cor. 9, 19. 20. 21. Rom. 2, 7. cap. 3, 28. Act. 18. 8. menſe Octobri ad Gen. 23, 13 Deut. 21, 15. 17. Gen. 14, 20. Act. 17, 11. menſe Novembri ad Gen. 30. & cap. 46, 34. 35, 20. 31, 30. Exod. 18. 24. Lev. 1, 9. 2, 13. 3, 17. 4, 3. & de ſenſu Cantici canticorum contra *Clericum*. Gen. 30, 14. 15. 16. Luc. 6, 34 35. 1. Cor. 6, 6. 7. Et Diſſertatio filii, *Gualtheri*, de rationalitate fidei in ipſis typis, cum Epiſtola *parentis* ad Io. Caſp. S. R. I. Liberum Baronem von Doeringberg de rationalitate fidei chriſtianæ: denique menſe Decembri de diviſione S. ſcripturæ.

Henricus Iacobus *van Baſhuyſen*, hanovienſis, natus A. 1679. 2. Novembris, Nic. *Gurtleri* in Gymnaſio bremenſi, *Honerti*, *Volderi*, *Iac. Gronovii*, *Perizonii* & Iac. *Triglandii* Leydæ, *Rhenferdii*, *Röellii*, *Van der Wayen* & *Vitringa* in Franekerana academia diſcipulus, primum linguarum orientalium & hiſtoriæ eccleſiaſticæ, deinde etiam S. theol. profeſſor in Gymnaſio hanovienſi, poſtea paſtor eccleſiæ Steinavienſis & ſcholæ inſpector, & reverſus in patriam ſecundæ parochiæ paſtor, aſſumtoque gradu Doctoris theologi poſt biennium profeſſor theol. & philol. ſacræ ordinarius, nunc autem S. theol. linguarum oriental. ac hiſtoriarum in Gymnaſio anhaltino, quod Serveſtæ eſt, profeſſor, eiusque rector perpetuus, Scholæ ſenatoriæ inſpector, & Societati anglicæ de propagando euangelio, nec non berolinenſi ſcientiarum adſcriptus, vir ad ſtudium linguarum natus, & antiquitatum iudaicarum peritiſſimus, recti & veri amans, omniumque virtutum commendator ſtrenuus atque imperterritus, plurimis famam ſuam ſcriptis longe lateque diſperſit, inter quæ ſunt Orationes de certiſſima Dei in perſecutores Eccleſiæ vindicta, de ſtudio theol. methodice inſtituendo, Sciagraphia Syſtematis antiquitatum hebraicarum, Diſpp. de academiis & impoſitione manuum, Theologia didactica & elenctica, Pſalterium hebraicum cum notis rabbinicis, Clavis talmudica maxima, ne quid de affectis eius operibus dicam. Vide *Sinceri Veridici* Veſtigia providentiæ divinæ, edita A. 1714. in 4. quibus viri vita deſcribitur, *Clericum* Biblioth. choiſ. T. XXI. 197. T. XXIV, 2. 331. *Muſeum nov. libror*, T. II. 267. & *Novam biblioth.* T. III. 948.

II.

II.

Ott. Henrici BECKERI Sieg der wahrheit und unſchuld, Victoria veritatis & innocentiæ, adverſus Reſponſum Theologorum wittebergenſium in cauſa pietiſtica Waldeccenſi. Graezii 1715 Ubi auctor ad omnes Wittebergenſium imputationes & accuſationes reſpondet, ſeque & cauſam ſuam tuetur. Sed *Relationum*, ut vocant, *innocuarum* auctores ad A. 1716. p. 292. Victoriam iſtam ſic recenſent, ut eam pariter refutent; Reſponſum autem Wittebergenſe p. 283 omnibus, quibus poſſunt, modis laudant atque adprobant.

Otto Henr. *Becker*, Regiminis & Conſiſtorii ruthenoplauenſis director, edidit etiam Apologiam contra Hiſtoriam pietiſticam waldeccenſem, & utroque ſcripto excellentem ſuam iuris peritiam, cum varia eruditione, iuſtitiæque & modeſtiæ amore coniunctam oſtendit ac comprobavit.

Daphnæi ARCVARII Betrachtung, Conſideratio S. coniugii. 1679. In qua excutiuntur controverſiæ de adulterio, divortio, & polygamia. Adulterium ait committi per coniunctionem cum alterius uxore, ac vice verſa: divortium, ſecundum Moſis & Chriſti doctrinam, poſſe fieri propter eiusmodi factum uxoris, quod mariti animum ab ipſa plane alienat: & polygamiam ſeu pluralitatem uxorum nec iuri naturæ, nec divino repugnare. Compoſitum autem fuit hoc ſcriptum auſpiciis & in gratiam Sereniſſimi Electoris palatini, CAROLI LVDOVICI, a Laurentio BEGERO. De quo videndus eſt *Placcius* de Pſeudon. p. 72. eique adde *Acta erudit.* A. 1689. 73. H. D. *Meibomium* diſp. de Principum in diſpenſando poteſtate, §. 16. Aug. *Leyſerum* diſp. de Aſſentat. ICtorum §. 26. & *Ancillonii* Memoires p. 438. Subiuncta ſunt 1) Inſtructio *Philippi*, Landgravii Haſſiæ ad Mart. *Bucerum*, de proponendo Luthero & Melanchthoni caſu matrimoniali. 2) *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Buceri*, pluriumque de eo Iudicium, germanice & latine.

Daphnæus Arcuarius, ſive Laurentius *Beger*, aut ut poſtea nomen ſcripſit, *Beger*, (δαφνη enim *laurum* ſignificat, & arcus apud Germanos *Bogen*) heidelbergenſis, a ſtudio iuris, parenti ut placeret, ad theologicum tranſiens, & poſt eius obitum ad illud regreſ-

 ſus,

ſus, primum Electoris palatini, deinde brandenburgici a bibliotheca, gaza, antiquitatibus, & conſiliis, egregiis ſe ſcriptis in orbe erudito conſpicuum reddidit: eius enim ſunt Theſaurus gemmarum & numiſmatum ex Theſauro palatino ſelectus, Obſervationes in numiſmata antiqua, Spicilegium antiquitatis, Theſauri brandenburgici ſelecti partes III. & Numiſmatum romanorum, quæ in cimeliarchio electorali brandenburgico aſſervantur, ſeries ſelecta, & alia, quæ recenſentur ab *Ancillonio* p. 443. Atque ad hæc etiam pertinet Refutatio Conſiderationis S. coniugii, ſcripta in gratiam CAROLI Electoris palatini, qui Conſiderationem illam, contra matrem ſuam formatam, ægre ferebat; ipſa tamen hæc Refutatio non vidit unquam lucem publicam, ſed inter inutiles Electoris chartas deliteſcens, poſt mortem illius in manus venit alicuius aulici, & ab hoc reverſa eſt ad auctorem, teſte iterum *Ancillonio* p. 440. Mirumque, eum, cum infirmæ eſſet valetudinis, & perpetuo ab aſthmate affligeretur, tot tantisque laboribus ſufficere, & antiquitates ad ſua uſque tempora incognitas eruere atque explicare valuiſſe. Tandem vero febri hectica attritus & conſumtus, Berolini animam efflavit A. 1705 cum vixiſſet, aut ægre reſpiraſſet annos fere duos & quinquaginta. Fuit Licentiatus iuris, &, ultra ceteras prædictasque dignitates, membrum Societatis regiæ ſcientiarum berolinenſis, vir ſane per totam Europam celeberrimus, & laboribus ſine intermiſſione ac faſtidio deditus. Sed & eum nactus eſt honorem, ut a V. potentiſſimis litteratiſſimisque S. R. Imperii Electoribus, & ab uno Rege, eoque ſapientiſſimo, amaretur, foveretur, atque æſtimaretur quam maxime: virtus enim atque eruditio ſuum ſemper habent pretium. Plura vide apud *Ancillonium* dans les Memoires p. 432. & *Bandurium* Biblioth. numar. p. 170.

Theologiſches reſponſum, Theologicum reſponſum, de prætenſo regno Chriſti millenario, conficta liberatione damnatorum, extraordinariis revelationibus, enthuſiaſmo, collegiis pietatis ac pietiſmo; & quo illi modo tractandi, qui petinaciter hiſce ſunt dediti. Antehac compoſitum nomine Collegii theologici & ICtorum, nunc autem editum a D. M F. P. P. id eſt, D. Mich. FOERTSCHIO Prof. publico. Jenæ 1715. Et ideo quidem editum, quia fuit non nemo, qui crederet, auctorem ſententiam de chiliaſmo

non

non agnoſcere pro fundamentali ac pernicioſo errore. Immo ipſe etiam auctor ſtatuit, pietiſmum non eſſe fabulam, ſed ſævum carcinoma, quod totum inficiat chriſtianiſmum, virusque ſuum in exſecrandum indifferentiſmum diffundat, poſt quem omnis ſortis ignorantes impiique nebulones lateant; putat etiam, utile fore, ſi ſtudioſi maiorem diligentiam adhiberent cognoſcendis principiis de doctrinis fundamentalibus, quem in finem ipſe coeperit dare *Manuductionem ad theologiam comparativam*; non tamen diffitetur, ſcripturam ſacram eas non niſi præcipuis in punctis perſpicue & diſtincte determinaſſe, reliquas autem conſequentiis quærendas atque eruendas eſſe. Cum quibus iuvabit conferre *Auguſtinum* l. 2. de D. C. c. 9. *Dionyſium* de divinis nominibus c. 1. Mart. *Chemnitium* Exam. concil. trid. de transſubſtantiatione, P. II. p. 274. Io. *Gerhard.* Exeg. L. de Scriptura ſacra §. 531. & *Hoepfnerum* Loc. theol. (editionis Rappoltinæ) p. 74. De auctore autem egimus P. IV. 403.

Frid. Ern. KETTNERI Chriſtliche Vermahnung, Chriſtiana adhortatio, ut tibi caveas a Quackerorum & Boehmiſtarum ſeparatiſmo, & abſtinentia ac contemtu S. cœnæ. Quedlinburgi 1709. In qua probatur, S. coenam non eſſe adiaphorum, ſed ſæpe frequentandam, eamque eſſe medium ſalutis, nec a laicis diſtribuendam, aut propter indignos ab Eccleſia recedendum, quaſi non niſi cum ſanctis eam celebrare debeas.

Io. Melch. KRAFTII Hiſtoriſcher Bericht, Hiſtorica relatio de sleswico-holſaticis theologorum controverſiis ac litibus. Sleswici 1705. Qua oſtendere auctor nititur, D. Ioſuam *Schvvartzium* ex perverſo zelo & hæretifico ingenio illas orſum eſſe & huc usque continuaſſe, cum multis exemplis, quantæ abominationes, malitiæ & falſitates reperiantur in tractatu Schwarziano, quem vocat Præludia, & principia chiliaſtica & chiliaſmum ipſum, contra D. Henricum *Muhlium*.

Io. Melch. *Kraft*, A. 1673. natus wezlariæ in Wetteravia, *Rudrauffii*, *Rudigeri*, *Waltheri*, *Neumanni*, *Daſſovii*, *Franckii* & *Opitii* diſcipulus, philoſ. magiſter, & primum Auſtro ſtapulenſium in agro Stapelholmico compaſtor, deinde paſtor Sandesnebenſium, porro archidiaconus Huſumenſium, & nunc ibidem paſtor primarius, atque inſpector eccleſiæ & ſcholæ, ſicut nihil in ſe deſiderari

 patitur,

patitur, quod ad fidelis & vigilantis paſtoris atque inſpectoris munus ſpectat, ita varia erudita meletemata in publicum emiſit, videlicet, ſub nomine M. *Kratonis* ſcriptum apologeticum (Rettung der unſchuld) pro Superintendentibus Ducis Holſatiæ generalibus, *D. Reinboth*, *Sandhagen* & D. *Muhlio* contra D. Ioſ. Schwartzium: Emendanda & corrigenda in Hiſtoria verſionis germanicæ Bibliorum D. Mart. Lutheri: Annotationes ad Iudicium alicuius theologi (qui inſcio tunc auctore erat D. *Neumannus*) de Bibliis Stutgartiæ A. 1704. impreſſis: Prodromum Hiſtoriæ verſionis germanicæ Bibliorum, eiusque Continuationem, in quorum illo ſe ipſum defendit, & Marr. *Bucerum* contra Goebelium, *Sandhagenium* & *Muhlium* contra auctores Relationum innocuarum, & *Spenerum* contra eius hoſtes; in hac vero M. Chriſtiani *Reineccii* ſcriptum aliquod refutat, & in Appendice pugnat cum D. Val. Ern. *Læſchero*, & M. G. Balthaſ. *Scharſio:* Secundum iobeleum lutheranum: & Profanationem nominis Ieſu Chriſti, præcipue in eius natali, quo parentes liberis ſuis dona diſtribuunt.

Ioach. LANGII Ehren-gedæchtnis, Memoria *Lutheri* & euangelicæ reformationis. Halæ Saxonum 1717. In repetitionem doctrinæ apoſtolicæ de fide & bonis operibus. Cum plena relatione de primo anno iubilæo, & ſcriptis illo tempore in & extra univerſitates euangelicas editis.

Næherer entwurff, Iudicium de conciliatione eccleſiarum proteſtantium. Ratisbonæ 1720. Auctor huius ſcripti, quod latine prodiit ſub titulo Alloquii irenici ad Proteſtantes, eſt D. Chriſt. Matthæus PFAFFIVS, theologus tubingenſis. In quo docet, concordiam, aut ſaltem tolerantiam, facile poſſe fieri, ſi cogitemus, controverſias de perſona Chriſti & S. cœna, Domini eſſe verbales, nec tertia, quæ agit de prædeſtinatione, fundamentum fidei everti. Idem recenſetur *in Actis erudit.* A. 1720. 460.

Chriſtoph. Matth. *Pfaff*, S. theol. D. & profeſſor primarius in academia tubingenſi, eiusque cancellarius, & præpoſitus ad S. Georgii, dedit, ut de edendis nihil dicam, Fragmenta S. *Irenæi*, Epitomen Inſtitutionum divinarum S. *Lactantii*, Primitias tubingenſes, Librum de originibus iuris eccleſiaſtici, Diſſertationem de ſucceſſione epiſcopali, Inſtitutiones theologiæ dogmaticæ & moralis,

ralis, Introductionem in hiſtoriam theologiæ litterariam, Acta & Scripta publica eccleſiæ wirtembergicæ, Herzens-catechiſmum, Brevem delineationem veri chriſtianiſmi, Epiſtolamque apologeticam contra D. Ern. Sal. *Cyprianum*, laudatus cum ab auctoribus *Actorum erudit.* A. 1720. 454. tum a Io. Alph. *Turretino* in Nube teſtium de moderato & pacifico de rebus theologicis iudicio, & Differt. de contradictoriis, an ſint credenda, §. 26. item a Scip. *Maffeo* nel Giornale de' Letterati d' Italia, Tome XVI. f. 227. 245. quamquam certis in punctis ab eo diſſentiant, meritoque laudandus ob exquiſitam eruditionem, varias virtutes, & præclaram moderationem, pacisque ſtudium, quæ ex ſcriptis eius undique elucent.

Kurzer entwurf, Brevis delineatio doctrinæ de divinis decretis circa ſalutem hominum. Francofurti ad Viadrum 1714. Auctor eius eſt Ieremias STERCKY, qui in eo occupatur, ut oſtendat ordinem illorum decretorum, pariterque agit de univerſali & particulari gratia. Ordinem autem hunc proponit, dicens, Deum decreviſſe 1. mundum, in eoque hominem ad ſuam imaginem condere. 2. lapſum hominis permittere. 3. fœdus gratiæ cum hominibus lapſis inire, & filium ſuum ad eorum ſalutem mittere. 4. fœdus illud gratiæ omnibus hominibus, aliis obſcurius, aliis clarius, partim per naturalem, partim per ſupernaturalem revelationem ſive verbum divinum patefacere. 5. ex ſingulari gratia, & mero arbitrio quosdam eligere, reliquos autem præterire. 6. electos ut veros fideles, ſalute æterna donare, reprobatos autem, ex præviſione ipſorum infidelitatis & impœnitentiæ, morti æternæ & infernali condemnationi tradere. Huic ſcripto Phil. *Naudæus* bina alia oppoſuit ſub titulo Cogitationum theologicarum: de quibus legi poſſunt *Narrationes innocuæ* A. 1714. p. 1032.

Ieremias *Sterckius*, germanice *Sterky*, bernenſis, ſtudiis operam dedit Genevæ ſub *Turretino* & *Tronchino*, Marpurgi & Leydæ, & hic honores doctorales conſecutus, viſisque Britannia & Gallia, Lauſannam vocatus eſt ad profeſſionem philoſophiæ, ac poſtea theologiæ, & utramque ſpartam multo cum commodo ſtudioſæ iuventutis, propriæque laudis mercede per XVII. annos obivit. Hinc fama eius longe lateque diſperſa factum eſt, ut auguſtiſſimus Pruſſorum Rex eum vocaret Berolinum, & principem conſtitueret paſtorem ædis Reformatorum parochialis, nec non profeſſorem

rem in academia viadriana honorarium. In qua functione non tantum Heri ſui, ſed totius etiam eccleſiæ vota ac deſideria implevit, ſi non ſuperavit, donec calculi doloribus frequenter afflictus ac debilitatus, aliiſque modis, pro veri theologi officio, tentatus placide exſpiravit A. 1718. ætatis 62. Vir erat candidus, probus, in Deo requieſcens, moderatus, & præclara rerum phyſicarum peritia ornatus. Ab ipſo nil fere aliud habemus ſcriptorum, præter Inſtitutiones philoſophicas. Paul. *Volckmann* in ſermone parentali, A. 1719. edito, p. 5.

Die pflicht, Officium theologi & paſtoris eccleſiæ in rebus religionis, ſecundum conſtitutiones & leges S. Imperii romano-germanici. Lipſiæ & Wolffenbuttelii 1721. Sunt excerpta ex Conſtitutionibus & legibus prædicti S. Imperii, collecta a Gottlieb Samuele TREVERO, doceturque, illas non velle, ut elenchus contrariæ doctrinæ omittatur, vel ut opus conciliandarum trium in Imperio receptarum religionum in te ſuſcipias, neque ut ſingulas illas pro recta ad ſalutem via agnoſcas, atque ita eodem omnes pretio æſtimes; ſed, ne, ſub prætextu honoris Dei & zeli religioſi, eiusmodi res proponantur, quæ regimini ſtatus Imperii ſint contrariæ: ne Conſtitutiones & leges Imperii, maxime, quæ ad religionem ſpectant, traducantur, improbentur, aut in dubium vocentur: ne in Imperio receptæ Confeſſiones fidei ac religionis, aut earum aſſeclæ, conviciis & iniuriis, ſive ore ſive opere afficiantur: ne diſſentientibus falſa & ignominioſa, in doctrina & vita, imputentur: ne illorum inde a ſtatu & obſervantia anni 1624. obtenta iura, per varias machinas, impetantur atque infringantur, eorumque poſſeſſio turbetur: ne Principibus & Magiſtratibus contra eos, qui ſuæ non ſunt religionis, ad convicia & perſecutiones animum addant: ne Clerici iurisdictioni, ſub qua vivunt, ſe ſe ſubtrahant, aut, ſub prætextu negotii ſpiritualis, cauſſas civiles peregrinum ad forum transferre ſuſtineant.

Gottlieb Samuel *Treuer*, natus A. 1683. in pago S. Iacobi prope Francofurtum ad Viadrum, philoſ. & opt. artium magiſter, ac primum in Academia Equitum wolfenbuttelenſi, nunc in hac Iulia Politices & Moralium profeſſor publicus & ordinarius, omni liberali doctrina, nec minus facundia, vitæ elegantia & comitate politiſſimus, multis iam ſcriptis inclaruit: ab eo enim habemus 1) Diſſerta-

ſertationes lipſienſes, de Excidio magdeburgenſi, A. 1701. de Sacerdotibus romanis, 1703. de Principibus & remediis præiudiciorum, 1705. de Mente ſenſu non errante, 1707. de Arte moriendi philoſophice, 1707. de Sinceritate erga ſe ipſum. 2) Diſſertationes helmſtadienſes, de Idea prudentiæ civilis ad mentem *Taciti*, de Limitibus libertatis cogitandi, 1714. de Crimine alieni ſermonis, 1715. de Nævis librorum politicorum *Ariſtotelis*, 1715. de Impoſturis ſanctitatis titulo factis, 1717. de Charactere animi D. *Lutheri*, 1717. de Superſtitionis conditoribus & propugnatoribus, 1717. de Oeconomia Syſtematis moralis atheorum. 3) Orationes & panegyricos, ut, in Reginam Hiſpaniæ CAROLI III. coniugem, 1708. quæ oratio habetur in *Lunigii* Coll. orat. T. II. in fortunam Domus brunſuicenſis, in quam cæſarea regiaque diademata fuerant translata, 1712. in Virtutem ANT. VLRICI Ducis, animumque ſemper eundem, in eius mortem, in Cancellarii *de Wendhauſen* vitam & mortem. 4) Tractatus varios & ſchediaſmata, videlicet Thomam *a Kempis* von der nachfolge Chriſti, cum præfatione, Lipſiæ 1707. & Phyſicaliſche Nachricht von der neu erſtandenen Inſul Santoria in Archipelago, 1709. 4. Epiſtola ad *Blumlerum* de tilſemis & amuletis, Halæ 1710. 4. Apologia pro *Io. Baſilio* II. Magno Ruſſorum Duce, Wolfenbuttelii 1711. 4. Daſs Moſcau das wahrhaftige guldene Vlies beſitze, 1712. 4. Iac. *Bernhards* Tractat von der ſpæten buſſe, cum Appendice von den wichtigſten urſachen der ſpæten buſſe, 1713. 8. Beweis, daſs es nicht wider das Vœlcker-recht ſey, einen Geſandten zu arretiren. 1717. 4. Politiſche fehler des Rœm. Hofes, welche die Reformation des Lutheri ſollen bevördert haben, 1718. 8. Von dem recht eines Furſten ſeinen erſt-gebohrnen Prinzen von der ſucceſſion auszuſchlieſſen, 1718. Des Baron *von Schrœdern* Tractat vom abſoluten Furſten-recht, 1719. 8. *Pufendorfium* de officio hominis & civis, cum notis. 1717. 8. Moſcovitiſche hiſtorie, I. Theil. 1720. 8. Exercitationem politicam de licentia peregrinandi, legibus circumſcribenda, 1720. & Epiſtolam ad Thom. Fritſchium de Theſauro antiquitatum germanicarum promovendo. (Helmſtadii) 1721. 4.

Die ærgerliche verachtung, Scandaloſa contemtio S. coenæ. Auctor huius ſcripti eſt Io. WELMER, in quo diſputat contra Separatiſtas, ſive eos, qui ſe ab eccleſia ſeparant, & uſum S. coenæ omittunt, eorumque argumenta dextre & accurate ſolvit.

Die einigkeit im geiſt, Vnitas ſpiritus, verum fundamentum, atque idoneum medium adverſas conciliandi religiones. 1704. Ex S. ſcriptura, atque in primis ex Chriſti precibus *Io.* 17. oſtenſa a Io. WELMERO, qui ſe quidem non niſi *Nuncium pacis*, einen bothen des friedens, vocat. Atque in hoc ſcripto docetur, doctrinam de inhabitatione Chriſti in ſanctis ſuis omnium eſſe maxime neceſſariam: eorum, qui a papatu receſſerunt, maximam partem non habuiſſe verorum characterem Chriſtianorum: per Confeſſiones & Formulas, cumque iis coniuncta iura iuranda, concordiam non eſſe reductam: Deum ſuos habere etiam in cœtibus a nobis diſſentientibus: errores Reformatorum non eſſe exitioſos, & fundamentum fidei evertentes, niſi & noſtros præcipuos Doctores ex eccleſia cenſeamus eiiciendos eſſe: exorciſmum in baptiſmo, & trimeſtrem peccatorum confeſſionem, hoſtias, caſulas, candelas, dies Sanctorum feſtos poſſe mutationem pati: impœnitentes & chriſtiani titulum immerito ferentes non eſſe admittendos ad S. cœnam: & Principis, vi iuris epiſcopalis, officium eſſe, ut eos, qui manifeſte Chriſti regulas transgrediuntur, coërceat, & pacem eccleſiaſticam, quam poteſt maxime, promoveat.

III.

Guil. SVRENHVSII, ספר המשוה ſiue Liber conciliationis, in quo, ſecundum veterum theologorum hebræorum formulas allegandi & modos interpretandi, conciliantur loca ex V. in N. Tto allegata. Amſtelædami 1713. Atque huius operis ſunt libri V. in quorum primo traduntur formulæ, quibus priſci Hebræorum theologi ſacras ſcripturas allegare, elucidare & conciliare ſoliti fuerunt; ſecundo modi, ſecundum quos illi ſacras ſcripturas allegarunt & expoſuerunt; tertio ratio interpretandi, illuſtrandi & conciliandi ſacras ſcripturas veteribus recepta; quarto antiqua Iudæorum ratio genealogias conſignandi; & quinto omnis ille apparatus, libris prædictis IV. collectus, ad palmarium negotium transfertur, & ſingula N. Tti loca, in quibus ſive diſertis verbis, ſive ſaltem non obſcure & ſecundum ſenſum ad Vetus provocatur Teſtamentum, exponuntur. In præfatione commemorat auctor occaſionem & contenta huius ſcripti, recenſet X. modos interpretandi ſcripturas Iudæis uſitatos, Hebræorum regulam de ſenſu

myſtico

Digitized by Google

myſtico literali præferendo profert, eorumque diſtinctionem inter probabile & probatum oſtendit. Iam ſicut hoc inſtitutum ſacrarum litterarum lectoribus & interpretibus oppido utile eſt, atque ad Iudæos convincendos facit, ita magnam & peculiarem laudem meretur; eamque illi tribuunt Collectores *Actorum eruditorum* A. 1713. 105. auctor *Muſei novi* (des Neuen bucherſaals) T. II. 757. & D. Guſt. Georg. *Zeltner* diſp. de munimento capitis fœmin. contra angelos p. 13. quamquam medius ille non nulla notet ac moneat. Nec reticendum, ſimile diſſertationum de ſtilo N. T. Syntagma produxiſſe Iac. *Rhenferdium*, Leovardiæ 1701. in 4. de quo *Acta erudit.* A. 1702. 68.

Taco Haio *Van den* HONERT Syntagma diſſertationum de ſtylo N. Tti græco. Amſtelædami 1702. Exhibentur nimirum hic 1) Henr. *Stephani* diſſertatio de ſtilo novi teſtamenti græco. 2) Theod. *Bezæ* diſſert. de dono linguarum & apoſtolico ſermone. 3) Georg. *Paſoru* Idea græcarum N. Tti dialectorum. 4) Io. Georg. *Straubii* diſputatio de emphaſi græcæ linguæ N. T. 5) Ipſius *Honertii* epiſtola de ſtilo N. Tti græci, in qua vir doctiſſimus illum, ſi hebraiſmos, quibus quaſi vocabulis artis utantur ſcriptores ſacri, exceperis, cum ſtilo Demoſthenis, Aeſchinis, Xenophontis de maieſtate & efficacia, de puritate vero cum ſtilo ſcriptorum omnium, qui circa tempora Apoſtolorum græce ſcripſerunt, certare poſſe iudicat. *Acta erudit.* A. 1702. 519.

Taco Haio *Van den Honert*, in philoſophicis Carteſium, in theologicis Cocceium ſequens, antehac paſtor amſtelodamenſis, nunc S. theologiae in academia leydenſi D. & profeſſor perquam celebris, ſcripſit etiam Commentarium de variis Dei viis, (e quo Iſ. *Verburgius* excerpſit Aphoriſmos, Theologiam naturalem & revelatam exhibentes) & Vindicias promiſit locorum N. Tti, a Criticis male habitorum.

EIUSDEM Vindiciæ ſtili N. T. græci. 1703. Adverſus Eliam *Benoiſt*, Eccleſiæ gallo-belgicæ apud Delphenſes paſtorem, barbariſmos & ſermonis vitia ei affingentem. Honertus ergo hoc in ſcripto de vera purioris helleniſmi origine diſſerit, commentitiam de τῶν εὐδαιμονούντων helleniſmo opinionem explodit, ſtili N. Tti græci caſtitatem defendit, plurima N. Tti loca, ad hanc controverſiam pertinen-

Digitized by Google

tinentia & nuper peſſime habita, accuratius explicat, *Strabonis* de gymnaſio tarſenſi teſtimonium, & *Arnobii* aliorumque loca a nupera ipſorum corruptela vindicat, & apoſtolo *Paulo*, præter dona ſpiritus ſancti, abundantiſſime in ipſum collata, ſuum inter græce doctiſſimos locum aſſerit.

IV.

Timanni GESSELII Antiqua & vera fides, & ſola ſervans. Traiecti ad Rhenum, 1664. Nimirum fides per dilectionem operans. De hac præſens agit Tractatus, eiusq; prima Sectione refertur, quid de ea docuerit Chriſtus in euangelio, quid in Actis & Epiſtolis Apoſtoli; ſecunda, quid primis & proximis apoſtolicæ doctrinæ ſeculis priſcæ & purioris eccleſiæ Doctores; tertia additur, quid de bono, recto & honeſto, ſeu virtute, ſecundum rectam rationem, moraliter doceant antiqui, quamquam gentiles, Philoſophi: ut vel ſic ſaltem Chriſtiani ad ſuum erubeſcant dedecus, & Philoſophorum illorum dogmatibus ad perverſorum morum emendationem inſtigari ſe atque exſtimulari patiantur. Quod ut facilius feliciusque obtineri poſſit, multorum magnorum virorum auctoritates adhibentur. In dedicatione docet auctor, fundamenta ſalutis poſita eſſe in bene credendo & bene agendo, quæque creditu neceſſaria, Symbolo, quæ factu, Decalogo comprehendi: in Præfatione, tribus primis ſæculis Chriſtianos magis in praxi veræ pietatis, quam in ſcientiæ theoria fuiſſe occupatos, ſed poſt illa meliora ſæcula frequentes Eccleſiaſticorum de articulis fidei contentiones magnas in eccleſia dediſſe turbas; nec ſe, de antiqua fide ſcribentem, mittere falcem in alterius meſſem; ipſum enim ſe continere intra limites ſobriæ & frugalis theologiæ, omnemque litigandi intemperiem ſedulo fugere ac declinare. Deplorandum eſſe, quod litigioſa res hodie ſit theologia, & diſputare malimus, quam bene vivere. Coërcendam igitur nimiam in ſacris curioſitatem, & prophetandi, conviciandi, alioſque propter ſententiarum diverſitatem condemnandi licentiam, ſectandan autem ſimplicitatem, ac veritatem in caritate. Liber hic, cum aliis eiusdem auctoris, de quibus poſtea agemus, lectu eſt digniſſimus, quippe qui eſt quaſi cento Scriptorum ſacrorum, Patrum eccleſiæ, & præſtantiſſimorum Doctorum, ac viam monſtrat ad verum chriſtianiſmum, in fide viva & operante

te conſiſtentem, cumque ſtudio ſimplicitatis, moderationis & pacis atque concordiæ coniunctam.

Timannus *Geſſelius*, ultraiectinus, medicus in patria ſua, & Medicorum, ſi qui unquam pii, docti, modeſti, & pacifici fuerunt, aſſecla, magnumque decus, atque a doctiſſimo prudentiſſimoque *Boineburgio*, ob pacis & concordiæ ſtudium, magni æſtimatus, & parenti meo maximopere ab eodem commendatus, a *Clarmundo* autem Introduct. in notit. Scriptorum hiſtoric. p. 226. pro lubitu præterque meritum ſyncretiſta vocatus, floruit medio ſæculi XVII. Opera eius denuo iunctimque prodierunt Ultraiecti A. 1667. 4. *Koenig* 344. *Von der Linden* de ſcriptis medicis p. 1027. & celeb. abbas *Schmidius* in Tomo II. Introduct. Sagittar. p. 198.

EIUSDEM Simplicitas fidei chriſtianæ. Traiecti ad Rhenum 1666. Secunda editio, correcta & aucta: prima vero prodiit Amſtelædami A. 1650. in 12. ſub titulo Synopſeos locorum S. ſcripturæ, & recentiorum quorundam Theologorum, quibus demonſtratur, quænam ſint ad ſalutem creditu neceſſaria & ſufficientia: quibus quidem verbis & præſens titulus Simplicitatis fidei chriſtianæ, in fronte libri explicatur. Atque in altera hac editione auctor nomen ſuum expreſſit, in priore autem illud occultavit ſub larva *Simplicii Chriſtiano-Catholici*. Vide *ipſum* Præfat. in Hiſtor. ſacram p. 20. & *Placcium* de pſeudon. 568. Et hic Tractatus IIX. capitibus abſolvitur, quorum 1. continet loca Scripturæ ſacræ, quibus demonſtratur, quænam ſint ad ſalutem creditu neceſſaria & ſufficientia. 2. loca Patrum primitivæ eccleſiæ, quibus oſtenditur, *Regulam fidei veterum* eſſe creditu neceſſariam & ſufficientem. 3. exhibet ſententias Patrum de Symbolo fidei. 4. teſtimonia Theologorum, & aliorum doctorum virorum ſæculi XVI. & XVII. de Symbolo fidei, nec non de iis, quæ creditu neceſſaria & ſufficientia. 5. agit de foedere gratiæ, & de facilitate fidei & religionis chriſtianæ. 6. adverſus curioſitatem, & pro ſimplicitate fidei & religionis chriſtianæ. 7. brevem & ſimplicem tradit religionis chriſtianæ doctrinam. 8. diſſerit de auctoritate Antiquitatis in rebus fidei & negotio religionis chriſtianæ. In Prolegomenis diſputat auctor contra nimiam ſubtilitatem, & ſimplicitatem chriſtianam commendat. Quid autem dico, auctor? *In hoc ſcripto*, ait ille, *nihil meum eſt: nam a maioribus tradita, & apud nos depoſita ſcribo, &*

relatoris fide potius, quam auctoris præſumtione ſententiis & verbis magnorum virorum loquor: quo genere ſcribendi plurimum delectari ſoleo. Ceterum placuit collectori tractatum hunc filio dedicare ſuo, Henrico, eique commendare fidei ſimplicitatem, atque, ut liber viveret a partium ſtudio & fervore contentionis, graviter adhortari. Denique dolet bonus vir, eccleſias Chriſtianorum per audacem & nimis pertinacem non certarum conſequentiarum fiduciam, propter novas & nimis curioſas in theologia poſitiones tam miſere diſtrahi, & feruens deſiderio pacis in hæc erumpit verba: *Quis* CONSTANTINVS *has eccleſiaſticas rixas nuquam nobis componet?* quis THEODOSIUS has theologorum digladiationes tandem abrogabit? *Certe* (ita ille pergit) *qui tale deſiderium, qui tale ſtudium* ſyncretiſmi *&* ſamaritaniſmi, *&* atheiſmi *condemnant, inquit* Calixtus, *hoc ipſo, quam longe abſint a charitate chriſtiana, & tranquillitatem publicam, tum eccleſiaſticam, tum civilem, averſentur potius, quam deſiderent, palam produnt, & toti orbi teſtatum relinquunt.*

Ioannis DALLÆI de poenis & ſatisfactionibus humanis Libri VII. Amſtelædami 1649. In quibus, ut ipſe in Dedicat. ad Claud. Sarravium, qui pariter debito celebratur elogio, ſcribit, *ex divinis & eccleſiaſticis litteris ita labefactata & ſubverſa ſunt omnia papalium indulgentiarum, romanique iubilei,* anno 1650. celebrandi, *fundamenta, ut nullus errori, in quo conſiſtat, locus relictus eſſe videatur.* Hic igitur negatur, ullas eſſe fidelium aut hic, aut alibi poſt remiſſam culpam proprie dictas poenas, & quid quid in contrarium affertur a perpeſſionibus & morte fidelium, purgatorio, precibus pro defunctis, & ex Patrum eccleſiæ quibusdam dictis, excutitur atque diluitur.

V.

Conradi VORSTII Antibellarminus contractus. Hanoviæ 1610. Eſt compendioſum examen omnium fidei controverſiarum, quæ inter Evangelicos & Pontificios agitantur, prout eas Robertus *Bellarminus* Cardinalis IV. Diſputationum ſuarum tomis complexus eſt. De hoc libro vide *Pareum* apud Corvinum in Reſponſ. ad Notas Bogermanni in Pietatem Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ Part, I, p. 48. Guil. *Forbeſium* 110. Iacobum *ad Portum* in Epiſtolis præſtant. viror, 331. & *Bailletum* d' Anti P. I. 92.

Pag.

Pag 453. b. *Si metaphoram in verbo* Satisfactionis *Adverſarii noſtri admitterent*, nos certe id ipſum tolerare poſſemus.	*Admittunt*, quia propriam & plenam ſatisfactionem Chriſto adſcribunt. Vide *noſtram* Conſiderationem controverſiarum cum Pontificiis, p. 94.

IDEM de cauſis admodum iuſtis & neceſſariis ab Evangelicis deſerti, & porro a piis omnibus deſerendi romani papatus. Steinfurti 1612. Eſt opus, conſtans XXII. diſputationibus, ac tres habens Partes, quarum prima idololatriam, ut ipſe numerat, ſextuplicem, ſecunda lit. H ſuperſtitiones, tertia lit. O errores pontificios explicat, & breviter refellit. Secundum hæc igitur generalis libri titulus, qui anguſtior videtur, corrigendus ſit.

EIVSDEM Tractatus de Deo, ſive de natura & attributis Dei, conſtans X. diſputationibus, cum Annotationibus. Steinfurti 1610. & Hanoviæ anno eodem. Liber rarus, fatente *Voſſio* Epp. p. 42. Docetur in eo de exiſtentia, nominibus, natura, omniſcientia & ſapientia, voluntate, dominio & poteſtate, bonitate & benignitate, iuſtitia & veritate, amore, odio, ira & ſimilibus quaſi affectibus Dei. In Præfatione auctor a lectore æquitatem poſtulat, ut videlicet non tantum ambigua quædam, aut iudicio ſuo minus appoſite, minusque circumſpecte dicta in meliorem partem interpretetur, ſed & manifeſta, quæ videantur, errata benigne condonet; pariterque & generalem ſcopum ſuum indicat, quo damnatum eat audacem curioſitatem cum Scholaſticorum, tum Ariſtotelicorum quorundam, qui decidere ac definire audent ſpeciales modos ac conditiones multorum Dei attributorum; & ſingularem, quo ad recentes controverſias, quæ inter Euangelicos de perſona Chriſti, ſive potius omnipræſentia Ieſu Chriſti, & æterna Dei prædeſtinatione agitantur, potiſſimum in Notis ſuis collineaverit, nempe ut ex ipſis præcipuis Dei attributis, quatenus in Scriptura aperte revelata ſunt, quid de utroque illo capite ſentiendum, ſine præiudicio definiri poſſit. Præterea veritatem ait & pacem ubique ſe quæſiviſſe, alienam ſæpe, h. e. opponentis perſonam ſumſiſſe, atque interdum a ſuæ religionis doctoribus, & ipſo Hieron. *Zanchio*, quem in multis alias ſecutus ſit, abiviſſe. Quamvis autem laudabilem ſibi ſcopum præfixerit, adeo tamen iſto

iſto Tractatu ſuo crabrones excitavit, ut plures ſurgerent adverſarii, qui ſcriptis eum aggrederentur: atque inter illos fuere *Grawerus*, Conr. *Horneius*, *Becanus*, *Boſendorf*, *Brœkerus*, *Egliſemmius*, *Lubbertus*, *Maccovius*, *Piſcator*, *Sladus*, *Smoutius*, *Baſilienſes*, *Heidelbergenſes* & *Leovardienſes* theologi, imo ipſe *Rex Magnæ Britanniæ* ſacratiſſimus, qui & librum Vorſtianum, archiepiſcopi conſilio, quod in Epiſtolis quidem præſtantium virorum p. 395. 396. improbatur, A. 1611. comburi iuſſit. *Synodus dordracena* P. I. 318. Andr. *Reuchlinus* in Epp. præſtant. viror. p. 395. ipſe *Vorſtius* in iisdem p. 286. 287. *Arnold* Hiſt. eccl. & hæret. T. IV. 477. & *Sagittarius* Introduct. ad Hiſt. eccleſ. 860.

EIVSDEM Apologetica exegeſis, ſive plenior declaratio locorum aliquot, quæ ex libro eius de Deo excerpta, eique pro erroneis impoſita fuerunt. Cum Appendice adverſus iniquas Mart. *Becani* criminationes. Lugduni Batavorum 1611. In Præfatione loquitur de ſuſpicionibus, earumque cauſis & remediis, diſtinctione dogmatum, vera nec infucata religione, vera dei cognitione, officio boni theologi, & rixis Doctorum hodiernis. De Exegeſi hac ſcribit Rud. *Goclenius* apud Crenium Animadverſ. P. X. 293. *ſe eam tanti facere, ut omnes & ſingulas quæſtiones publice diſcutiat, & pleraſque quidem ita, ut inter ambos appareat concordia &* ὁμοδοξία. *doctrinam eius de libero arbitrio, ſe iudice, eſſe ſinceram puramque, etſi non nullis e ſuis, præſertim* Eglino, *diſpliceat.*

VI.

EIVSDEM Reſponſio ad articulos quosdam, nuper ex Anglia transmiſſos, & in Batavia typis deſcriptos. Lugduni Batavorum 1611. Qui excerpti dicuntur ex Tractatu de Deo, atque in eundem Annotationibus, item ex Apologia cum Declaratione. Sed alienam in ſingulis mentem ſibi affingi, accuſatus oſtendit. In Dedicatione ad illuſtriſſimos fœderatæ Belgicæ Ordines laudandum eſſe ait piorum Regum ac Principum zelum, quem in aſſerenda Dei Chriſtique gloria, & conſervanda euangelicæ doctrinæ puritate, tum verbis, tum factis ſubinde oſtendunt; in iudicio tamen de religionis controverſiis ferendo, præſertim in deciſivo, magna in primis ſapientia, in exſequendo etiam magna piaque prudentia opus eſſe, atque ex huius libelli lectione cogniturum ſereniſſimum

mum Magnæ Britanniæ Regem, nec omnipotentiam, nec omniſcientiam, nec æternitatem, nec immenſitatem Dei veram, nec iuſtitiam denique, nec ullam aliam dei proprietatem; uti nec S. Trinitatem, æternam Chriſti deitatem, nec veram plenamque eiusdem pro peccatis noſtris ſatisfactionem, nec ſimile quoddam chriſtianæ fidei myſterium ullo a ſe modo in dubium vocari; quamvis in particulares horum dogmatum probationes, ſive ex S. ſcriptura, ſive aliunde petitas, itemque in ſpeciales attributorum operumque divinorum rationes ac circumſtamtias, in Dei verbo nusquam expreſſas, denique in alias id genus ſubtiliores ac valde perplexas ſcholarum hypotheſes, non ſine cauſſa, optimo fine, (nimirum ut conſcientiæ noſtræ in iis, quæ de Deo credenda ſunt, ſoli ipſius Dei verbo ſimpliciter adſtringantur) diligentius inquiſiverit.

EIVSDEM Paræneſis ad D. Sibrandum *Lubbertum*. Goudæ 1613. Qua recentes aliquot eius in illum iniuriæ, apertæque calumniæ, Commentariis ipſius nuper editis inſertæ, ac ſummatim in Epiſtola, & Præfatione libri propoſitæ, breviter refutantur. Si *Vorſtium* audimus in Præfatione, *Lubberti* accuſatoris temeritatem ait tribus modis detegi, calumniando videlicet, prævaricando, & tergiverſando: calumniari enim ſe ſæpiſſime, dum & falſa ſibi dogmata impingat, & fictas probationes e cerebro ſuo proferat; prævaricari, dum vera ſua crimina naviter occultet, h. e. errores ipſi obiectos miſere palliet; denique tergiverſari, dum partim proceſſum ab exſecutione, ſeu dimiſſione *Vorſtii* inchoare cupiat, partim forum ſuum ſequi detrectet, ſeque ad exteras quasdam particulares eccleſias, forte iam præoccupatas, imperioſe provocet. Sed & alia eſſe, quæ in tota adverſariorum ſuorum proceſſu damnationem mereantur: nimirum 1. quod rem, quæ ex regula æquitatis ac iuſti ordinis, privatim inter ipſos ab initio componi poterat, libris in publicum editis temere divulgarint, ſeque accuſationibus ſuis palam reſpondere coëgerint, dictaque & facta ſua, quæ ex canone caritatis recte accipi poterant, pravis ſuſpicionibus onerarint, immo calumniis variis conſperſa in peiorem ſemper partem detorſerint. 2. quod, cum actores eſſent, ſententiam tamen ſæpius adverſus ſe intempeſtive tulerint, & iudici præiudicium quaſi dictaverint. 3. quod omnia iuris remedia, quæ reis potiſſimum indulgeri ſolent, (v. g. *Vnumquemque præſumi bonum*, vel orthodo-

xum, *donec contrarium probetur: Vnumquemque eſſe optimum verborum ſuorum interpretem: Neminem alieno odio gravandum: Neminem inauditum, aut indefenſum, condemnandum: In dubiis benignorum explicationem ſequendam: Poſteriora acta ex prioribus iudicanda: Reo defenſionem aut exceptionem minime denegandam*; & ſimilia alia) huc usque in cauſa ſua pertinaciter ſpreverint. 4. quodque ſpiritum plusquam apoſtolicum ſibi arrogarint, de aliena conſcientia, ac ſi cum Deo illam inſpexiſſent, deque prophetiis ſibi ſolis, aut ſuæ partis fautoribus, iudicium vindicantes, ſeque & alios, qui ipſos ferre cupiant, viciſſim ferre detrectaverint. Hæc iam confer cum iis, quæ afferuntur in *Relationibus innocuis* A. 1709. 80.

EIVSDEM Paraſceve ad Amicam collationem cum D. Io. *Piſcatore* ſuper huius Notis ad loca quædam, ex illius Tractatu de Deo & Exegeſi apologetica pridem excerpta, & Notis iſtis breviter examinata. Goudæ 1612. Variæ hic quæſtiones theologicæ tractantur, maxime quæ ad divinam prædeſtinationem pertinent. Præfatio occaſionem, ſcopum modumque & methodum ſcripti huius explicat.

EIVSDEM Amica collatio cum D. Io. *Piſcatore* ſuper Notis huius ad illius Tractatum de Deo, & Exegeſin apologeticam. Goudæ 1613. Hic etiam variæ quæſtiones theologicæ explicantur, in primis quæ divinam prædeſtinationem, & quædam Dei attributa ſpectant: poteſtque hæc Collatio non immerito generalis quædam, ad omnes eiusdem generis aliorum cenſuras, reſponſio vocari. Ipſæ etiam *Piſcatoris* Notæ verbotenus hic inſertæ ſunt. In Præfatione de diſputationum theologicarum defectibus ac vitiis diſſerit, eorumque remediis, atque ad obiectiones quasdam, quæ ſibi fiebant, aut fieri poterant, reſpondet. Exhibet etiam *Piſcatoris* Epiſtolam, qua ille conſenſit, ut publicum contra ſe ederetur ſcriptum.

EIVSDEM Examen Tractatus Io. *Piſcatoris* de divina prædeſtinatione. Goudæ 1618. De quo quidem auctor putat, poſſe in hac cauſſa loco concluſionis eſſe. Seorſum acceſſit Plenior idea doctrinæ Io. *Piſcatoris* de prædeſtinatione divina, & capitibus annexis, excerpta potiſſimum ex Tripartita eiusdem reſponſione ad

ad Amicam Vorſtii duplicationem. Cum Apodixi, qua clare probatur, Deum a *Piſcatore* ſtatui veram peccati cauſam: & cum Antitheſi doctrinæ *Auguſtaniana* & *Piſcatoriana* de prædeſtinatione Dei & capitibus annexis, breviter oſtenſa in XVI. articulis, quos *Auguſtinus* Tomo VII. ut falſo ſibi impoſitos aperte reiicit, *Piſcator* autem paſſim aſſerit.

EIVSDEM Reſponſio apologetica ad ea omnia, quæ Feſtus *Hommius* nominatim ipſi nuper impegit, in libro, cui titulus: Specimen controverſiarum belgicarum, in uſum tum omnium veritatis amantium, tum ſpeciatim Synodi nationalis belgicæ. A.1618. Iniurias ab *Hommio* acceptas, licet variæ ſint, ad V. præcipua capita refert auctor in Præfatione, & 1. quidem, quod aliena quædam, aut ſpuria ſibi ſcripta tribuat, ut libellum de *Auctoritate Scripturæ*, Anecdoton *de filiatione Ieſu Chriſti*, *Confeſſionem de ſatisfactione Chriſti*, & II. *Epiſtolas*, eadem de re a ſe quidem ſcriptas, ſed privatim ad amicum, idque animo conferendi potius, quam definiendi. 2. quædam ſibi adſcribat., tanquam a ſe aſſerta, quorum contraria paſſim tradiderit. 3. quædam a ſe negari dicat, quæ palam ipſe aſſerat. 4. theſes & corollaria quædam ex dictis ſuis colligat, quæ non niſi ſophiſtice & calumnioſe inde colligi queant. 5. ſententias quaſdam tum ſuas, tum alienas, paſſim mala fide citet, & nunc addendo, nunc demendo, nunc transferendo miſere adulteret.

VII.

Conr. VORSTII Amica duplicatio ad Io. *Piſcatoris* Apologeticam reſponſionem, & Notas eiusdem Amicæ collationi oppoſitas. Pars operis prima. Goudæ 1617. In qua de prædeſtinatione Dei, & capitibus annexis, videlicet de morte Chriſti pro omnibus, de modo converſionis reſiſtibili, de poſſibili iuſtorum defectione, aliisque copioſe diſſeritur. Addita ſunt ſeorſum Paralipomena, quibus alteræ *Piſcatoris* Notæ (ad Amicam collationem) amplius diluuntur. Sciendum autem, *Alteram Partem*, de qua non tanta difficultas eſſet, quanta hic, quum perſpiciendum inde foret, antagoniſtas de præcipuis capitibus inter ſe conſentire, alia vero non ita magni ponderis eſſe, ſaltem ad fundamenta fidei neutiquam pertinere, non ſecutam eſſe. In Præfatione ad Doctores euangelicos, per univerſam paſſim Europam

profitentes, recitat auctor hiſtoriam & occaſionem huius cum Piſcatore litis, reddit rationem facti a ſe rubri, exponit modum rite iudicandi, & ſummam vel ſynopſin totius rei iudicandæ, ſtatumque controverſiæ dextre ac decenter ponit, oſtendens, Piſcatorem in doctrina de Prædeſtinatione omnia Dei decreta prorſus *abſoluta*, & *irreſiſtibiliter* efficacia, item plane *ſpecialia*, & præſcientiam omnem *antecedentia*, ſeu cauſſis omnibus præſcitis *anteriora* ſtatuere.

IIX.

Io. CLOPPENBVRGII Confutatio Compendioli ſocinianismi. Franekeræ 1652. Editio ſecunda. Cum Præfatione hiſtorica de origine & progreſſu ſocinianismi. Eiusdem Hiſtoria, quaſi in tabulis, exhibetur in *Narrationibus innocuis* A. 1708. 20. ipſumque Compendiolum hic per partes præmittitur Confutationi. Dubium autem, quis eius ſit auctor: nam quod *Sandius* Bibliothecæ Antitrinitar. p. 99. a *Cloppenburgio* ait tribui Oſtorodo ac Voidovio, id quidem ex eius verbis non videtur ſequi, quippe qui nihil aliud dicit p. 31 quam illud A. 1598. Amſtelredami excuſſum illorum manibus, ante annos circiter 27 ſibi relictum fuiſſe; ipſe autem Sandius l. c. Conrado *Vorſtio* adſcribit: quo iure, ipſe viderit. Nam ſi & Vorſtius habuit, an inde concludendum, ab ipſo illud eſſe profectum & conditum? Vorſtius ſane imputationi ſocinianismi ſemper intercesſit, ſibique iniuriam fieri conqueſtus eſt.

Io. *Cloppenburg*, amſtelædamenſis, S. theologiæ D. ac profesſor, & paſtor franekeranus, orbi erudito dedit Gangrænam theologiæ *anabaptiſticæ*, Epiſtolam de die, quo Chriſtus, & quo Iudæi comederint agnum paſchalem, mundoque huic valedixit A. 1652. ætatis 60. *Witte* Diar. biograph. D d d 3. *Benthem* de ſtatu eccleſ. & ſcholar. holland. P. II. 258. 525. Opera eius omnia iunctim prodiere Amſtelodami A. 1684. 4. de quibus vide *Acta eruditorum*, anno eodem, p. 550.

EIVSDEM Antiſmalcius de divinitate Ieſu Chriſti. Franekeræ 1652. Additus etiam eſt, in partes diviſus, *Smalcii* liber de divinitate domini Jeſu Chriſti, antehac editus Racoviæ A. 1608. in linguam belgicam tranſlatus A. 1623. & germanico idiomate, non expreſſo auctoris nomine, excuſus A. 1627. In Dedicatione ad illu-

illuſtres Friſiæ Ordines. Cloppenburgius reperit hiſtoriam de ortu & progreſſu ſocinianiſmi, & ferali eum carmine impetit, quod inſit:

Pectus inardeſcit, lactantem haud ſuffero linguam:
Zelo, Chriſte, tui, facit indignatio carmen.

Finis autem eius hic eſt:

Hac, Patria Patres, votorum eſt ſumma meorum,
Fida Dei magno ſolvantur ut oſcula Nato,
Et veſtra pietatis honos aſſurgat in altum.

EIVSDEM Syntagma ſelectarum exercitationum theologicarum: quæ ſunt 1) Protheoria theologiæ chriſtianæ. 2) Determinatio quæſtionis, An Chriſtus, qua mediator, ſit adorandus? Et auctor quidem adfirmat. 3) Diſputationes XV. de canone theologiæ & iudicio controverſiarum ſecundum canonem. In quibus diſputat contra *Papiſtas* & *Enthuſiaſtas*. 4) Oratio inauguralis de Cathedrarum euangelicarum libertate chriſtiana. 5) Diſpp. XI. de fœdere Dei, & Teſtamento veteri ac novo. 6) XIIX. Selectæ diſputationes, 1. de Chriſto, Deo mentiri neſcio, & homine impeccabili, contra hypotheſes *Remonſtrantium* in Apologia Confeſſionis cap. 16. de Libertate chriſtiana. 2. & 3. de vera antiquitate religionis chriſtianæ, contra *Socinianos*, *Remonſtrantes*, *Papiſtas* & *Anabaptiſtas*. 4. de ſacramentorum chriſtianæ religionis inſtitutione, antiqua, an nova: cum Cenſura in Diſſertationem *anonymi* (erat autem Hugo *Grotius*) de Cœna, an ſemper communicandum per ſymbola? 5. Examen theologiæ practicæ *Remonſtrantium* de vera obedientia mandatorum Chriſti. 6. de bonorum operum meritis. 7. de bonorum operum mercede æterna. 8. de anno, menſe & natali Chriſti. 9. de Immanuele naſcituro ex virgine, Eſa. 7, 14. 15. 10. de plenitudine temporis, Gen. 49, 10. 11. de adventu Meſſiæ, ante templi & ſacrificiorum abolitionem. 12. de reiectione gentium ſub V. Teſtamenti œconomia moſaica. 13. de legis pædagogia ad Chriſtum. 14. de ſententia loci 1. Cor. 15, 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* 15. de ſpiritu, anima, & corpore, 1. Theſſ. 5, 23. & Heb. 4, 12. 16. de perſona Melchiſedeki. 17. de unctione Chriſti mediatoris. 18. de ſacrificiis patriarchalibus. 7) Epimetrum duarum Diſputationum repetitarum de Filii Dei divinitate, & Chriſto ſervatore. Quarum prior habita fuit Heidelbergæ A. 1611

 ap-

approbantibus Decano D. Davide *Pareo*, ac præſide D. Barthol. *Coppenio*, altera Genevæ A. 1614. præſide D. Bened. *Turretino*.

Antonii DEVSINGII Apologia contra D. Ioannis *Cloppenburgii* Caſuum poſitiones. Hardervici, ſine adpoſitione anni. Et de iſtis Cloppenburgius Provinciæ Geldricæ iudicium expetebat, poſtquam præiudicia theologorum ſuper iisdem in variis academiis tacite conquiſiverat. Conqueritur autem *Deuſingius*, aduerſarium, collegam ſuum, ſe nunquam antea monitum acerbe ſatis excepiſſe publicis diſputationibus; quædam, ceteris omiſſis, contra mentem ſuam carpere inſtituiſſe; compoſita diviſiſſe, & diviſa coniunxiſſe; ad Academias viciniores ac remotiores, Caſuum poſitiones, & menti & ſcriptis ſuis minime quadrantes, transmiſiſſe; nec acquieviſſe tandem, poſtquam iudicio Facultatis theologicæ Leidenſis uterque ſe ſubmiſerant, & coram Deputatis Synodi, ac per eos coram ipſa Synodo in illud compromiſerant, ſed nova aliunde iudicia nihilominus requiſiviſſe, ac Bremam uſque transmiſiſſe exquiſitas & confictas iſtas Caſuum poſitiones. Capita autem, in quibus Apologia occupatur, ſunt hæc: 1) de ſubſiſtentia animæ humanæ, & ratione unionis eiusdem cum corpore. 2) de immediata Dei providentia, ac anima mundi. 3) de animabus ac intelligentiis aſtrorum. 4) de intelligentiarum ordinibus. 5) de ſpiritu Dei, qui ferebatur ſuper aquas. Gen. I, 2. 6) de ſingulari ac ſupernaturali unione hypoſtatica divinæ & humanæ naturæ in una Chriſti ſalvatoris perſona. Negat vero *Deuſingius*, pernegatque, ſe paſſim inculcare quædam contra receptam ſententiam; negare providentiam divinam; de mundi anima iis uti verbis, quæ ſoli Deo ſolent aſſignari, ut *enter, potenter, ubique præſens*; duo angelorum bonorum genera ſtatuere; bonorum & malorum angelorum ex philoſophia dare diſtinctionem; ſupercæleſtes intelligentias appellare miniſtros Dei extraordinarios; angelis cæleſtibus præeſſe animam mundi; atque hanc mundi animam credendam auctoritate ſacræ paginæ. Ceterum Apologiæ præmittit Præfationem, qua ſcribendi cauſſas & occaſionem, ac rei geſtæ hiſtoriam perſtringit.

Antonius *Deuſingius*, meurſenſis, *Burgersdicii* & *Golii* inter philoſophos, nec non *Schrevelii* & *Vorſtii* inter medicos diſcipulus

Har-

Digitized by Google

Hardervici primum phyſicæ & matheſeos, deinde & Medicinæ profeſſor ac doctor, Cloppenburgiique tunc collega, & urbis phyſicus ordinarius, poſtea eiusdem profeſſor in uniuerſitate groningenſi, ac pariter medicus provincialis, ſereniſſimique Principis naſſovici archiater, orientalium linguarum, ut arabicæ, perſicæ, turcicæ, peritiſſimus, edidit Pentateuchum perſicum ex interpretatione Iacobi *Tavvaſi*, Lexicon medicum arabico-latinum, Lexicon perſico-latinum, atque *Erpenii* Grammaticam arabicam auctiorem, Hexäemeron recognitum, *Cloppenburgium* heautontimorumenon, de ortu animæ humanæ aduerſus *Charletonum*, Examen pulveris ſympathetici contra *Digbaum*, Oeconomum corporis animalis reſtitutum contra *Alvarez*, & ex arabico in latinum conuertit Canticum *Avicena* de medicina, & Selecta medica Io. *Meſuai* damaſceni, morſemque oppetiit A. 1666. ætatis 54. *Kœnig* 244. *Witte* Diar. biograph. Yyy 2. *Benthem*, P. II. 269.

IX.

Scripta adverſaria Collationis Hagienſis. Lugduni Batavorum 1615. Collatio iſta inter quosdam eccleſiarum paſtores de divina prædeſtinatione & capitibus ei adnexis habita fuit A. 1611. & Petrus *Bertius* ſcripta illa, auctoritate illuſtr. Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinum, ex belgicis iam pridem editis latina fecit. Horum ſcriptorum primaria ſunt duo 1) *Remonſtrantia* videlicet, ſive libellus ſupplex, illuſtribus Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinibus A. 1610. menſe Iulio oblatus a Miniſtris & Paſtoribus in cauſſa doctrinæ gravatis, unde & nomen *Remonſtrantium* aſſumſerunt, & ab *Arminio*, cuius ſententiam ſequebantur, etiam *Arminiani* dicti ſunt. 2) *Contraremonſtrantia*, ſeu Refutatio prioris ſcripti, exhibita iisdem Ordinibus anno 1611. menſe Martio ab illis Paſtoribus, qui ex noviſſimæ Synodi conſtitutione, rerum eccleſiaſticarum curam ad ſe pertinere arbitrabantur; & inde ipſos *Contraremonſtrantes*, diſcriminis cauſſa, protinus vocari placuit, a *Gomaro* autem, quem ducem habebant, *Gomariſtæ* ſunt appellati. Remonſtrantia continebat 1. excuſationem ipſorum Remonſtrantium adverſus ſuſpiciones & calumnias, quibus, ut aiunt, petebantur, quaſi immutationem aut innovationem religionis quærerent. 2. declarationem capitum quorundam, de quibus ipſos inter, eorumque συνδούλους diſceptationes inciderint. 3. pe-

3. petitionem legitimi & liberi conventus ſynodici, in quo audiri poſſent; aut, ſi is non detur, ut in ſententia tolerarentur ſua, & ab illuſtr. Ordinibus adverſus omnes eccleſiaſticas cenſuras protegerentur ac defenderentur. Sententiam autem ſuam, quam veram & verbo Dei conſentaneam credebant, cumque Lutheranis communem habent, V. articulis comprehendebant; quorum hæc ſumma: I. Deum ante iacta mundi fundamenta decreviſſe, credentes in Chriſtum, & in fide perſeverantes ſervare, incredulos vero ac contumaces damnare. II. Ieſum Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum eſſe, & remiſſionem peccatorum impetraſſe; ita tamen, ut nemo re ipſa illius remiſſionis particeps fiat præter credentes. III. Hominem ſalvificam fidem non habere a ſe, neque ex liberi ſui arbitrii viribus, ſed neceſſe eſſe, ut a Deo in Chriſto per Spiritum ſanctum regeneretur. IV. Hanc Dei gratiam eſſe principium, progreſſum & complementum omnis boni; modum autem operationis gratiæ illius non eſſe irreſiſtibilem. V. Fideles auxilio gratiæ Spiritus S. abunde viribus inſtructos eſſe, quibus in fide poſſint perſeverare: utrum vero rurſus poſſint deficere, accuratius ex Scriptura prius inquirendum eſſe, quam id confidenter alios docere poſſent. Contraremonſtrantiæ autem hæc erant doctrinæ capita: I. Deum ex humano genere, corrupto in Adamo, liberare certum quendam hominum numerum, quem in æterno ſuo & immutabili conſilio ex mera miſericordia, ſecundum voluntatis ſuæ beneplacitum elegit, quos per Chriſtum ſalvaret, reliquis iuſto ſuo conſilio præteritis, & in peccatis ſuis relictis. II. Pro electis Dei habendos etiam filios fœderis, quantiſper re ipſa contrarium non declarant. III. Deum in hac ſua electione non reſpexiſſe ad fidem aut converſionem ſuorum electorum, tanquam ad cauſas electionis; ſed ſtatuiſſe, iis, quos ex beneplacito voluntatis ſuæ elegit, dare fidem & perſeverantiam in pietate, atque hoc modo eos ſalvare. IV. Deum filium ſuum Ieſum Chriſtum in mortem tradidiſſe ad ſalvandos ſuos illos electos, adeo ut, licet mors Chriſti ſufficiens ſit ad ſatisfactionem pro peccatis omnium hominum, in ſolis tamen electis vim ſuam habeat ad reconciliationem. V. Deum non tantum externe per prædicationem euangelii, ſed & interne tam efficaciter operari in cordibus electorum ſuorum, ut re ipſa ac ſponte ſua conver-

convertantur & credant. VI. Vere fideles & regenitos, licet per imbecillitatem carnis in gravia peccata incidant, tamen eadem Spiritus ſancti virtute, qua regenerati ſunt, ita ſuſtentari ac conſervari, ut fidem nec totaliter, nec finaliter amitterre poſſint. In eadem Contraremonſtrantia negant, Remonſtrantes in ſua ſententia tolerari poſſe, tanquam eccleſiæ reformatæ Miniſtros, eosque cenſuris eccleſiaſticis debere eſſe ſubiectos contendunt. Atque hanc Contraremonſtrantiam ad Collationem hagienſem miſſi VI. Miniſtri obtulerunt, videlicet Ruardus *Acronius*, Pet. *Plancius*, Io. *Becius*, Libertus *Fraxinus*, Io. *Bogardus* & Feſtus *Hommius*, cum totidem etiam ex parte Remonſtrantium comparuiſſent, nimirum Io. *Vytenbogardus*, Adr. *Borrius*, Eduard. *Poppius*, Nicol. *Grevinchovius*, Io. Arnold. *Corvinus*, & Simon *Epiſcopius*. Quoniam vero in dicta Collatione nihil ad pacis promotionem effici potuit, minore poſtea numero partes litigantes menſe Februario anni 1613. convenerunt Delfis, & quidem a parte Remonſtrantium Ioannes *Vytenbogardus*, Adr. *Borrius*, Nicol. *Grevinchovius*; a parte Contraremonſtrantium Io. *Bogardus*, Io. *Becius*, & Feſtus *Hommius*. Primum res per colloquium tentata eſt; ſed tandem ſcriptis actum. Et omnia, quæ tunc diſputata ſunt, hoc exhibentur volumine. Tandem vero illuſtres Ordines menſe Ianuario anni 1614. Decretum condidere pro pace Eccleſiarum, iubentes, ne Paſtores ſupra modum ſaperent, ſed ad ſobrietatem, & cum Scriptura ſacra docerent, ſalutem quidem noſtram ex Deo ſolo eſſe, at nos nobismet ipſis exitium accerſere, nullos a Deo homines ad damnationem creatos, nullis a Deo peccandi neceſſitatem imponi, neque a Deo quenquam ad ſalutem vocari, cui ſalutem omnino non dare decreverit, utque ſe porro ad chriſtianam caritatem, concordiam & bona exempla componerent, quo ulteriora diſſidia evitarentur. Vide etiam his de rebus *Limborchium* Relat. hiſtor. de controverſiis in Fœd. Belgio de Prædeſtinat. p. 15. & *Clericum* Tomo II. de la Biblioth. ancienne & mod. p. 145.

X.

Epiſtolica diſceptatio de fide iuſtificante, noſtraque coram Deo iuſtificatione, Sibrandum LVBBERTVM inter & Petrum BERTIVM. Delphis Batavorum 1612. Diſceptatur autem de

hoc: An fides a Deo habeatur pro omni legis iuſtitia, quam nos præſtare tenebamur, adeoque an ipſe actus fidei ſeu τo credere imputetur in iuſtitiam, ſenſu proprio? Ait hic, negat ille. De *Bertii* autem mente vide Reſponſionem *Remonſtrantium* ad Epiſtolam Miniſtrorum walachrianorum. p. 86. ac nota, quod ſcribit Io. Arnold. *Corvinus* P. I. Reſponſionis ad Notas Io. Bogermanni p. 66, mala fide actum eſſe a Lubberto, quod truncatas illas litteras, citra voluntatem eius, cuius maxime intererat, (Petri Bertii videlicet) vulgaverit.

Diſceptatio ſcholaſtica inter Nicol. GREVINCHOVIVM & Guil. AMESIVM de Arminii ſententia, qua electionem omnem particularem fidei prævifæ docet inniti. Cum ESTEII Oratione, qua certitudinem gratiæ non ἄεγον λόγον eſſe probat. Amſtelodami 1613.

Nicolaus *Grevinchovius*, paſtor roterodamenſis, unus ex Remonſtrantibus, pridie eius diei, quo citati erant alii Remonſtrantes ad Synodum dordracenam, miniſterio ſuo publico exutus fuit, atque ideo non admiſſus, qui publice in Synodo verba faceret, hoc tamen Remonſtrantibus concedebatur, ut privatim eius æque, ac Goulartii opera uterentur. Anno 1619. citabatur Hagam, ſed, Io. *Vytenbogardi* conſilio, non ivit, verum excuſatione uſus actutum ſeſe proripuit, fugitque Fridericopolin Holſatiae. Reſponſionem eius ad brevem Remonſtrantiam, quam Deputati Synodi fecerunt A. 1626. in Conventu illuſtr. Ordinum Hollandiae, Carolus *Niellius* laudat, ut brevem, claram & ſolidiſſimam: ſcripſit etiam Apologiam publicam & privatam. Vide Epiſtolas eccleſiaſt. *præſtantium & eruditor. virorum* p. 516. 583. 954.

Guilielmus *Ameſius*, natione anglus, doctor & profeſſor theologiæ franequeranus, conſignavit Lectiones in pſalmos, Medullam theologicam, Explicationem utriusque epiſtolæ S. *Petri*, Chriſtianæ catecheſeos ſciagraphiam, *Bellarminum* enervatum, Caſus conſcientiæ, Coronidem ad *Collationem hagienſem*, Antiſynodalia, ſeu Animadverſiones in ſcripta ſynodalia *Remonſtrantium* circa Articulum primum, Diſputationem de incarnatione Verbi contra *Socinianos*, & aliam contra Metaphyſicam, obiitque A. 1639. *Witte* Diar. biograph. O o.

Digitized by Google

Eſteius, qui ſub finem ſeculi XVI. Cantabrigiae claruit cum celebri *Whitakero*, eoque uſus eſt valde familiariter, hic ab *Ameſio* in Præfatione vocatur illuſtri laude conſpicuus; & in rubro, theologus ſummus.

REMONSTRANTIVM Epiſtola ad exterarum eccleſiarum reformatos Doctores, Paſtores, Theologos, contra Epiſtolam Miniſtrorum walachrianorum. Lugduni Batavorum 1617. Sententiam illi ſuam de prædeſtinatione & annexis ei capitibus exponunt, & enati aliquot retro annis ob hæc ipſa in eccleſiis belgicis, ac in dies magis magisque gliſcentis diſſidii fontes cauſſasque aperiunt. Eſtque adeo hæc Epiſtola reſponſio ad Epiſtolam Walachrianorum, & ſicut hæc, ad ſingulos directa eſt, ſtatumque controverſiæ in V. capitibus, a Remonſtrantibus aſſertis, proponere nititur, & exterorum theologorum de iis iudicium exquirit, nec non conſilium tanto, ut aiunt, malo adhibendum poſtulat; ita illa ad omnes & univerſas reformatarum eccleſiarum Doctores, immo & ad quosvis, veritatis ac pacis eccleſiaſticæ cupidos ſcripta eſt, & quidem hunc in finem, ne Remonſtrantes, ante perceptam cauſſæ ſuæ defenſionem, maximorum forte virorum præiudiciis gravarentur. In fine annectitur & ipſa *Walachrorum*, hoc eſt, paſtorum eius inter Seelandicas inſulæ, quam Walachriam vocant, Epiſtola.

XI.

Io. Arnoldi CORVINI Reſponſio ad Io. *Bogermanni* Annotationes, quibus vindicatam ab Hug. Grotio Pietatem illuſtrium Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiae denuo impugnauit. Lugduni Batavorum. 1614. Sunt huius Reſponſionis Partes II. quarum priore auctor demonſtrare ſatagit, Grotium, non ut Vorſtium, ſed ut Ordines in re Vorſtii purgaret, curæ habuiſſe; poſteriore autem eorundem Ordinum decretum pro pace eccleſiarum, ſententiæque Remonſtrantium de prædeſtinatione & appendicibus tolerantia, anni 1614. menſe Ianuario conditum, pluribus defendit, oſtendens pariter, qua techna utatur Bogermannus, qui ſub larva impugnationis Grotii, ipſos illuſtriſſimos Ordines, quorum cauſſam Grotius egerat, callide ac proterve impetat. In Epiſtola dedicatoria narrat Corvinus, in Belgio ab ipſo reformationis initio

Digitized by Google

ſuper prædeſtinationis negotio diverſiſſima iudicia emicuiſſe, ſed tandem Ordines prudentiam & æquitatem adhibuiſſe, ut nunquam paſſi ſint, quenquam paſtorem, cetera innocentem, ob diſſidentem de prædeſtinatione ſententiam, a communione aut ſacro miniſterio ſegregari. In Præfatione autem potiores antagoniſtæ oppoſitiones, ad quas in libro ipſo fuſius reſpondet, proponit ac ſolvit, &, quid *Grotius* in Pietate ſua probandum ſuſceperit, quodque Remonſtrantes cum Semipelagianis nihil commercii habeant, oſtendit.

Petri BERTII Apologeticus ad fratres Belgas, in quo calumniæ crimen ipſi a Io. *Piſcatore* impactum diluitur. Lugduni Batavorum 1614. Bertius in Epiſtola, nomine heredum Iac. Arminii ad illuſtres Provinciæ ultraiectinæ Ordines directa, quum Collatio eius amica cum Fran. Iunio in vulgus mittenda eſſet, eos eccleſiæ doctores, qui ſcribere non verentur, *Deum homines hoc conſilio condidiſſe, ut non tantum labi poſſent, ſed etiam ut re ipſa laberentur, quippe quum non niſi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos ſuos principales*, comparaverat cum TIBERIO Cæſare, qui, ſi vellet virginem quandam ſtrangulari, quod quidem patrio more nefas erat, eam prius vitiari iuſſit a carnifice, atque ad oram libri, ubi de doctoribus agit, *Piſcatorem adverſus Schafmannum* notaverat. Hoc vero *Piſcator* dicit eſſe *calumniam*, eamque *atrocem*, doctrinæ ſuæ impactam. Itaque iam Bertius contra accuſationem iſtam ſe tueri ac defendere nititur. Et in Præfatione quidem agit de vario diſputandi modo, de officio theologice diſputantium, deque recta controverſias theologicas iudicandi ratione, ipſi autem Apologetico præmittit Canonem eccleſiaſticum Provinciæ ultraiectinæ A. 1612. d. 24. Auguſti de moderatione a Paſtoribus obſervanda in tractandis materiis prædeſtinationis, item Decretum illuſtr. Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ A. 1614. m. Ianuario, cuius ſupra facta eſt mentio, de pace & moderatione exercenda.

Preſſior declaratio, ſive narratio proceſſus omnis obſervati a Paſtoribus eccleſiarum, quos REMONSTRANTES vocant, in diſſidiis iſtis eccleſiaſticis, uſque ad annum 1612. Lugduni Batavorum 1615. Continet ipſorum defenſionem adverſus accuſationes,

Con-

Contraremonſtrantiæ libello comprehenſas inCollationis hagienſis pagina 13. & ſequentibus, cum utili inſtitutione omnium veritatis & pacis ſtudioſorum. Accuſationum autem capita hæc erant: Remonſtrantes pravam adferre doctrinam, & proceſſus inſtituere iniquos: novam enim illorum eſſe doctrinam, eiusque capita V. obtuliſſe illuſtribus Ordinibus, quæ ipſi nunquam antea, in ullo cœtu Synedriorum ſuorum, conventuve claſſico, cum ceteris Paſtoribus communicaverint, aut ad diuini verbi regulam examinanda dederint; adhæc tali contentionum ſtudio flagrare, quod factiones ac ſeditionem concitet. Quidam etiam Contraremonſtrantium temperare ſibi non poterant, quin Dordrechti curarent typis evulgari exemplar cuiusdam *Remonſtrantiæ*, quam, falſo licet, dixerunt in Actis Collationis hagienſis omiſſam aut neglectam, nec veritus eſt Reginaldus *Donteloķius* Delfis edere libellum quendam (*Præfatoru* ſunt verba) ineptum, qui Examen dicitur cauſſarum iſtius diſſidii; tametſi eum publice Magiſtratus delfenſis reiecerat. Hiſce machinis Remonſtrantes opponere voluerunt Preſſiorem hanc declarationem, ut ſeriem modumque in deliberationibus & actionibus ſuis, a ſe & aliis huc usque obſervatum, patefacerent, harumque omnium rerum fontes aperirent, ſperantes, quemvis ex eius lectione deprehenſurum, ipſos nihil aliud quæſiviſſe, quam quod ratione muneris ſui quæri debebat; ceterum optant, ut ſua opera minus ubique diſputationum ſit, plus ſtudii autem placendi Deo: pietatem enim, quemadmodum id aperte liqueat, peſſum abire, & timorem Dei agmine iſto tot diſputationum contentionumque opprimi.

Caſp. BARLAEI Diſſertatiuncula, in qua aliquot batavicorum theologorum & eccleſiaſtarum male ſana conſilia & ſtudia iuſta orationis libertate reprehenduntur. Lugduni Batavorum 1616. Nimirum declamat contra calumnias Contraremonſtrantium, & IV. ordines conſtituit hominum male feriatorum, quorum alii publico cauterio inurant famam & venerationem potentiſſimorum Hollandiæ Ordinum, ut *Lubbertus*, *Bogermannus*, *Sladus*, *Sopingius*; alii rabioſis libellis in illos invehantur, qui illatam optimis Rectoribus iniuriam, qua voce, qua ſcriptis fortiter propulſant, ut præter dictos Vincentius *Drillenburgius*, & Iac. *Triglandus*; alii ne mortuis quidem parcant, ut *Sladus* Eraſmo,

 Smou-

Smoutius Melanchthoni; alii in Remonſtrantes ipſos agminatim irruant, multa de iis falſa confingant, recteque dicta tanquam hæretica traducant, ut præſenti Diſſertatiuncula propoſitum eſſe ait, 1. ut, quomodo gliſcentes adhuc inimicitiæ ſopiri queant, advigiletur; 2. ut de Remonſtrantium inſtituto, ac inſtituti æquitate toti mundo conſtet.

Nicolai GREVINCHOVII Apologia publica & privata. Roterodami 1617. Eſt, uti præ ſe fert titulus, abſterſio calumniarum Adriani *Smoutii*, quibus in ſuo Grevinchovio, ut inſcribit, heautontimerumeno, illuſtres Ordines ac pleraſque civitates Hollandiæ, nec non Remonſtrantes, eorumque patronos, ſocios, aliosque cum iis pacem colentes, nominatim vero Nicol. *Grevinchovium*, in odium atque invidiam orbis chriſtiani adducere fatagit. Vbi non nulla quoque de poteſtate chriſtiani Magiſtratus in rebus eccleſiaſticis, de prædeſtinatione & providentia Dei circa malum, de gratia & libero arbitrio parodice delineantur.

XII.

Caſp. SCHVVENCKFELDII Volumen ſcriptorum germanicorum: 1) de adoratione Chriſti. A. 1594. Non Patrem duntaxat, ſed Chriſtum etiam, filium eius, ſecundum totam perſonam, utraque natura conſtantem, adorandum, & divino cultu afficiendum eſſe. Removet etiam duplicem errorem, qui ſibi imputatur, quaſi ſtatueret 1. exæquationem utriusque in Chriſto naturæ. 2. Chriſtum non poſſe participem reddi divinæ & cæleſtis gloriæ, niſi proprietas unius naturæ eſſentialiter communicetur cum altera. 2) Expoſitio pſalmi 133. In qua docetur 1. de chriſtiana concordia. A. 1547. 2. de unctione Chriſti. 3. de rore ſpirituali. 4. de duplici Dei benedictione. 3) De cibo vitæ æternæ; item de vero ſenſu capitis VI. euangeliſtæ Ioannis, & cœnæ Domini. A. 1547. 4) Explicatio evangelii *Lucæ* XVI. 19-31. de divite & Lazaro. A. 1596. 5) Epiſtola ad Paſtores de oratione, eiusque quadruplici diſcrimine, & XII. partibus, quæ ad chriſtianam orationem requiruntur. A. 1547. 6) Depulſio maledictionis *Lutheri*, quæ primum edita fuit a Matthia *Flacio* illyrico contra Schwenckfeldium. A. 1555. Maledictio iſta, anno 1543. ſcripta, atque hic repetita, exſtat etiam Tomo IIX. Operum ienenſium germanico-

rum

rum Lutheri p.173. atque ita ſonat: *Increpet Dominus in te, ſathan. Et ſit ſpiritus tuus, qui vocavit te, & curſus tuus, quo curris, & omnes, qui participant tibi, Sacramentarii & Eutychiani* (horum loco *Illyricus* poſuit: Zvingliani) *tecum, & cum veſtris blaſphemiis in perditionem, ſicut ſcriptum eſt:* Currebant, & non mittebam eos, loquebantur & nihil mandabam eis. Imputat ei quoque eutychianiſmum & creaturalitatem, ipſumque vocat furioſum ſtultum, atque a diabolo obſeſſum, nec quid blateraret ſcientem, ac longe iubet eum faceſſere cum ſuis libellis, quos diabolus ex ipſo evomat, & cacando egerat. Hanc igitur maledictionem Schwenckfeldius non tantum a ſe depellit, verum etiam ſententiam ſuam de S. cœna, Chriſtum in ea ſpiritualiter & ore fidei ſumi, promit, vocationem & doctrinam ſuam exponit, ſeque ſponte currentem, falſum prophetam, & eutychianum aliive hæreſi addictum eſſe negat. 7) Iudicium de Io. *Brentii* doctrina de S. cœna, quæ legitur in eius Catechiſmo; item de eius ſcripto in cauſſa Andr. *Oſiandri* de iuſtificatione; & Refutatio tractatuli, qui inſcribitur Reſponſio ad Schwenckfeldii petitionem: cui etiam *Brentius* ſubſcripſit. A. 1558. Multus hic ſermo eſt de S. cœna, & ſenſu verborum eius, atque in Appendice concordiam negat iniri poſſe inter Wittebergenſes & Oſiandrum, cum utrique, ipſius opinione, errent: negat etiam iuſtitiam imputatam, & in chriſtianitate differentiam perſonarum.

XIII.

Philippi Theophraſti PARACELSI Drey verſchiedene tractætlein, Tres diverſi tractatuli. Francofurti ad Mœnum 1619. Sunt autem 1. Commentatio in epiſtolam S. Iudæ. 2. Sermones VII. in antichriſtos & pſeudoctores. Quibus annexi ſunt V. alii in incantatores, & Præfatio atque explicatio in epiſtolam S. Iacobi & Iudæ. 3. Explicatio verborum: *Surſum corda*. Primus eorum monſtrat vera apoſtolica veſtigia, e quibus verus chriſtianus dignoſci poteſt: ſecundus docet, antichriſtum in V. & N. T. eſſe pſeudo-doctores, qui in externis hærent, hypocritas agunt, nec faciunt, quod Chriſtus præcepit: tertius modum oſtendit, quo ſemper corda noſtra ad Deum debeamus attollere, nec quærere ea, quæ ſunt in terris. Philip-

Phil. Antonius (nam & hoc habuit prænomen) Theophraſtus *Paracelſus*, ab Hohenheim, alias *Bombaſt* dictus, natus Einſidelii in Helvetia, patre medico, ſtudio & ipſe medico, quin etiam theologico, in quo honores doctorales conſecutus eſt, conſecratus, Baſilii *Valentini* & Sigismundi *Fuggeri* diſcipulus, peracta longa per Germaniam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Moſcoviam, Aſiam, Arabiam & Aegyptum peregrinatione, in qua multa præclara obſervavit, editisque artis medicæ haud vulgaribus ſpeciminibus Baſileæ ad profeſſionem phyſices & chirurgiæ vocatus fuit. Hanc provinciam ille adeo dextre, adeo excellenter adminiſtravit, ut poſt breve temporis ſpatium per fieret celebris, & magno auditorum confluxu auſcultaretur. Sed cum pro medicina canonicus quidam iuſtum ei ac promiſſum pretium non ſolviſſet, & iudex, a partibus ingrati huius ſtans, ſoſtri iuſto minorem ſummam definiviſſet, ille autem iniquitate iſta ad iram commotus, atque hoc affectu præpeditus convicium iudici dixiſſet, facile prævidere poterat, res ſuas non amplius hic in vado eſſe, ſed metuenda ſibi a potentiori adverſa & pericula. Ea igitur ut præcaveret, amicorum conſiliis aures præbens, in Alſatiam abiit, ibique reliquum vitæ tempus medicando conſumſit, donec A. 1541. mortis imperio, quod in multis ægrotis arte ſua ad tempus eluſerat, Salisburgi ſubiiceretur, poſtquam vixit annos 48. Galenicis, fateor, principiis non erat deditus, ſed potius chemicis, quippe qui a *Valentino* ſuo didicerat, plurima corpora deſtillando in oleum, aquam & ſalem reſolvi poſſe, & in epitaphio laudatur, quod in primis lepram, arthritidem & hydropem curare & abigere ſciverit. In phyſicis, medicis, & ſacris plurima ſcripſit, ſtilo quidem incomto & agreſti, ac ſine ordine, ideoque Severinus *Danus* Syſtema inde concinnavit: neque ipſe opera ſua edidit, ſed alii, A. 1658. tribus voluminibus in folio. Et hanc ob cauſam non omnia, quæ in eius ſcriptis leguntur, præſertim in theologicis, ad vivum ſunt reſecanda, ſed benigna ſublevanda interpretatione. Sunt, qui ei non ultimum inter Myſticos & Theoſophos locum tribuunt; ipſe autem dictis & factis egregia pietatis ſuæ iudicia dedit, dum fundamentum doctrinæ ſuæ conſtituit ſcripturam ſacram, & lapidem angularem fulcivit oratione, fide & imaginatione, veramque medicinam IV. inniti columnis, Phyſice videlicet, Aſtronomiæ

Digitized by Google

nomiæ, Chemiæ, ac Pietati, pronunciavit, & moribundus bona ſua legavit egenis ac pauperibus: tantum abeſt, ut atheus fuerit, & magus, atque colluſor diaboli. Melch. *Adamus* in Vitis medicorum p. 28. *Kœnig* 607. *Craſſus* Elogior. P. II. 45. *Arnold* Hiſt. eccl. & hæret. P. II. 3 2. *Lexicon univ. hiſtor.* P. IV. 118. *Magirus* 637. *Pope-Blount* 597. *Acta erudit.* A. 1712. 133. *Morhof.* Polyhiſt. T. I 100. T. II. 266. *Thomaſius* Colloq. menſtr. A. 1689. 47. *Struvius* Biblioth. philoſoph. 33. *Bibliothecarius nulli parti addictus* T. I. 88. *Naudæus* Apologie pour les grands hommes ſoupçonnez de magie c. 14. & *Crenius* de furibus librar. 106.

Pauli FELGENHAVERI Verantwortung, Apologeticus contra invectivas æruginoſas Georgii *Roſtii.* 1622. Et quidem ad eius Heldenbuch vom Roſengarten, ſive Librum heroum de roſeto, in quo ille auctoris huius Speculum temporis aggreſſus eſt, & præcipue doctrinam de futuro Chriſti regno infringere & evertere ſuſtinuit.

Paulus *Felgenhauer*, Puſchwitzenſis bohemus, nulli ſectæ addictus, ſed pro euangelico ſe venditans, ac theoſophiæ diſcipulo, & gratia Dei vocato in teſtimonium Ieſu Chriſti, negansque, ut e proœmio huius ſcripti patet, ſe eſſe enthuſiaſtam, anabaptiſtam, chiliaſtam, (quia S. *Ioannes*, quem ſequatur, non vocetur chiliaſta) ſomniatorem, & cœleſtem prophetam, nullum ſuſcipere munus voluit, tempore autem perſecutionis patriam reliquit, & in bremenſi, atque hanoverana terra a paſtoribus quibusdam fanatiſſimi, ſi non hæreſeos, accuſatus, in carcerem coniectus fuit. Inde autem dimiſſus, iterum in exilio oberravit, anno videlicet 1623. Præter *Roſtium* nactus eſt etiam adverſarios Wilh. *Heinium*, Matth. *Kregelium*, Io. *Rudeckerum*, & D. *Hoë*. Scripta eius, ab Orthodoxis improbata, omnia germanica, ſunt ſequentia: Speculum temporis, Chronologia, Chriſtianus Chriſtianorum, Prodromus euangelii æterni, ſive Chilias ſancta, Aurora ſapientiæ, Proaulion, Sanctum, Sanctiſſimum templi Domini, Speculum ſapientiæ, Epiſtola ad paſtores & oves quarumvis ſectarum, Speculum monarcharum, Apologia chriſtiana in puncto de perſona Chriſti, (in qua ſtatuit, Chriſtum hominem non eſſe creaturam) Informatorium catecheticum, Harmonia ſapientiæ, Sphæra ſapientiæ, Theanthropologia,

Digitized by Google

logia, Sermo de S. cœna, Speculum baptiſmi, Myſterium magnum, Perſpicillum bellicum, Lucerna ſapientiæ adverſus *Photinianos*, Phares, Poſtillion, Eccleſia catholica, Probatorium theologicum, Refutatio paralogiſmorum *Socinianorum*, Palma fidei, Schola paſſionis, Novum lumen fidei & religionis, & Nova coſmographia cum dimenſione circuli. *Arnold* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. III. 55.

EIVSDEM Diſexamen, ſeu Examen Examinis Roſtiani. 1623. Eſt reſponſio ad Examen Roſtianum contra eius Apologeticum, de quo ante diximus. Atque in ea negat ſe reiicere SS. Biblia, eorumque litteram, ſtudium linguarum & ſcientiarum, ſcholas, lectionem & meditationem Scripturæ; deque vocatione ſua, quæ divina ſit, teſtaturus, XII. adfert τεκμήρια atque indicia, unde quem ex Deo natum, atque ab ipſo vocatum eſſe pateat: nimirum talem debere eſſe 1. ſolius Dei, non ſectarium. 2. apprehendere media divina. 3. non opus habere philoſophia, quippe quæ in ſpiritualibus cæca ſit. 4. nec doctoribus, niſi ſint ſancti viri dei. 5. inimicum eſſe rerum ſæcularium. 6. non metuere ullum hominem, ſed libere coram omnibus profiteri veritatem. 7. non opus habere inunctione & conſecratione, quæ fit ab hominibus. 8. non ea agere, quibus placeat mortalibus. 9. ſuo exemplo cuivis præire ad bonum. 10. omnia poſſe indicare ſpiritu Dei. 11. nec ultra iudicium ſuum proferre, quam ipſius vocatio & dona permittant. 12. nihil maioris æſtimare, quam caritatem, quæ omni præſtet ſcientiæ.

Adolphi HELTI Apoſtoliſche zeitlehre, Chronologia apoſtolica de una, ſancta catholica & apoſtolica eccleſia. 1646. ut videtur, Hamburgi. In Præfatione indicat 1. cauſſas, quæ ipſum permoverint ad librum hunc ſcribendum: 2. eius partitionem. Cauſſas ait eſſe neceſſitatem cognoſcendi veritatem Dei, mandatum Dei, (quia hoc ſcriptum ſit neceſſarium Chriſtianis, ut ad notitiam veritatis veniant) & utilitatem fructumque doctrinæ, quæ ab apoſtolo tradatur 2. ad Theſſal. 2. Partitionem facit quinquemembrem: nam in prima parte interpretatur verba apoſtoli in prædicto capite 2. poſterioris epiſtolæ ad Theſſolonicenſes: in ſecunda oſtendere prætendit, apoſtolicam eccleſiam a gloria ſua decidiſſe: in tertia, Deum per Io. *Huſſum*, ſpiritu oris Chriſti anti-

chri-

chriſtum profligaſſe: in quarta, eundem per *Lutherum* penitus interemiſſe: in quinta, Deum in ſacerdotio ſuo iam finem feciſſe antichriſti, & gloriam domus ipſius incipere revireſcere.

Adolphus *Helt*, ſtadenſis, natus A. 1592. in paſtoratu patriæ urbis, ad quem vocatus fuit A. 1626. præcipue id egit, ut, ſecundum ductum Veri chriſtianiſmi Io. *Arndii* ſolicite traderet doctrinam de pœnitentia & confeſſione peccatorum, iuſtitia fidei, regeneratione & imitatione Chriſti, donec per ſpiritum *Ezechielis* prophetæ & *Ioannis* apoſtoli crederet ſibi revelari myſterium M. annorum, quibus pii ſint regnaturi: & vixit adhuc anno 1649. quo iam munere ſuo, præcipue propter editum novum Catechiſmum, quem calviniſmi accuſabant, exutus erat, atque ultra ſine dubio; mortuus autem eſt Altonæ. Vide *ipſum* hoc in libro p. 532. 633. *Conſilia theolog. vvitteberg.* p. 786. 799. & *Arnoldum* P. III. 123. Atque ex hoc diſces, Heltum etiam ſcripſiſſe Vniverſalem Ieſu pacem in communi eius & peculiari cœna, Prædicationem æterni euangelii, &, ſub nomine Eliæ *Praetorii*, Examen actorum euangelici alicuius ſacerdotis aduerſus ſacerdotes euangelico-lutheranos.

EIVSDEM Offenbahrung, Apocalypſis prophetæ *Ezechielis*. 1649. Eſt explicatio illius prophetæ a capite quarto usque ad finem, ſecundum principia Chiliaſtarum.

Vnpartheyiſche cenſur, Media cenſura & ulteriora magni momenti iudicia de Io. Henr. *Biſterfeldii* explicatione loci Danielis VII, 13. de filio hominis. 1644. Illa explicatio reperitur in Myſterio pietatis contra Io. *Crellii* librum de uno Deo Patre, & in hoc conſiſtit: Filium hominis ibi non eſſe Ieſum Chriſtum, ſed populum ſanctorum, cui regnum in his terris tribuatur, & fortaſſe in eo pium quendam regem, quo Chriſtus in hoſtibus eccleſiæ exſtirpandis, eaque mirabiliter liberanda uſurus ſit. Et in fine capitis idemmet *Biſterfeldius* ait: Hæc viſio Danielis agit de illo Chriſti beneficio, quo antichriſto funditus exſtirpato, Iudæisque miraculoſe ad ſe converſis, eccleſiam ab externorum hoſtium tyrannide liberatam, & ex uniuerſi orbis populis, ne Americanis quidem exceptis, collectam, ſartam tectam in hoc mundo conſervabit, donec eam ad ſe in cælum, æternum illud regnum, traducat.

Io. Henr. *Biſterfeld*, Principis Tranſilvaniæ theologus, ſcripſit etiam Phoſphorum catholicum, ſeu Epitomen artis meditandi, laudatum a *Leibnitio* apud *Morhofium* Polyhiſt. T. II. lib. II. 392. & floruit circa medium ſæculi XVII. De eo vide *Crenium* Animadverſion. P. I. 29.

XIV.

Chriſtiani THEOPHILI Zweyfaches Tractætlein, Dyas myſtica ad monadis ſimplicitatem, de hominis compoſitione ex tribus partibus eſſentialibus, & diſcrimine duarum præcipuarum ſpecierum fidei. Chriſtianopoli 1600. Hominis partes eſſentiales ait eſſe Spiritum, Animam & Corpus; & Spiritum quidem verſari circa ſublimia & divina, Animæ facultates eſſe imaginationem & rationem, Corpus exſequi ea, quæ Spiritus & Anima agenda præſcribant; fidei autem ſpecies eſſe duas, Humanam, & Divinam; illam a Natura proficiſci, hanc a Gratia. Præmittitur bene longa Præfatio, in qua exponere conatur viſiones S. *Ioannis*, quæ deſcribuntur *Apocal.* capite 17. & 13. de meretrice magna & duabus beſtiis, ſibi perſuadens, conſiderari illas poſſe ſenſualiter, rationaliter, & mentaliter, ac primo quidem modo ſignificare utrumque antichriſtum, ſpiritualem ac temporalem: ſecundo eccleſiam hypocryticam, quæ chriſtianam ſe eſſe, ac fidem in Chriſto ponere venditat, ſed operibus fidei deſtituitur, & tantum in externis hæret: tertio quemvis, qui animalis eſt, atque in Adamo eſt & vivit, a ſpiritu Dei autem duci ſe non patitur. Et in fine Præfationis promittit auctor Triadem myſticam: videlicet 1. Cryſtallum pellucidum, per quod academiam perſpicere poſſumus cœleſtem. 2. Librum vitæ cum VII. ſigillis, in quo quilibet fidelis nomen & nativitatem ſuam annotata reperiet: cum hodegeta, quomodo vitam inſtituere ſuam debeat. 3. Speculum myſticum, in quo te uſque ad intima cordis poſſis cognoſcere, immo & pervidere, Deine, an belialis ſis filius, & utrum in cœlum, an infernum venturus.

Chriſtianus *Theophilus*, qui ſanioris ſe fraternitatis Chriſti collegam appellat, in ſæculi XVII. initio floruit; ſed quis fuerit, non liquet.

Gra-

Gratiani Amandi *de* STELLIS Chriſtlicher diſcurs und betrachtung, Oratio & conſideratio ſpiritualis, quænam pietas, & qualis caritas requiratur. Oppenhemii 1618. Pietatem autem ſic concipit, ut dicat, eam eſſe quietem, quam Deus per Chriſtum & ſpiritum ſuum in homine operetur, ita ut hic per veram fidem omni ſe creaturæ, immo tandem ſibimet ipſi ſubducat, ſive mundum ſeque abneget; nec aliter creaturis & externis utatur, quam in quantum in Scripturis revelatum & permiſſum eſt, idque præcipue in honorem Dei, cui totum ſe dicet & conſecret, quemque ſolum audiat. Caritatem vero poſtulat veram, ac ſinceram erga Deum & proximum; nec partialem erga hunc, ſed univerſalem, & conſtantem ac perpetuam. Atque in fine huius tractatus commendat hac de re legendos *Staupizium*, *Arndium*, Valent. *Weigelium*, *Taulerum*, *Taffinum*, & Ioannem *von Munſter* in Vortlach.

Gratianus Amandus *de Stellis*, qui doctorem ſe, & archipalatinum vocat, quicunque fuerit, unus fuit e ſocietate Fratrum roſeæ crucis, id eſt, eorum, qui pietati ſtudent, eamque in aliis plantare & fovere cupiunt, vixitque in adoleſcentia ſæculi XVII.

Prodromus euangelii æterni, ſeu Chilias ſancta 1625. Quo auctor operam dat, ex SS. litteris ut probet, exſpectandos eſſe M. annos ſabbati & requiei populi Dei in regno Chriſti, cum univerſali converſione omnium Iudæorum, & X. tribuum Iſraëlis. Additur Fidelis admonitio, quomodo ſapienter quivis ad hoc tempus ſe ſe præparare, eique ſervire debeat. Auctor huius ſcripti, teſtibus *Placcio* de anonymis p. 92. *Peterſenio* in Nube teſtium veritatis lib. III. 32. & *Arnoldo* P. III. 55. eſt Paulus FELGENHAVER. Quid? hic ipſe id fatetur Apologetici p. 3.

Erkentnis der groſſen phantaſterey, Cognitio magnæ ſtultitiæ, ſeu antichriſtianæ occæcationis eorum, qui ſe & alios ſibi ſimiles, ex falſa opinione, pro Chriſtianis, Spiritualibus & Chriſti Vicariis venditant, aliosque, quos Idiotas & Seculares ſeu Mundanos vocant, ſalvare præſumunt, atque ita veros Dei filios, ipſorum ambitioni ſe ſe non ſubiicientes, conviciantur, hereticos declarant, condemnant, perſequuntur, ex urbibus & terris ſuis eiiciunt, aut ſupplicio tollunt, putantque, magnum ſe Deo gratiſſi-

mumque cultum præſtare, ſi zizania; ut ipſis quidem videtur, eradicent atque evellant. Cum Cognitione magnæ meretricis, eiusque amaſiorum, de quibus Spiritus Dei teſtatur. Ad prius illud probandum auctor hæc adfert: Omnes fideles debere ſpiritum habere Chriſti, & eſſe ſpirituale ſacerdotium, ſanctumque Dei populum; neque tamen eos improbare aut reiicere congregationes, quæ fiant in unitate Spiritus, ſive in templis lapideis, ſive in domibus ligneis, ſive ſub cælo, dum modo fiant in unitate Spiritus, eosdemque firmum tenere ligamen perfectionis, ſeu caritatem, qua etiam inimicos diligant, eosque beneficiis afficiant. Multos autem Paſtores, qui, tumore opinionis, ſe ſe Spirituales vocandos eſſe, efferantur, ita vivere, atque ea operari, ut ſatis pateat, nec ſpiritum Chriſti in ipſis habitare, nec caritatem chriſtianam. Poſterius autem hoc modo explicat: *Magnam meretricem* eſſe paſtores in ſectis, qui ſpirituale coniugium in hoc credant conſiſtere, quod ad populum in eccleſiis congregatum verba faciant, infantes baptizent, confeſſiones ſecreto audiant, & ſacram cœnam porrigant, atque ita ſe generare filios parochiæ, filios baptiſmi, filios confeſſionis: eos vero, qui neglecto Chriſto, eiusque ſolicita imitatione, ſic dictis Chriſti miniſtris ſeu paſtoribus adhærent, tanquam patribus ſuis ſpiritualibus, nomina ab illis ſibi imponunt, aliosque propter ſententiam & cultus ſacri diverſitatem perſequuntur, atque interim ſecundum deſideria carnis ſuæ ambulant, nihilque minus, quam Chriſti ſanctiſſima præcepta obſervant, *amaſios* eſſe *magnæ* illius *meretricis*.

Danielis FRIDERICI Chriſtliche und nützliche fragſtücke, Chriſtianæ & utiles quæſtiones de doctrina Dei. 1643. Quod nempe omnes Chriſtiani, a maximo ad minimum, quivis tamen pro ſua menſura, a Deo debeant eſſe edocti, & quo illud modo fiat; neque tamen propterea externas congregationes & informationes publicas omittendas: cum aliis utilibus punctis fidei chriſtianæ. *A Deo* autem *doceri* auctori idem eſt, quod ſentire & experiri ſpiritum & vitam in corde, interne illuminari, agi, moveri, teſtimonio convinci, & vivificari; immo a Patre trahi, a Chriſto apprehendi, in eoque firmari, conſolidari, lætitia affici, plantari & ex Deo renaſci. Et omnes Chriſtianos oportere ait eſſe doctos

a Deo,

Digitized by Google

a Deo, quia omnes Dei regnum, Dei ſemen, Chriſtique ſpiritum & vitam in ſe debeant habere, atque in iis quotidie perfectiores fieri. In rubro hæc etiam legitur Admonitio ad Lectorem: *Hae ſape legito, præcedente devota oratione; & poſtea indica ſecundum ſenſum ſpiritus, & teſtimonium S. ſcripturæ.*

Daniel *Friderich*, antehac paſtor eccleſiæ Kirchhartinæ in Palatinatu inferiore, adeoque remotus, ſine dubio, quod iudicaretur eſſe enthuſiaſta & fanaticus, floruit circa medium ſæculi XVII.

Io. VILITZII Chriſt- und Königliches Prieſterthum, Chriſtianum regale ſacerdotium. Halberſtadii 1664. Recuſum Francofurti A. 1671. auſpiciis & conſilio *Speneri*. Sunt Conciones III. in 1. *Pet.* 2, 9. ſæpius inſcio auctore editæ, nunc autem ab eo recognitæ, auctæ, & cum cenſuris ſive adprobationibus piorum & doctorum virorum publicatæ. Et hæc augmenta cum Cenſuris ſub nomine Continuationis Regalis ſacerdotii ſeorſum acceſſerunt. In concionibus autem id agit auctor, ut oſtendat, 1. omnes & ſingulos Chriſtianos revera eſſe ſpirituales & regales ſacerdotes, & tamen obligatos ad maiorem in chriſtianiſmo & ſacerdotio ſuo fervorem ac zelum oſtendendum, quam adhuc a multis factum ſit. 2. In quonam ſpirituale ſacerdotium conſiſtat, ſive quænam requiſita, proprietates & actiones ad illud pertineant. 3. de motivis & cauſſis, cur ſumme neceſſe ſit, ſpirituale hoc, & aliquandiu ſilentio ſepultum atque obliteratum ſacerdotium e carcere quaſi, atque ex inferis in lucem & memoriam hominum revocare, vitam ac ſpiritum ei reddere, atque ad praxin transferre. Judicia autem ſunt Sal. *Glaſſii*, Nic. *Hunnii*, Conr. *Hornei*, Matth. *Mayfarti*, Sam. *Wilhelmi*, Io. *Mochingeri*, Chriſtoph. *Michaëlis*, Mich. *Waltheri*, & Dan. *Bernhardi*, qui omnes opuſculum hoc & laudant, & adprobant. Præterea in Continuatione Regalis ſacerdotii tractatur de Spiritualis ſacerdotii denominatione, eiusque diſcrimine a publico Miniſterio, (quemvis chriſtianum eſſe quidem ſacerdotem ſpiritualem, ſed non ſtatim publicum doctorem, & ſacramentorum diſpenſatorem, niſi ab eccleſia vocetur) & quod fidelis chriſtianus, vi ſacerdotii ſui ſpiritualis, in caſu neceſſitatis, ac defectu ordinarii miniſtri, poſſit catechumenos facere, baptizare, abſolvere, & ſacram præbere euchariſtiam; denique de examine

&

Digitized by Google

& cenſura doctrinarum, quod & hæc competant ſacerdotibus ſpiritualibus.

Io. *Vilitz*, Ratenavia-marchicus, philoſophiæ magiſter, eccleſiæ S. Wiperti apud Quedlinburgenſes paſtor, & rev. Miniſterii ſenior, vir zeli ſpiritus divini, & ſancti fervoris, χριϛοφιλος, χριϛιανοφιλος, & φιλολυθηρος, (ſunt hæc elogia *Glaſſii*, & *Waltheri* in prædictis Cenſuris) de eccleſia eiusque ædificatione præclare ſolicitus, finem laborum ſacrorum fecit anno 1680. cum vixiſſet annos 80. *Spener* Conſil. theolog. lat. P. III. 37. 44. & *Kettner* Hiſtor. eccleſ. quedlinburg. 227.

Erläuterung, Illuſtratio textus Apocalypſeos, factæ S. Ioanni apoſtolo. 1664. Qua breviter oſtenditur, quid ab illo inde tempore impletum, quidque eccleſiæ Dei, orbique terrarum ante diem ultimum exſpectandum ſit. Auctor quidem in hac etiam eſt ſententia, Chriſtum ultimo adhuc tempore, ante aduentum ad iudicium, eccleſiam ſuam in terra glorioſe erecturum, fanaticos tamen ac furioſos illos improbat, qui carnalibus & impiis ſomniis ſuis piam illam doctrinam corruperunt, ac bene monet, punctum hunc non eſſe articulum fidei, ſed quæſtionem hiſtoricam de ſtatu militantis eccleſiæ ante diem extremum, atque adeo quæſtionem de facto, non de iure. Etiam *Brecklingius* ſcripſit Compendium Apocalypſeos reſeratæ.

Ankündigung des gerichtes Gottes, Denuntiatio iudicii divini ad omnes tam ſuperiores, quam inferiores Magiſtratus, eorumque miniſtros tam politicos, quam eccleſiaſticos. Sine loco, die, & conſule. Diſtinguit autem inter Magiſtratus ac Miniſtros pios & impios, iuſtos & iniuſtos, atque his, non illis, horrendas Dei pœnas, magno cum zelo, potiſſimumque verbis ſcripturæ S. denuntiat.

Henr. AMMERSBACHII Euangeliſche Buſs-poſaune, Buccina pœnitentiæ euangelica. Halberſtadii 1663 Ad quosvis, præcipue euangelicos Principes & Magiſtratus in Germania; quibus oſtenditur, ſumme neceſſarium eſſe, ut coniunctis viribus obviam eant epicureis abominationibus, idque facili remedio poſſe fieri, videlicet chriſtiano concilio. Confer eius Cathedram Moſis §. 21. Et ne accuſari poſſet neglectæ erga illos obſervantiæ, & ſub-

& ſubiectionis, ſanctiſſime teſtatur, ſe non eſſe ex illis, qui Poteſtates criminentur, ſed mentis oculos tantum flectere ad evertendas corruptelas chriſtianiſmi, neminemque malo illi meliorem poſſe medelam adhibere, quam eos, quibus divina Sapientia populos commiſerit regendos, idemque docere Theologorum noſtrorum præſtantiſſimos, cetera ſe venerari quam fieri poſſit maxime ſplendidum eorum, atque a Deo ordinatum munus, nec non eos, qui recte illud adminiſtrent, tanquam patres, paſtores, nutricios, capita, & ſoles patriæ, reip. & eccleſiæ, ac Dei vices in terris gerentes, ideoque & Deos dictos.

Henr. *Ammerſbach*, halberſtadienſis, *Friſchmuthi*, Io. *Muſai*, *Maioris*, Io. Ern. *Gerhardi*, & Chriſt. *Chemnitii* diſcipulus, philoſ. magiſter, & paſtor ad SS. Petri & Pauli in urbe halberſtadienſi, multa edidit ſcripta contra ſæculi & eccleſiæ corruptelas, ut, Epiſtolam volantem de furibus & periuris, qui iam, ut olim apud Iudæos, poſſint abſolui, Vlteriorem cultivationem ſocietatis Ieſum amantium, eiusque Extenſionem, Cacum Herculis ſeu pium uſurarium, Diabolum altariſticum, Babylonem ſcholaſtico-myſticam, Deſcriptionem ſpiritu carentium Spiritualium, Nucleum doctrinæ *Tauleri*, Memoriale ad Status Imperii Ratisbonæ congregatos, Examen Cenſuræ *Helmſtadienſium theologorum* de *Hoburgii* Poſtilla myſtica, Memoriale ad Facultatem theolog. helmſtadienſem, Reſponſionem ad Petri Pauli *Pandiſii* Caſtigationem, Promtitudinem ad confeſſionem, Præfationem in Io. Iac. *Fabricii* Diabolum ſanctum, prudentem, & doctum, & Præfationem atque Annotationes in Aeg. *Guthmanni* Apocalypſin: in quibus zelum quidem ſuum erga impietatem, quæ paſſim graſſatur, prodit, interdum tamen nimio fervore agitatur, & hinc multos expertus eſt aduerſarios, nominatim *Wittebergenſes* theologos, nec non *Helmſtadienſes*, *Rinthelienſes*, & *Marpurgenſes*, Io. Conr. *Schneiderum*, Georg. Conrad. *Dilfeldium*, Balthaſ. *Rebhahnium*, & pſeudonymos Pet. Paulum *Pandiſium*, Innocent. *Galenum*, ac *Pretorium* quendam. Nec fieri aliter poterat, quin hoſtes ſibi redderet, quoniam ulcera theologorum & paſtorum tangebat, quamvis diligenter diſtingueret inter Miniſterium ſacrum, eiusque corruptelas, nec non inter Cathedram Lutheri, & doctrinæ, quæ in ea proponitur, depravationem. In primis autem inviſus erat atque ingratus ob doctrinam de regno

gno Chriſti millenario, in Conſideratione præſentis ac futuri temporis propoſitam. Interim, quia tutamine ac patrocinio potentiſſimi Principis ſui fruebatur, nec reformationem ipſe in eccleſia ſuſcipiebat, ſed omnia in ſuo relinquebat loco, factum eſt, ut loco non moveretur; atque ita, ſopitis controverſiis, in ſuo mortuus eſt munere A. 1691. ætatis 59. *Arnold* P. III. c. 14. p. 139. *Spener* Conſil. theolog. latin. P. III. 203. 210. 274. 374. 404. 534.

Bedencken, Iudicium de duobus magnis antichriſtis. 1665. In quo deſcribitur, quid in Papæ, & Turcæ eſſentia & actionibus conſiderandum ſit. Omnia ex diverſis ſcriptoribus collecta, & quidem ex prophetæ *Ezechielis* c. 18. Georgii *Mylii* Concione turcica, Wolfg. *Waldneri* dehortatione ad Germanos, *Lutheri* Poſtilla eccleſiaſtica, Sal. *Geſneri* Concionibus turcicis, Deſcriptione arboris hæreticorum, & Io. Vlr. *Wallichii* Libello de comparatione orientalis antichriſti cum occidentali. Auctor vero, ſive collector præcedentium eſt, ut ipſe fatetur in Præfatione in Conſiderationem præſentis & futuri temporis A, Henr. AMMERSBACH. Eiusdem ſunt Helluo germanicus, Probatum cordis animique receptum, Præſervativum contra peſtem, Formulare precationum adverſus peſtem, & Dialogus iudæi alicuius converſi cum matre.

Geheimnis der letzten zeiten, Myſterium ultimorum temporum. 1665. Quod etiam allegatur ſub titulo Conſiderationis præſentis ac futuri temporis. Auctor eius iterum eſt Henricus AMMERSBACH, teſteſque adpello *Brecklingium* Synag. ſatanæ Z. & D. *Peterſenium* in Nube teſtium veritatis p. 154. Ipſe autem noluit ſe nominare eo, quod in hoc ſcripto de eiusmodi agat myſteriis, quæ huc uſque mundo viſa ſint ridicula, & ne aliis pariter noceat. De quibus igitur rebus? de illuminatione piorum, revelationibus & viſionibus ultimorum temporum, regno Chriſti millenario, valle Ioſaphati, & ſimilibus aliis, & quidem ex *Ioel.* 3 *Apoc.* 20. & *Zach* 14. ut prudentes atque a Deo docti occaſionem ſumant ulteriores inſtituendi meditationes, vulgarem theologorum doctrinam examinandi, infideles Iudæos & Gentiles ad regnum Chriſti ducendi, magnamque & a Deo ad ultima tempora reſervatam intelligentiam inveniendi.

EIVSDEM Rabenſtimme, Cras corvinum. Quedlinburgi

gi 1665. Eſt conſideratio ſeriæ pœnitentiæ, qua ſecuris ſæculi hominibus ex verbo Dei oſtenditur, quam plena periculo alea ſit pœnitentiam de die in diem differre & procraſtinare. Cui annexum eſt Teſtimonium *Facultatis theolog. ienenſis*, datum Ammersbachio noſtro, in quo eum ex illorum eſſe numero, qui eruditionis ac virtutum nomine apud ipſos inclaruerint, & qui bonorum ac honeſtorum virorum gratia digni, iisque commendandi ſint, fatentur.

EIVSDEM Moſis Stuhl, Cathedra Moſis, in qua ſedent Scribæ & Phariſæi. 1671. Contra Doctores, qui ſibi videntur orthodoxi, ſubque hoc ſchemate ac titulo puram & ſalutarem Chriſti, eiusque Apoſtolorum doctrinam criminantur erroneam eſſe Fanaticorum & Hæreticorum doctrinam. - Cum Iudicio de hac quæſtione, An rectum ſit, ſub ſpecie zeli chriſtiani, hunc vel illum librum, ut ſuſpectum, weigelianum, enthuſiaſticum e. r. hominibus e manibus eripere, ſupprimere, eiusque emtionem, venditionem, & lectionem ſub pœna graviſſima interdicere. Ad quam reſpondet negando, & varia Doctorum teſtimonia adfert ſententiae ſuæ probandæ & confirmandæ.

Friderici BRECKLINGII Satans-ſchule, Synagoga ſatanæ. 1666. Qua hodiernis Academiis germanicis antichriſtica ipſarum perverſio, phariſaica hypocriſis, & abominationes epicureæ ob oculos ponuntur. Sed modum excedit auctor, quod acerbius rem iſtam tractat: quamquam §. 12. bene diſtinguat inter pios & impios doctores, inter chriſtianas & vitioſas academias, inter ſtatus eorumque abuſum & corruptionem. Et ſic defendere nititur *Ammersbachii* Myſterium ultimorum temporum, *Seidenbecheri* Chiliaſmum, ſuumque Chriſtum iudicem: denique refutat Io. Henr. *Vrſini* Martum indicem, & *Theologum teutonicum*, qui Admonitionem edidit contra Iuſtinianum de converſione Ethnicorum. De hoc libro vide *Narrat. innoc.* A. 1702. pag. 139. & Ioach. *Langium* in Narrat. ingenuis T. II. 28.

Fridericus *Breckling*, holſatus, qui omnes fere academias Germaniæ inviſit, primum viacariam in concionando operam præſtitit Flensburgi, deinde conſtitutus eſt paſtor zvvollenſis. Ex *Lutheri* & Io. Valent. *Andreæ* lectione, & propria experientia corruptionem eccleſiæ noſtræ, immo trium quaſi Statuum cum co-

cognoviſſet, malo illi medicam adhibiturus manum, multos ſcripſit libros, ut Triumphum veritatis, Speculum paſtorum, Noſce te ipſum, Aeternum euangelium, Annuntiationem iudicii, Anatomiam mundi, Myſterium magnum, Myſterium iniquitatis, Libellum ſupplicem ad Regem Daniæ, Myſterium Babylonis, Chriſtum iudicem, Liberam religionem, Abominationem deſolationis in loco ſancto, Exitum ex Babylone & introitum ad Deum per Chriſtum, Conſummationem præciſam ad inundationem iuſtitiæ, Pſeudoſophiam mundi cum falſis doctoribus, Dei honorem & doctrinam contra omnium hominum actiones & mendacia, Biblia ſeu verbum diaboli & alia: immo eius opera iunctim prodierunt Amſtelodami A. 1660. 12. Neque poteſt negari, zelum & fervorem auctoris pro aſſerenda gloria Dei & eccleſiæ ædificatione ſatis inde cognoſci, modo a durioribus verbis & invectivis abſtinuiſſet. Hinc autem factum, ut nec Zwollæ potuerit ſubſiſtere. Inde igitur abiit Hagam Comitis, ibique oculos poſt tot ac tanta certamina clauſit valde ſenex. G. *Arnold* P. III. p. 42. *Spener* Conſil. theol. lat. P. III. 203. 534. 554. 584. 587. & *Pfanner* in Erlauterung contra G. Arnoldi Duplicam.

Wilhelmi CATONI Einfältiger unterſucher, Simplex inquiſitor. 1662. Eſt dialogus inter inquiſitorem & informatorem, eum in finem conſcriptus, ut oſtendatur, quis ſit Quakerorum ſtatus, doctrina, cultus, & actiones. Et primum quidem prodiit anglice Londini A. 1658. deinde belgice, atque ex belgico a Chriſtoph. *Moretto* translatus in teutonicum, ſed ſatis inſcite ac barbare. Interim libellus eſt dignus lectu, ut veriora de Quakeris cognoſcas, & ne falſa illis tribuas.

Wilhelmus *Caton*, anglus, qui laudem habet magnæ eruditionis & humanitatis, ſcripſit etiam Claſſicum ad omnes nationes, Defenſionem innocentium adverſus calumniatores, ut Chriſtianum *Pauli*, Io. *Berckenthalium*, auctores *Abominationis quakeriſticæ*, & Quakerorum Naturæ ac proprietatum, Benedictumque *Figkium*, Suſcitabulum conſcientiæ ad Chriſt. *Pauli*, Libellum ad eos, qui capillis Quakerorum & omiſſione tam ſalutationis per detractionem pilei, quam vulgaris modi orandi ante & poſt cibum, offenduntur, & Verbum in tempore prolatum, contra eos, quibus frequens eſt, ſpiritum ſuum in quamvis rem teſtem citare. atque ita innotuit

tuit medio ſæculo XVII. & ulterius. *Arnold* P. II. 686. & *Cræſius* Hiſtor. Quakeror. 62. 566.

Die alte Wahrheit erhœhet, Antiqua veritas exaltata. Qua, ut in rubro dicitur, innocentia Quakerorum revelatur, & ſcriptorum, ab ipſis conceptorum, veritas vindicatur; contra Quakerorum Abominationem, nomine rev. Miniſterii hamburgenſis editam. Auctor huius Apologiæ rurſus eſt CATONVS, ſicut non tantum *Arnoldus* teſtatur T. II. 686. ſed etiam ex ſubſcriptis Præfationi litteris hiſce W. C. patet, quæ ſignificant Wilhelmum Catonum. Atque in dicta Præfatione ſeu Dedicatione ad Senatum hamburgenſem, poſt effuſas de Quakerorum perſecutione querelas, confeſſionem edit ſuo & ſociorum nomine, & falſa, quæ ipſis tribuantur, removet. Hanc materiam perſequitur auctor fuſius in ipſo libro, agitque de vero Deo, Filio Dei, diſcrimine inter Chriſtum, Verbum & Scripturam, de internis revelationibus, interno baptiſmo & S. cœna, Miniſterio eccleſiaſtico, academiis, concionatoribus & templis, regno Chriſti, munere Magiſtratus, & perfectione; pag. 70. autem & ſeqq. aggreditur doctrinas illius Miniſterii, quas cum ceteris Proteſtantibus communes habet, easque refutare audet.

IVSTINIANI Kurzer bericht, Brevis oſtenſio, quomodo nova ſocietas inter orthodoxos Chriſtianos auguſtanæ confeſſionis erigi poſſit. Anno circiter 1664. Cum chriſtiana admonitione ad Reformatos, ne fraternitatis manus porrigentes Lutheranis, eosdem ſive clam ſiue palam perſequantur. Duo autem agit in tribus hiſce foliolis, nimirum ut candidatos S. miniſterii, qui plures annos muneri eccleſiaſtico inhiant, & tamen deluduntur, ad prædicandum gentibus euangelium excitet, ſuumque de pace & concordia inter Euangelicos facienda deſiderium aperiat. Eiusdem ſunt paris argumenti ſcripta: Invitatio ad cœnam magnam & frugiferam ſocietatem Ieſu, & Chriſtiana admonitio ad omnes orthodoxos de amplificanda religione euangelica, atque Iteratio Chriſtianæ admonitionis.

Iuſtinianus Erneſtus, Liber Baro *a Wels*, auſtriacus, publicavit Librum de vita eremitica, & propoſitum ſuum prædicandi apud infideles euangelium exſecuturus, profectus eſt in Americam,

Digitized by Google

cam, ibique, quod mortale habebat, depoſuit 30. circiter annis ante finem ſæculi XVII. Propoſito autem eius aduerſus erat Io. Henr. *Urſinus*, ſuperintendens ratisbonenſis opponens *Benevolani* Commonefactionem de eius conſiliis. *Arnold.* P. II. 593. P. III. 146.

Kurzer bericht, Brevis relatio de ſtatu & conditionibus earum perſonarum, quas Deus congregavit, atque ad ſui cultum univit per miniſterium fidelis quondam ſervi ſui, Ioannis *de* LABADIE, eiusque fratrum ſive collaboratorum, Petri *Yvon* & Petri *Du Lignon*. Ex gallicano translata in germanicum. Contenta eius hæc ſunt: Eccleſiam hanc reſpicere ſecundum ſpiritum tria genera hominum: primum eſſe eorum, qui non tantum ſint in domo, ſed & membra eius; in hunc ordinem neminem recipi, niſi magna & ſingularia a Deo acceperit chariſmata: alterum eorum, qui ſint in domo, ſed nondum eius membra; qui ſcilicet nondum ediderint ſufficiens gratiæ divinæ, & reſignationis ſuæ in Dei voluntatem ſpecimen: tertium eorum, qui nec eiusmodi applicationem, nec aptitudinem monſtrent, ut priores, præ ſe tamen ferant, ſe quærere Deum, aut qui opus hoc contemplandi gratia aliunde adveniant, vel in exteris locis habitantes amicitiam membrorum huius domus ambiant. Qua occaſione paucis dicam de novi huius ſchismatis face ac tuba.

Ioannes *de Labadie*, aliis *de l' Abadie*, vaſco gallus, relicta Societate Jeſu canonicus ambianus, poſt eccleſiaſtes Toloſæ, inde carmelita ſub nomine *Ioannis de Ieſu Chriſto*, poſt hæc, abiecta religione pontificia, miniſter verbi diuini montalbanus, & poſt exauctorationem genevenſis, præterque ea middelburgenſis, ſed & hoc munere exutus novam condidit eccleſiam ſeu ſectam, non tamen recedens a fide Reformatorum, cetera vir pius, & activi chriſtianiſmi propagandi perquam ſtudioſus, eamque ab uno in alterum locum tranſtulit: modo enim Amſtelodami hæſit, modo Bremæ, modo Herfordiæ, modo Altonaviæ. Et hic tandem animam exhalavit A. 1674. ætatis 63. Inter ſcripta eius hæc ſunt: Epiſtola ad amicos in papatu, Apologia contra Pontificiorum criminationes, Reſponſio pro paſtoribus montalbanis, Bonus S. cœnæ uſus, Sollemnis fidei declaratio, Compendium chriſtianiſmi, & Sacræ decades. Nota etiam, Labadiſtas inter Reformatos adver-

Digitized by Google

adverſarios habere *Hundium*, Adrianum *Pauli*, *De la Marque*, *Eſſenium*, *Koelmannum* & *Brackelium*; ſicut inter Lutheranos *Nifanium*, *Calovium*, Io. Fr. *Mayerum*. Gottfr. *Arnold* P. II. 711. *Sagittarius* Introd. in Hiſt. eccleſ. T. I. 1030. *Spener* Conſil. theol. latin. P. III. 139. 200. 267. 316. *Pantheon anabaptiſt. & enthuſiaſt.* p. 40. *Moller* introd. in Hiſt. cimbr. P. II. 121. *Sorberiana* 3. *Narrat. innoc.* A. 1717. 498. *Cren.* de furib. librar. 243.

Petri SERARII Diſputatio de Iudæorum uniuerſali converſione, in patriam reductione & cultus levitici reſtitutione, item de antichriſti ante finalem mundi interitum abolitione. Amſterodami 1665. Adverſus Sam. *Mareſii* Chiliaſmum enervatum. Sicut igitur duo priora affirmat, ac defendere nititur, ita ultimum ſic intelligit: antichriſtum ante ſecundum Chriſti adventum, quo venturus ſit ad regnum millenarium erigendum, abolitum iri.

Petrus *Serarius*, amſtelodamenſis, miniſter verbi divini, & ſocius aliquando Antoniettæ *Burignonia*, ſed cui, ſine dubio ob doctrinam de chiliaſmo, ſilentium ſuaſum, quique ſe Euangelii in eccleſia univerſali miniſtrum vocat, cum anno ſæculi XVII. octavo & ſexageſimo, quo deceſſit, totidem ætatis ſuæ annos numerabat. Eius eſt Diſſert. de omnium planetarum in ſigno Sagittarii coniunctione.

EIVSDEM Examen Synodorum ſeu conventuum eccleſiaſticorum ad Chriſti, eiusque Apoſtolorum, ac Synodi I. hieroſolymitanæ, *Actorum* 15. deſcriptæ, exemplar. Amſterodami 1668. In gratiam eorum, qui non malo animo, ſed per incogitantiam & epidemicum ſui ævi contagium hodiernis Synodis nimium tribuendo, & Deo, & ſibi ipſis, & proximo ſuo ſe iniurios exhibent. Et hæc, ut ex fine Dedicationis colligas, videtur ſcripſiſſe in gratiam Ioannis *de Labade*: de quo cum negotium eſſet tractandum in Synodo gallo-belgica, Fliſſingæ inſtituta, ſuppliciter eam & fideliter obteſtatur, ne quid in ea re temere & præcipitanter agat, ſed ante, quam quid decernat, ſerio & ſedulo omnia ad exemplar domini noſtri Ieſu Chriſti, & praxin Apoſtolorum ipſius, atque ad Synodi illius hieroſolymitanæ omnium perfectiſſimæ normam exigat, &, ſi quid contra commiſſum, tempeſtive corrigat, ne forte, cum venerit Dominus, inveniantur conſervos ſuos percuſſiſſe, & magis edonum ac bibonum parti, quam vere pro Deo vitaque Deo digna zelantium, faviſſe.

Io-

XV.

Ioannis VOLKELII de vera religione libri V. Racoviæ 1630. Quibus præfixus eſt Io. CRELLII liber de Deo & eius attributis; non confundendus tamen cum eiusdem libris de uno Deo Patre, refutatis a *Biſterfeldio* & *Botſacco*. Vt ita VI. huius operis ſint libri, quorum primus agit de Deo & attributis divinis; ſecundus de Dei operibus; tertius de religione chriſtiana; quartus de præceptis Chriſti; quintus de adiumentis ad perſeverantiam in fide ac pietate neceſſariis; ſextus de Chriſti eccleſia. Iteratis hoc opus typis expreſſit *Blaeuius* Amſtelodami; ſed Prætoris ac Scabinorum iuſſu, factaque cum Eccleſiaſtis quibusdam conſpiratione, inconſultis quidem & inſciis Conſulibus, reſidua eius 450. exemplaria typographo ablata, & d. 20. Ianuarii A. 1642. publice combuſta ſunt. Eodem tamen anno renatum, atque in lucem emiſſum eſt Groningæ cum refutatione Samuel. *Mareſii* in Hydra ſocinianiſmi; immo & belgice prodiit A. 1649. quid? Chriſtoph. *Sandius* in Bibliotheca Antitrinitariorum p. 96. relatum ſibi ſcribit a fide dignis viris, in Gallia tam curioſos non nullos fuiſſe, ut pro uno exemplari 25. ſolverent nummos hungaricos, ſive L. ioachimicos. Neque vero tantum Conſules iudicium illud Scabinorum ægerrime tulerunt, ſed & novi Magiſtratus, ineunte Februario, anteceſſorum ſuorum ſententiam, ipſis etiam, ut ferebatur, non repugnantibus, revocarunt, eque publicis regiſtris expunxerunt. De quibus vide *Ruari* Epiſtolas, P. I. 407. Ratio autem, cur duplex paginarum in hoc ſit codice numerus, hæc eſt, quod, cum Volkeliani libri editioni iam eſſent maturi, *Crellius* caput eorum, ſive primum librum, auctoritate eccleſiæ Vnitariorum ipſi demandatum, vix adfectum, nedum confectum habebat; ſicut ipſe narrat in Præfatione. Hunc librum, ſive codicem Volkelianum intelligit *Grotius*, quando in epiſtola ad Io. *Crellium*, quæ in Præſtantium & eruditorum virorum epiſtolis eccleſiaſticis & theologicis p. 763. exſtat, hunc in modum ſcribit: *Etiam in libro de Vera religione, quem iam percurri, relecturus & poſthac, multa invenio ſummo cum iudicio obſervata: illud vero ſeculo gratulor, repertos homines, qui neutiquam in controverſiis ſubtilibus tantum ponant, quantum in vera vita emendatione, & quotidiano ad ſanctitatem profectu.*

Io.

Io. *Volkelius*, grimma-miſnicus, ſocmiani, ſeu potius Vnitariorum cœtus paſtor primum philippovienſis, poſt ſmiglenſis in Polonia, *Crellio* hic in Præfatione dictus vir tum pietate, tum eruditione præſtantiſſimus, claruit in fine ſæculi XVI. & initio XVII. ſcripſitque Diſſolutionem Nodii Gordii, a Mart. *Smiglecio* ieſuita nexi, & Reſponſionem ad vanam, ut vocat, Refutationem Diſſolutionis Nodi Gordii, & Locos communes. *Sandius* Biblioth. Antitrinit. p. 96.

XVI.

Valentini SMALCII Reſponſio ad ſcriptum Hermanni *Ravenſpergeri*, cui titulum fecit: Par unum ſophiſmatum ſocinianorum, ad amuſſim veritatis examinatorum. Cum refutatione eorum, quæ Iacobus *ad Portum* in Defenſione orthodoxæ fidei, & Georg. *Roſtius* oppoſuerunt. Racoviæ 1614. Tractatur nimirum de loco Ioannis 8, 58. & cap. 10, 30. Illum Smalcius contendit ita poſſe ac debere verti: *Antequam Abraham fiat, ego ſum.* De hoc autem ait: Dici quidem, quod *Pater & Chriſtus ſint unum*, ſed non, quod ſint unus. Et quamvis ſcriptum eſſet, quod ſint unus; hinc tamen non ſequi, quod ſint unus eſſentia ſive natura. In Præfatiuncula Vnitarios negat ſolos ſapere, ſolos bene vivere ſibi videri: agnoſcere enim, plurimos ante ſe ſapuiſſe, & nunc etiam ſapere; & bene vixiſſe, & vivere: pro quibus etiam Deo gratias ingentes agant, & piam eorum vitam imitari conentur, pro fratribus eos in Chriſto omnes agnoſcentes, quantumvis id illi repudiarint, & repudient.

Valentinus *Smalcius*, germanice *Schmalz*, gothanus, Soneri diſcipulus, primum rector ſcholæ Vnitariorum ſmiglenſis in Polonia, poſtea miniſter eccleſiæ illorum racovienſis, inde lublinenſis, tandemque reverſus ad priſtinum munus racovienſe, ibique anno 1622. ætatis 50. mortuus, bene multa ſcripſit, cumque multis congreſſus eſt adverſariis: eius enim, ut de MSStis & ſcriptis polonicis nihil dicam, ſunt Liber de divinitate Ieſu Chriſti, Catechiſmus racovienſis, in quo componendo cum *Moſcorovio* laboravit, Pudefactio *Scarga* ieſuitæ, Refutatio concionis *Scargiana* de Trinitate, Refutatio poſtumi libelli *Scargiani* de Meſſia Arianorum ſecundum Alcoranum turcicum, Scriptum adverſus *Hutterianos*

rianos ſeu Communiſtas moravienſes, Defenſio tractatus alicuius anonymi (qui eſt Fauſtus *Socinus*) de eccleſia, & miſſione miniſtrorum, & Refutatio tractatus *Borkovvski* eadem de materia, (atque hæc duo opuſcula emiſit ſub nomine Theophili *Nicolaidis*, quia pater ipſius nomen geſſerat Nicolai) Scriptum cum Hieronymo *Moſcorovio* commune ad Mennonitas dantiſcanos, in quo eos ad ſocietatem cum Fratribus polonis ineundam ſollicitant, modumque, quo id fieri poſſit, oſtendunt, Refutatio diſputationis Alb. *Graweri* de Spiritu ſancto, Refutatio Theſium Jac. *Schopperi* de unitate divinæ eſſentiæ, & in eadem SS. perſonarum trinitate, Reſponſio ad librum *Ravenspergeri*, inſcriptum, SS. myſteria unitatis eſſentiæ divinæ, Refutatio libelli *Smiglecii*, cui titulus: Verbum caro factum eſt, ſive de divina Verbi incarnati natura, Refutat. librorum duorum *Smiglecii*, quos de erroribus novorum Arianorum inſcripſit, Liber de Chriſto, vero & naturali Dei filio, oppoſitus eidem *Smiglecio*, & Refutatio libri *Smigleciani* de Satisfactione Chriſti, Refutatio Theſium *Franzii* de præcipuis religionis chriſtianæ capitibus, Parænesis ſub nomine Andr. *Reuchlini* ad Caſaubonum, denique Refutatio Orationum Io. *Vogelii* & Ioach. *Peuſchelii*. Videantur *Sandius* Biblioth. antitrinitar. 99. *Baillet* in Anti T. II. 27. & *Kœnig* 760. Vitam ipſe ſuam exaravit, atque hoc MS. poſſidere ſe ait *Crenius* Methodor. T. III. 465.

EIVSDEM Notæ in libellum Martini *Smiglecii* ieſuitæ, quem Refutationem vanæ diſſolutionis Nodi ſui Gordii appellat. Racoviæ 1614. A. R. id eſt, Andreas *Reuchlinus*, qui eſt ipſe Smalcius, in dedicatione ait, quamquam ea ſit Diſſolutionis *Volkelianæ*, quam adverſus Nodum Smiglecii Gordium edidit, vis & ſoliditas, ut, quidquid in hac refutatione Smiglecii ſcriptum eſt, poſſit ab eo, qui Diſſolutionem non oſcitanter legerit, abſque ulla opera pariter dilui; & nihil dubitet, quin Volkelius, ſi aliqua huius rei neceſſitas appareat, ſophiſmata quædam recens conficta facillime detecturus ſit, tamen, quia ille grauiſſima nunc occupatione diſtentus id non tam cito, ut res poſtulat, præſtiturus ſit, velle ſe hunc quaſi prodromum reſponſionis in lucem edere.

EIVSDEM Refutatio Theſium Alb. *Graweri* de Incarnatione æterni Dei filii. Racoviæ 1615.

Valent.

Digitized by Google

Valent. SMALCII Refutatio diſputationis Alb. *Graueri* de perſona Chriſti. Racoviæ 1615.

EIVSDEM Examinatio C. errorum, quos Martinus *Smiglecius* ex duabus libri nuper aduerſus Monſtra ipſius editi partibus collegit. Racoviæ 1615. *Sandius* numerat 157. errores, & ponit annum editionis 1616. Vnde colligendum, auctiorem prodiiſſe hunc librum. Et hoc convenit cum Alloquio auctoris ad lectorem, quod in fine præſentis editionis, & quidem p. 40. legitur, ubi dicit, ſi lector preſſe controverſiam hanc uniuerſam cognoſcere cupiat, ſatis ipſi eſſe poſſe: ſi vero penitius in eandem introſpicere velit, ea etiam legenda eſſe, quæ deinceps ſcripturus ſit.

EIVSDEM Homiliæ X. in initium Capitis I. euangelii S. *Ioannis*, habitæ & ſcriptæ A. 1605. Cum paraphraſi ſuper idem initium euangelii. Racoviæ 1615. Eædem belgice ſunt redditæ per *Camphuyſium*, editæque A. 1631. 4. Homilias haſce in lucem protraxit Mart. *Smiglecius*: cum enim libellum, ſub titulo, *Verbum caro factum*, edidiſſet, *ipſa res* Smalcio *poſtulare quodammodo viſa eſt*, *ut refutatione illius expedita*, *aliquid præter eam exſtaret*, *unde non ſolum*, *quanto eum errore* (adhuc ſunt auctoris verba in dedicatoria epiſtola) *ad exoticum prorſus ſenſum verba iſta D. Ioannis hodie a plerisque detorqueantur*, *ſed etiam*, *quidnam in illis vere dicere & docere D.* Ioannes *voluerit*, *omnibus ad oculum pateret*. Et *hoc ſibi eas ſcribenti unice propoſitum fuiſſe* ait.

Georgii ENIEDINI Explicationes locorum V. & N. T. ex quibus Trinitatis dogma ſtabiliri ſolet. Groningæ 1670. Locus & annus huius editionis non quidem ſunt expreſſi; mihi vero probe conſtant, qui exemplar ibi meum, & quidem eopſe anno, a prelo adhuc madidum comparavi. Primum excuſæ erant in Tranſilvania, itidem ſine loci & anni expreſſione. Refutatæ autem ſunt a Iuſto *Feuerbornio* in Antieniedino, nec minus iis oppoſiti III. libri Iac. *Martini* de III. Elohim.

Georgius *Eniedinus*, ungarus, ſuperintendens eccleſiarum Vnitariorum in Tranſilvania, & Gymnaſii claudiopolitani moderator, innotuit A. 1587. & obiit A. 1597. in ipſo ætatis flore. *Sandius* Biblioth. antitrinitat. 93. *Baillet* in Anti P. II, 13. *Cloppenburg* de

 origine

origine & progreſſu ſocinianiſmi 21. & Rich. *Simon* Hiſtor. crit. de Commentatoribus N. Tti, cap. LVII. 864.

Ieremiæ FELBINGERI Vorlæuffer des beweiſes aus den büchern des Alten Teſtamentes, Prodromus demonſtrationis ex libris V. Tti, quod ſolus Pater domini noſtri Ieſu Chriſti ſit unus Deus: quod ſolus homo Ieſus ſit chriſtus & filius Dei: & quod Spiritus S. ſit virtus Dei. 1654. In fine additur Confeſſio auctoris de Deo & Chriſto, eaque, ut ille prætendit, confirmatur dictis Scripturæ ſacræ.

Ieremias *Felbinger*, Brega-ſive Briega-ſileſius, *Scheurlii*, *Schraderi*, *Lotichii*, *Tappii*, *Conringii*, G. *Calixti* & *Horneii* diſcipulus, iuriumque in primis ſtudioſus, per triennium poſtea & amplius ſub Suecis militiam ſecutus, ſed nihil inde afferens quam cicatrices & vacuam crumenam, mox tamen ludo coslinenſi in Pomerania præpoſitus, ſed & ob receptionem ac defenſionem dogmatum Vnitariorum, in Doctrina de Deo, Chriſto ac Spiritu S. nec non in Demonſtrationibus chriſtianis expreſſam, A. 1657. ab eo remotus, Helmſtadium rediit, indeque ante ſolis occaſum eo, quod cum ſtudioſis ſcripta ſua communicaſſet, abire iuſſus eſt. Migravit igitur Amſtelodamum, quaſi ad ſplendidum aſylum, ſed ubi ipſe quidem non niſi miſere viveret, iuventutem docens, & correctorem agens in officinis typographicis, donec A. 1689. æt. 73. ex hac miſeriarum valle abiit. *Sandius* Biblioth. antitrinitar. 157. *Benthem* de Statu eccleſ. & ſcholar. hollandicar. P. I. 905. G. *Arnold* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. II. 564. & ipſe *Felbinger* in Deſcriptione vitæ ſuæ, quam ſua ipſe manu exaravit, & ego iam poſſideo. In qua ſe per frequentes coslinenſium eccleſiaſtarum diſputationes, quibus contra Calviniſtas & Sacramentarios, quamquam XX. inde lapidibus remotos, vehementer detonabant, commotum fuiſſe ait, ſcripturam ſacram diligenter ut ſcrutaretur, nec, niſi quod expreſſis ibi verbis continetur, pro credendo acceptaret; atque inde ſibi enatam Doctrinam & Demonſtrationes prædictas. Neque vero arianus fuit, ſed ſocinianus eclecticus & menniſta, ceu patet ex eius Epiſtola ad Chriſtianos, & Enchiridio chriſtiano, libello germanice ſcripto.

EIVS-

EIVSDEM Demonſtrationes chriſtianæ pro eodem argumento, & quod per fidem iuſtificati teneantur vitam ſuam inſtituere ſecundum X. præcepta Dei, & mandata Chriſti, ex libris N. T. depromtæ. 1653. De quibus vide quid referant Auctores *Narrationum innocuarum*, A. 1705. 589. In Epiſtola ad genevenſes ac wittebergenſes theologos, recte quidem ait, piis ac fidelibus unicum ſufficere ad credenda & facienda verbum Dei; ſed inde vult inferre, Deum altiſſimum non conſtare diſtinctis perſonis ac dominis; Patrem non genuiſſe ab æterno ſibi Filium: Spiritum S. non proceſſiſſe ab æterno, atque adhuc procedere a Patre & Filio: Filium Dei æternum non aſſumſiſſe in Maria virgine humanam naturam, propria ſubſiſtentia carentem: Humanam Chriſti naturam mortuam eſſe quieſcente Verbo. Nec veretur porro ſcribere, complures mendaces doctrinas in eccleſiam irrepſiſſe & incrementa ſumſiſſe per Doctorum trinitariorum non ſolum proximarum ætatum, ſed vel maxime veterum illorum purioris adhuc eccleſiæ inſcitiam & inſulſitatem; idque teſtimoniis quorundam Proteſtantium comprobare ſuſtinet. In fine opuſculi addit Epiſtolam ab ipſomet ad *G. Calixtum* A. 1653. die 8. Iunii ſcriptam, in qua propoſitis utriusque partis, Vnitariorum videlicet ac Trinitariorum, doctrinis eum hortatur, det gloriam Deo, ſententiamque illorum amplectatur; de rudi autem tam Romano-catholicorum, quam Proteſtantium plebe, quæ in ſimplicitate adhæret Symbolo apoſtolico, & chriſtianis precandi formulis, publicis etiam, quæ Collectæ dicuntur, utitur, ſancteque vivit, ita iudicat, ut eos firmam eſſe columnam templi Dei fateatur. Et huic Epiſtolæ ſubiungit Excerpta ex duabus eodem fere tempore ad Io. *Micralium* datis etiam ab ipſo Epiſtolis, in iisque ea, quæ credit, falſa, quæque Trinitarii credunt, vera eſſe, ex SS. litteris ſibi poſtulat demonſtrari.

EIVSDEM ad Chriſtianos, unum altiſſimum Deum, Patrem domini ac ſalvatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſecundum ſacras ſcripturas V. & N. T. recte agnoſcentes, Epiſtola. Amſtelodami 1672. atque iterum edita Roterodami A. 1681. In qua *Socini* & eius diſcipulorum errores graviores, ſuis ipſorum verbis notati, ſuccincte refutantur. Enim vero contra illos ſentit, 1. Baptiſmum aquæ Chriſto initiandis eſſe neceſſarium. 2. Chriſtum non demum

mum in cælo, ſed in ara crucis ſe ſe pro hominibus obtuliſſe. 3. Eundem regnum, quod exaltatus ad dextram Dei accepit a Patre cæleſti, non adminiſtrare, tanquam proregem & vicarium, ſed ut regem abſolutiſſimum, & liberrime gubernantem. 4. Chriſtum æque, ac Deum Patrem, ad huius mandatum, eſſe invocandum. 5. Homini chriſtiano licere magiſtratum gerere, &, ſi neceſſitas poſtulet, belligerare. 6. Etiam impios reſurrecturos ad iudicium. 7. Lotionem pedum aliorum hominum, ad mandatum atque imitationem Chriſti, eſſe faciendam, tanquam ritum, quotidianorum remiſſionem lapſuum obſignantem credentibus, qui iam ante in Chriſti nomen ſunt immerſi. 8. Chriſtianis non licere iurare. Atque ita apparet, auctorem noſtrum non eſſe proprie ſocinianum, ſed in quibusdam cum Socino facere, in aliis autem ab eo, atque ipſius diſcipulis recedere, easque opiniones, quas deſerit, pro perniciofis habere erroribus. Veri ſimile quoque ei videtur, Chriſtum, ſalutis noſtræ archiducem, nobis doctrinam ſalvificam, quatenus ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt, verbis & phraſibus vulgo uſitatis & claris propoſuiſſe, ita ut vel a mulierculis, piſcatoribus, & quibusvis aliis recte intelligi potuerit. Igitur, qui credunt, Ieſum eſſe Chriſtum, in ipſius verbis acquieſcere, adverſus eum non diſputare, non rixari, verbis eius nec addere, nec detrahere: fide duntaxat hic opus eſſe, qua doctrinam e cælo ad nos delatam apprehendamus, & veram eſſe confidamus, nempe propter Magiſtri divinam auctoritatem & virtutem. Sed mittamus hæc, atque ad aliud volumen nos convertamus.

XVII.

Io. SMALCII Refutatio Theſium D. Iac. *Schopperi* de ſacroſancta unitate divinæ eſſentiæ, & in eadem ſacroſancta perſonarum trinitate. Racoviæ 1614. Addita eſt Reſponſio ad ea, quæ Herm. *Ravenſpergerus* attulit in ſcripto, cui titulum fecit: SS. myſterium unitatis eſſentiæ divinæ in perſonarum trinitate.

EIVSDEM de Chriſto, vero & naturali Dei filio, Liber, oppoſitus ei, quem ſub eodem titulo Mart. *Smiglecius* ieſuita edidit. Cum Refutatione libelli eiusdem *Smiglecii*, quem de ſatisfactione Chriſti pro peccatis noſtris inſcripſit. Racoviæ 1616.

EIVS-

EIVSDEM Refutatio Orationum Io. *Vogelii* & Ioach. *Peuſchelii*, quibus photiniſmum ſe Altorfii retractaſſe gloriantur. Racoviæ 1617.

Conr. VORSTII Oratio apologetica. Hagæ Comitis A. 1612. in pleno conſeſſu illuſtr. ac præpotentium Hollandiæ ac Weſtfriſiæ Ordinum recitata. Habita autem eſt ſermone teutonico, atque ex eo poſtea, illuſtr. Ordinum iuſſu, tranſlata in latinum & belgicum. Ante omnia auctor duo petit: 1. ne ſibi tetra illa cognomenta, *haeretici* videlicet, *athei*, *blaſphemi*, *monſtri*, *peſtis*, quibus aliqui ſe palam dehoneſtant, nunc apud ipſos noceant. 2. ne iniquiſſimo eorum poſtulato acquieſcant, qui nullam declarationibus, aut defenſionibus ſuis fidem adhibere volunt, ſeque fraudibus & dolis uti clamitant. Duo etiam ait eſſe præcipua accuſationum capita, quorum utrumque, quamquam inæqualiter, in facto ſimul & iure verſetur; & primum quidem continere *errores & hæreſes*, ut putentur, cum ipſa Dei natura pugnantes: ſecundum agere de aliis quibusdam ſcriptis, itemque factis, & dictis ſuis, ſeu recentibus, ſeu iam diu præteritis, unde *arianum aut ſocinianum* ſe eſſe, Fratres quidam colligant. Ad utrumque hoc accuſationum genus hic clare ac rotunde reſpondet. Digna eſt oratio hæc, quæ legatur. G. *Arnold* Hiſtor. eccleſ. & hæret. P. IV. ſect. III. num. 7. & *Corvinus* Reſp. ad Notas Bogermanni P. I. 106. Nec minus alibi ſe excuſat auctor, ut in *Epiſtolis* præſtantium virorum pag. 278.

XIIX.

Erklärung der beyden unterſchiedlichen meinungen, Declaratio duarum contrariarum ſententiarum de natura & eſſentia unius altiſſimi Dei: nimirum de uno Deo Patre, & de uno Deo in una eſſentia & tribus perſonis. Anno 1646. Locus & nomen auctoris non ſunt expreſſa; nobis autem conſtat, editam eſſe Amſtelodami, & auctorem habere Ioannem Ludovicum Baronem *a* WOLZOGEN; atque huius aſſerti teſtes adducimus *Sandium* Biblioth. Antitrinitarior. p. 138. & *Arnoldum* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. II. 563. Cumque ſententias illas duas breviter declaraſſet, alteri, quæ eſt Trinitariorum, ulteriorem & ampliorem expoſitionem ſive inquiſitionem ſubiungit, atque ita diſ-

ſerit

ferit diſputatque 1. de eſſentiæ & perſonarum diſcrimine in Deo. 2. de triplici Dei exiſtentia. 3. de mutua, nec tamen permixta aut confuſa trium perſonarum περιχωρησει ſive immanentia. 4. de differentia inter Deum eſſentialem ac perſonalem. 5. de differentia inter eſſentialem ac perſonalem Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. 6. de æterna Filii Dei ex Patris eſſentia nativitate. 7. de operibus, quæ in eſſentia Dei, & extra eam fiunt. 8. de incarnatione Filii Dei. 9. de duabus in Chriſto naturis. 10. de perſonali unione duarum naturarum in Chriſto. 11. de diſcrimine inter Chriſti perſonam & naturam divinam. 12 de indiſſolubilitate duarum naturarum in Chriſto. 13. de communicatione naturarum, naturalium idiomatum, & operationum. 14. de omnipræſentia corporis Chriſti. 15. de humiliatione & exinanitione Dei altiſſimi. 16. de reſurrectione altiſſimi Dei a mortuis. 17. de aſcenſione in cælum & exaltatione Dei altiſſimi. 16. de reſurrectione altiſſimi Dei a mortuis. 17. de aſcenſione in cælum & exaltatione Dei altiſſimi. 18. de reditu altiſſimi Dei ad iudicium. 19. de tertia Trinitatis perſona, nempe Spiritu ſancto. In Præfatione autem ſe non parvi momenti res ait proponere, quippe quæ agant de natura & eſſentia unius ſummi Dei, in cuius notitia ipſe Chriſtus ponat vitam æternam. Omnia igitur hæc eſſe probanda ac ponderanda; utra autem cui placeat ſententia, eam tenendam ac conſervandam eſſe in pace & caritate, ſine odio, ſine acerbitate, ſine contemtu aliorum, qui alteram, fortaſſe ſimpliciorem, ſibique veriſimiliorem, amplectuntur.

Frage, Quæſtio, an chriſtianus ſemper teneatur cogitare, ſibi aliquid melius in notitia divina monſtrari poſſe. 1649. Auctor ſcripti eſt Daniel ZWICKER, teſtibus *Sandio* Biblioth. antitrinit. 151. & *Arnoldo* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. II. 563. Non autem hic ſermo eſt de clariſſima cognitione, ut Deum eſſe, eumque ſolum colendum, ſed de re inter Chriſtianos controverſa, quam quis nondum, ut fas eſt, examinavit, & contra adverſarium evicit: hoc caſu chriſtianum hominem cogitare debere, ſententiam ſuam non adeo eſſe certam & infallibilem: atque ideo fieri poſſe, ut ab adverſario, qui ſe offert ad ſufficienter comprobandam aſſertionem ſuam, ſibi quid melius, quam adhuc viderit, oſtendatur ac demonſtretur. Atque hæc quæſtio ab auctore affirmatur, probaturque

que 1) exemplis *Concilii iudaici*, tempore Gamalielis, Act. 5,35. & *Berœenſium*, Act. 17,11.12. 2) iudicio & confeſſione variarum ſectarum, 3) periculo damnationis æternæ.

Daniel *Zuvicker*, Gedano-boruſſus, medicinæ Doctor, multa alia ſcripſit, inter quæ ſunt Regulæ & confeſſio ingenuorum Chriſtianorum, Iudicium de Iohanna papiſſa contra *Mareſium*. Adhuc ſtans & triumphans viſibilis eccleſia Chriſti contra portas inferni, oppoſita erroribus D. Galeni *Abrahami* & Davidis *Spruyt*, Demonſtratio, quod caput XIV. 1. ad Corinth. ad hunc uſque diem a *Propugnatoribus libertatis loquendi* perverſe explicatum ſit, Libertas eccleſiaſticarum congregationum, Ioſias novi fœderis, Argumentum contra animarum præexiſtentiam antemundanam, Chriſtophoro *Sandio* oppoſitum, Revelatio dæmonolatriæ inter Chriſtianos, cuius altera pars eſt epiſtola ad Cornel. *Haſartum*, ieſuitam antverpienſem, Epiſtolæ ad Io. *a Cuyck* ex Io. 17, 3. contra ſummam Ieſu Chriſti divinitatem, & inter MSSta Examen Brevis diſquiſitionis Io. Pauli *Felvvingeri*, tandemque diem ſuum obiit Amſtelodami anno 1678. ætatis 68. Erat vir pius & integer, nec talis, qui malo erraret animo, mihique ipſe narravit octennio ante obitum ſuum, ſe miram Dei providentiam ſemel atque iterum expertum eſſe: nam die quodam, quo ne obolum quidem unum haberet ad vitam tolerandam, & coniux ipſius plane deſperaret, ſe ſe Dei opem ardentiſſimis invocaſſe precibus, idemque ut ipſa faceret, uxorem hortatum eſſe, nec preces iſtas fuiſſe irritas: adveniſſe enim ante ſolis occaſum nuntium, qui ab anonymo ſibi adferret ſacculum cum 1000. florenis hollandicis. Vocatum etiam ſe aliquot fuiſſe vicibus ad Magiſtratum, iuſſumque religionis cauſſa ex urbe excedere, ſed ſemper fuiſſe aliquem in numero Senatorum, qui intuitu ſenectutis ſuæ, & quod ſibi viveret, nec contra officium boni civis peccaſſet, patrocinium ſibi præſtaret, triſtique ſententiæ intercederet. Quæris autem, cui ille religioni addictus in exilio ſuo fuerit? Audi ipſummet, qui in Corollario Irenici irenicorum p. 79. & 90. his utitur verbis: *Breviter ita habe, me nec lutheranum, nec calvinianum, nec remonſtrantem, nec græcum, nec pontificium, nec ſocinianum, nec mennonitam, nec ullum alium ex hodiernis ſectis eſſe hominem, ſed* chriſtianum, *Chriſtique diſcipu-*

lum, ingemiſcentem & ſuſpirantem ob caſum populi chriſtiani, eumque, ut reſipiſcat, elata huius ſcripti voce inclamantem; omnes tamen hodiernas Chriſtianorum ſectas, ſine ullo inter ipſas hic facto diſcrimine, Eccleſias Chriſti eſſe profitentem. Ex adverſariis eius fuerunt etiam Io. Amos *Comenius*, Io. Paul. *Felvvinger*, & Io. *Maukiſch*. Præterea de Zwickero vide *Sandium* p. 151. *Bailletum* in Anti Tom. II. 37. G. *Arnold* P. II. 563. & *Charitium* de Eruditis gedanenſ. 136.

Kurze und richtige anleitung, Brevis & vera demonſtratio, in quibusnam caſibus & locis Scriptura proprie aut figurate explicari & intelligi debeat. 1650. Auctor ſe vocat Amatorem veritatis & pacis; nemo autem alius eſt, quam ZWICKERVS: nec id diffitentur *Sandius* p. 151. & *Arnoldus* P. II. 563. Et quidem docet, nunquam, niſi ſumma poſtulet neceſſitas, a ſenſu litterali recedendum: tunc autem poſtulare, ſi de re quadam duo enuncientur, quorum alterum evertat alterum.

Revelatio catholiciſmi veri, id eſt, Grundliches urtheil, ſive Solidum iudicium de maxime pacifica & certiſſima doctrina Chriſtianorum. Non additur annus editionis; erat autem 1655. auctore rurſus ZWICKERO, ut indicant *Sandius* p. 151. & *Placcius* de Anonymis p. 420. Revelatur in eo, uti ſcriptor quidem prætendit, debilitas eorum, qui Monarchianis ſive Vnitariis adverſantur. Doctrinam enim de uno Deo, tam ſecundum perſonam, quam ſecundum eſſentiam, ait omnium eſſe maxime pacificam & certiſſimam, adverſarios autem ſuos ſubinde peccare petitionibus principii, atque ita lapſos eſſe Albert. *Grauerum*, *Facultatem theologicam vvittebergenſem*, Balthaſ. *Meiſnerum*, Io. *Gerhardum*, Io. *Botſaccum*, Io. Henr. *Biſterfeldium*, Abr. *Calovium*, Dionyſ. *Petavium*, Ioſ. *Placeum*, & Io. *Hoornbeckium*: peccari etiam contra legitimum diſputandi modum, quando 1. reſpondenti libertatem dicendi, locum hunc aliter poſſe intelligi, ademtum eas. 2. ſi ex theſi diſtinguas. 3. ſi confugias ad myſterium, aut ex reſpondentibus facias opponentes. Atque hoc ſcriptum prodiit etiam belgice ſub hoc rubro: Openbaringe van het waare algemeen geloof. Cui adiuncta Inſtructio de recto diſputandi modo, & XXI. Regulæ, ſecundum quas tota Scriptura interpretanda eſt & intelligenda, cum præfatione Adriani *Svvartepaerd*. Amſtelodami 1678. 4.

Hiſto-

Hiſtoriſche erzehlung, Hiſtorica narratio receſſionis D. D. Z (id eſt, D. Danielis ZWICKERI) a priori ſua opinione, tres eſſe perſonas in una divinitate. 1610. Occaſionem ſibi datam ait a *Mochingero*, pro ſuggeſtu contra Socinianos acriter diſputante: hinc enim factum, ut ipſe eorum ſcripta evolveret, cumque Scriptura ſacra conferret; nec tamen confeſtim ſe animum mutaſſe, ſed poſt diuturnam inquiſitionem, multamque luctam, & varias cum viris eruditis *Botſacco, Calovio, Mochingero* collationes.

Vereenighs-Schrift der Chriſtenen, ſive, ut titulus latinæ translationis, A. 1662 editæ, habet, Henoticum Chriſtianorum, ſeu Diſputationis Mini *Celſi* ſenenſis, quatenus in hæreticis coërcendis progredi liceat, lemmata potiſſima, per D. Z. id eſt, Danielem ZWICKERVM. Amſtelodami 1661. Oſtenditur hoc ſcripto, eos, qui pro hæreticis habentur, neque capitali ſupplicio eſſe afficiendos, neque per excommunicationem ex eccleſia eiiciendos, aut alio modo contumelioſe tractandos; e contrario autem antiquam Chriſtianorum tolerantiam reducendam & exercendam. Cetera Minum *Celſum* eſſe nomen fictitium, ſub quo lateat Lælius (non Fauſtus, uti credebat *Placcius* de pſeudonymis p. 172.) *Socinus*, diſcere licet a *Sandio* p. 21. & *Mollero* de homonymis p. 723.

Eccleſia antiqua inermis, poſt tot ſequiora ſecula iure tandem iterum aſſerta. Vbi quidem nec auctoris nomen, nec locus & annus impreſſionis addita ſunt; interim vel ex *Sandio* p. 152. ſcimus, impreſſum eſſe hoc opuſculum Amſtelodami A. 1666. & auctorem agnoſcere Dan. ZWICKERVM. Idem ibidem prodiit belgice, anno 1668. hoc ſub titulo: *De vveerlooſe oude Kercke.* Eſtque reſponſio ultima ad Collectoris anonymi (id eſt, Ioachimi *Stegmanni* iunioris) Collectiones XIII. de magiſtratu, vi coactiva, ſuppliciis capitalibus, & bellis: quæ omnia *Zvvickerus* Chriſtianis licita eſſe negat.

Illuſtria aliquot ſpecimina infelicis pugnæ Abrahami *Calovii* contra Io. Crellii librum de uno Deo Patre, indicata a quodam SS. literarum ſtudioſo. Ecquis ſtudioſus hic? Ipſe Dan. ZWICKERVS. Locus autem & annus impreſſionis, qui reticentur, hunc in modum ſunt ſubſtituendi: Amſtelodami 1650. Ponit auctor verba utriusque, ipſe autem oſtendit, aut iactitat oſtendere infelici-

 felici-

felicitatem pugnæ. Addit etiam Appendicem, quæ Andr. *Kalerum* carpit, quod ſcripſerit, *rectisſime*, & *ſufficienter ex theſi per diſtinctionem divinæ & humanæ naturæ in Chriſto illis reſponderi, qui, ut divinam naturam in Chriſto negent, ipſius Chriſti teſtimonium adducunt*, Patrem ſe maiorem eſſe *docentis*. Huic ſcripto, ut & Revelationi catholiciſmi veri oppoſuit D. Ioann. *Maukiſch* Antizwickerum A. 1668.

Diſcurſus inter polygamum & monogamum de polygamia, autore ALETHOPHILO GERMANO. 1673. Quis hic ſit Alethophilus Germanus, non liquet. Certe non eſt Io. Lyſerus; huius tamen premit veſtigia, & polygamiam, qua nempe vir plures una uxores ſibi copulat, nec iuri naturali, nec verbo Dei contrariam eſſe iudicat. Cum Epiſtola ad Sincerum Wahrenbergium. Latine Dialogum hunc cum Præfatione & notulis marginalibus edidit Chriſtianus *Vigil*, i. e. Frid. *Geſenius*: quod nomen litteratiſſimus nobis indicat Herm. Dieter. *Meibomius* diſp. de Principum in diſpenſando poteſtate §. 16. Similia in favorem polygamiæ ſcripta ſunt Huldrici *Neobuli* Dialogus de digamia, de quo *Narrat. innoc.* A. 1704. 225. Bern. *Ochini* Dialogus de polygamia: Theophili *Alethæi* (ſeu Io. *Lyſeri*) Polygamia triumphatrix, id eſt, Diſcurſus politicus de polygamia, cum notis Athanaſii *Vincentii*, qui tamen idem eſt Lyſerus: Sinceri *Wahrenbergii* (qui rurſus eſt *Lyſerus* prædictus) Dialogus de polygamia: & Daphnæi *Arcuarii* (ſeu Laurentii *Bœgeri*, vel Begeri, de quo vide *Placcium* de pſeudon. p. 73. & *Ancillonium* dans les Memoires 438) Conſideratio ſancti & in iure tam naturali, quam divino fundati coniugii, in gratiam magni alicuius Principis edita A. 1679.

Philoſophia S. ſcripturæ interpres. Eleutheropoli 1666. Auctor ipſe Exercitationem hanc vocat paradoxam, in qua veram philoſophiam infallibilem ſacras literas interpretandi normam eſſe apodictice demonſtretur, & diſcrepantes ab hac ſententiæ expendantur, ac refellantur. Ecquis ille? Non carteſianus quidam, neque Benedictus *Spinoſa*, ſed Ludov. MEYER, medicus amſtelodamenſis, teſte *Crenio*, Nic. *Arnoldo*, Chriſtiano *Schotano*, Reinero *Vogelſangio*, & Petro *Serrario*. Petrus etiam *Walenburchius* aliquid contra eum meditabatur, coniiciens Martinum eſſe *Hundium*;

dium; ſed poſtea conſilium mutavit, certe lucubrationem ſuam non perfecit.

Tractatus theologico-politicus. Hamburgi (immo potius Amſtelodami) 1670. Qui ſub aliis etiam titulis in publico comparuit, videlicet hisce: Reflexions curieuſes d' un Eſprit deſintereſſé ſur les matieres les plus importantes au ſalut, à Cologne 1678. 12. & Traité des ceremonies ſuperſtitieuſes des Iuifs, eodem circiter tempore, etiam in 12. Tractatus hic eſt Benedicti *de* SPINOSA, & maximam partem ex apoſtaſiæ a iudaiſmo Apologia Spinoſiana, lingua hiſpanica conſcripta, conſarcinatus; diſtinguendus autem ab eiusdem. Tractatu politico, de quo *Narrationes innocua* A. 1705. 448. & refutatur a plurimis, videlicet *Balio*, *Benghemio*, *Blyenbergio*, *Bredenburgio*, *Buddeo*, Fran. *Cupero*, *Huetio*, *Iagero*, *Iaqueloto*, *Ienſio*, Chriſt. *Kortholto*, *Lami*, *Leydeckero*, *Manſveldio*, Pet. *von Maſtricht*, Henr. *Moro*, *Moſe germano* (ſive Io. Pet. Specht, nefario ad Iudæos transfuga) Fran. *de la Mothe* le Vayer, *Poireto*, *Rappolto*, Frid. *Spanhemio*, Iac. *Staalkopf*, *Verſeo*, *Vaſſorio*, *Veldhuſio*, *Wachtero*, *Wittichio*, & *Tronio*.

Benedictus *de Spinoſa*, Amſtelodami ex Iudæis natus, atque in iudaica ſuperſtitione educatus, ſed propter ſingulares opiniones e ſynogoga eiectus, ac poſtea chriſtianæ addictus religioni, cum eo ætatis perveniſſet, in qua ingenium matureſcit, & ad rerum naturas indagandas aptum redditur, ſe totum philoſophiæ dedit, atque in primis *Carteſii* ſcripta nocturna pariter & diurna manu verſavit, tantaque philoſophiæ peritia inclaruit, ut Io. Lud. *Fabricius*, theologus heidelbergenſis, iuſſu ſereniſſimi Electoris palatini, profeſſionem ei philoſophicam offerret. Sed Spinoſa, libertatis & ſpeculationum atque ſeceſſus amator, & cui nunquam animus fuit publice docere, ſpartam illam, ut ut præclaram & honorificam, modeſte recuſavit. Neque tamen diu philoſophari aut ineptire (in multos enim & magnos, ſi non atheiſmi, theiſmi tamen errores incidit, qui recenſentur a *Kortholto* de Tribus impoſtoribus, in *Repræſentatione* IV. novorum philoſophorum, quæ Panthei anabaptiſtici & enthuſiaſtici pars eſt, p. 9. & in *Narrationibus innocuis* A. 1708. 870.) potuit: ex his enim terris, phthiſi confectus, migravit A. 1677. cum annum ætatis 44. exceſſiſſet. *Anonymus*, de quo Narrationes innocuæ A. 1706.

p. 75. Io. *Colerus* in Vita Spinoſæ, & Gottl. *Stollius* in Iſagoge ad Hiſtor. litterar. P. II. p. 102. *Kortholt* & *Anonymus* in prædicto Pantheo, *Benthem* P. II. 350. *Eccard* Extract. menſtr. A. 1701. menſe Maio p. 65. *Arnold* P. II. 611. *Kettner* diſp. de Spinoſa & Bekkero, *Menagiana* P. II. 15. *Baelius* de ſcript. adeſp. 61. *Obſervat. miſcellan.* P. V. 393. *Narrationes innoc.* A. 1706. 75. *Blumberg* Verit. myſter. verit. tiaræ rom. Pontif. 25. & *Bibliothecarius nullis partib. addictus* 682. Opera eius poſtuma eodem, quo abiit, anno edita ſunt (Amſtelodami) in 4.

Chriſtoph. SANDII Nucleus hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Coloniæ (aut potius Amſtelodami) 1676. Secunda editio, ab auctore locupletata & emendata; prior autem prodierat A. 1669. in 8. Exhibetur Nucleus ille in hiſtoria Arianorum, & præfigitur Tractatus de veteribus ſcriptoribus eccleſiaſticis. Et in Nucleo quidem hic eius ſcopus, hic conatus, hic auſus eſt, ut oſtendat, *nullum hæreticum* (hæc ipſa ſunt eius verba) *ante* Arium *in articulo de Trinitate cum Ario crediaiſſe: nullum hæreticum ante* Socinum *eadem de Verbo cum Socino docuiſſe; quin potius omnes hæreticos tum in aliis multis, tum in eo, quod crediderunt, unum eſſe Deum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, unam ſubſtantiam & tres perſonas, cum Eccleſia romana conſenſiſſe, cumque ea tandem in unum corpus coaluiſſe.* Operi huic auctor præmiſit Tractatum de veteribus ſcriptoribus eccleſiaſticis, incipiens a ſcriptoribus N. Tti, & progrediens usque ad CONSTANTINVM M. deque illis, fatente *Boſio* in Crenii Methodor. Tomo III. 447. non ſine apparatu neceſſario, & diligenter egit. Præfationem autem compoſuit Chriſtoph. *Sandius*, pater, hortans cum *Ieremia* ex cap. 6, 16. Standum eſſe ſuper vias, & videndum atque interrogandum de ſemitis antiquis; non autem de ſynodis & conciliis, nec de decretis & canonibus pontificiis, nec de ſententiis Scholaſticorum, nec de codicibus Patrum caſtratis & corruptis, nec de libris normalibus: contentos vero nos eſſe debere ſimplicitate fidei, eamque bonis operibus demonſtrandam. In Nucleum hunc Animadverſiones ſcripſit Andr. *Wiſſovvatius*, quæ adhuc MSStæ latent. Samuel autem *Gardinerus* refutationem eius edidit, contra quam *Sandius* ſe defendit epiſtola an. 1677. ſcripta. Ad hanc reſpondit ille anno eodem, quam hic excepit Replica anno ſequente. Et hæ tres Epiſtolæ

læ adduntur ſub finem Appendicis addendorum, confirmandorum & emendandorum, quam ad Nucleum ſuum *Sandius* in publicum emiſit Coloniæ, id eſt, Amſtelodami, anno 1678. 4. Neque vero hic quievit concertatio iſta: nam *Gardinerus* Valedictoria reſponſione ultimam *Sandii* epiſtolam A. 1681. refutavit. Notandum eſt quoque, virum illum, quem *Huetius* ingenii & doctrinæ fama illuſtrem appellat, quemque *Sandius* p. 64. ſibi ignotum fatetur, eſſe *Petavium*, cuius in Animadverſionibus ad Hær. XXX. S. Epiphanii p. 55. hæc ſunt verba: *Ebionaeorum nomen latius extendiſſe videri poteſt Origenes; ut Ebionaeos illos appellet, qui, cum alioqui de Chriſti divinitate recte ſentirent, cum chriſtiana religione iudaicas cerimonias amplectendas crederent.*

In Præfat. Primam huius operis editionem orbis vidit *anno* 1668.	*Anno* 1669.
Pag. 8. Legitur quoque (Epiſtola ad Loadicenſes) in Bibliis germanicis Dietenbergeri ultima epiſtolarum Paulinarum, & in Auguſtanis *anni* 1449.	*Eo anno Auguſta non eſſe edita Biblia*, certum eſt. *Crenius* Methodor. T. III. & D. *Boerner* in Iacobi *Le Long* Biblioth. ſacra P. II. 186.
Pag. 21. Verus Iuſtinus (martyr,) utpote *ſamaritanus, non potuit ignorare ſignificationem vocis Oſanna.*	*Falſo & frivolo nititur argumento.* Guil. *Cave* Hiſt. liter. ſcriptor. eccleſiaſt. p. 27.
39. Ego coniicio, (Gregorii thaumaturgi) *Expoſitionem fidei, & plura alia eſſe Gregorii Neocaeſarienſis.*	Sine fundamento, atque ut *hypotheſin tueatur ſuam*, Io. *Moller* de Homon. 474.
48 Libros IV. de Vita Conſtantini *eſſe Macarii Hieroſolymitani*, ſequi videtur ex cap. 50. & 51.	Hæc eſt *coniectura*, omni veriſimilitudine deſtituta. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. Volum. VI. 100.
141. *Petavii* locus citatur in favorem auctoris.	Petavium *ab arianiſmi ſuſpicione* liberat *Clericus* præfat. in Petavii Dogmata. Vide etiam *Acta erudit.* A. 1700. 230.
222. Forte hic (S. *Georgius cappa-*	*Diſtinguendus eſt a Gerge ſive Georgio*

dox) idem eſt Gergus vel Georgius, cuius Patricides alias meminit, & quem *Elmacinus* in Hiſt. Saracen. dicit miſſum ad regem Perſarum Schabur, *orgio medico*, ad Saporem miſſo. Neque vero *Elmacinus*, ſed *Eutychius ſive Patricides* id perhibet. *Moller* de Homon. 468.

Chriſtophorus *Sandius*, Philippi filius, natus Cruciburgi A. 1611. in Pruſſia, ſereniſſimi Electoris brandenburgici conſiliarius, ſupremique Regiminis atque Appellationum iudicii, quod Regiomonti erat, ſecretarius, ſed ob dogma arianum, quod ſequebatur & defendebat, circa annum 1668. muneribus illis privatus, ſcripſit Grundlichen beweis, Solidam demonſtrationem, quod Ariani, Mennonitæ, aut ſimiles hæretici non poſſint iure ob religionem pelli; ſub nomine *Sophronii* de uſu rationis in theologia; Epiſtolas de rebus theologicis; & cum filio Scriptum, in quo dubia moventur de recepto S. Trinitatis dogmate, quæriturque, cum Chriſtus & Apoſtoli docuerint, Deum Abrahami, Iſaaci & Iacobi verum eſſe Deum, an Abraham, Iſaacus & Iacobus crediderint, Deum trinum eſſe in perſonis? & Replicam ad Refutationem dubii primi in memorato ſcripto. Sed an ullum horum opuſculorum lucem viderit, prelique beneficio ſit editum, cum ignariſſimis ſcio. *Sandius* Biblioth. antitrinitat. 150. *Sagittarius* Introduct. in Hiſt. eccleſ. 379.

Chriſtophorus, Chriſtophori filius, *Sandius*, regiomontanus, poſt exauctorationem patris profectus eſt Amſtelodamum, ibique libris, qui edebantur, corrigendis victum quæſivit, ſed & ipſe varia compoſuit, interque ea Centuriam epigrammatum, Diſſertationem περὶ τοῦ λόγου, Scripturam S. Trinitatis revelatricem, ſub nomine Herm. *Cingalli*, Catalogos patriarcharum & epiſcoporum hieroſolymitanorum, antiochenorum &c. A. *Wengerſchii* Slavoniæ reformatæ adiunctos, (ne dicam de Msstis, ut Libro de reſtauranda religione, ſeu de monarchia Dei, auctore Chriſtiano *Sophodro* vinctio, Notis in Andr. *Wiſſovvatii* obiectiones, & Cauſſa Dei Patris domini noſtri Ieſu Chriſti, ſive Epiſtola ad D. Chriſtoph. *Wittichium*) atque in flore ætatis obiit A. 1680. cum tranſegiſſet annos 36. Videatur ipſe *Sandius* Biblioth. antitrinit. p. 169. *Sagittarius* Introd. in Hiſt. eccleſ. 380. *Benthem* de ſtatu eccleſ.

&

& ſcholar. holland. P. I. 902. *Zeltner* de Correctoribus p 482. & illuſtriſſimus *Huetius*, qui in Epiſtolis celeberrimorum virorum, a Iano *Brantio* collectis, p. 278. eum vocat virum doctiſſimum, diligentiſſimum, ſibique, ut ſperat, amiciſſimum. Expertus etiam eſt contra editionem N. T. græci adverſarium Io. Gottl. *Møllerum*: de quo ſuo tempore dicemus.

XIX.

Theologia, ſive Colloquia ſpiritualia de variis articulis chriſtianæ religionis, in primis de S. Trinitate, Germanice, ſine auctoris, loci & anni, quo exiit, nomine. Auctor vero eſt Ioannes PREVSSIVS, & liber impreſſus Gubæ, horis nocturnis, anno 1682. Vide p. 620. & *Narrationes innoc.* A. 1713. p. 580. In Dialogis hiſce colloquuntur duo opifices, unus ſartor, alter ſutor, cumque longius progreſſi ſe ſe extricare non poſſent, in auxilium vocarunt Paſtores ſuos, qui quidem per triduum diſputarunt, ſed quia neuter alteri cedere volebat, litem indeciſam reliquerunt, & quorumvis tradiderunt iudicio.

Ioannes *Preuſſius* Guba-marchicus, natus anno circiter 1620. Vnitariorum in Polonia, & poſtea exulantium eorundem in Marchia brandenburgica eccleſiaſtes, vulgavit Cantilenas ſacras germanicas ſub titulo Herzliches ſaitenſpiel, aliasque ſub hoc rubro, Faſtenſpeiſe für kranke gewiſſen, Preces germanicas, Geiſtlicher weyrauch inſcripta, & Confeſſionem fidei, vitamque ultra 60. produxit annos. *Sandius* Biblioth. antitrinitar. 163. *G. Arnold* P. II. 564. & *Narrat. innoc.* A. 1713. 579. 752.

XX.

Equitis poloni Apologia aduerſus Edictum illuſtr. & præpotent. Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ, examinata a Io. *Coccejo*. Lugduni Batavorum 1656. Eques ille polonus, teſte *Sandio* Biblioth. Antitrinitar. p. 130. eſt Ionas SLICHTINGIVS: Edictum autem, quo ſocinianæ doctrinæ propagatio coërcetur, eiusque libros inferri vendive prohibetur, promulgatum eſt d. 19. Septembris A. 1653. Atque hoc adprobat Cocceius, & laudat ac defendit, negans duo hæc, in quibus Apologia ſe præcipue iactet, ipſorum videlicet doctrinam compoſitam eſſe ad pietatem,

Digitized by Google

atque Edictum conſcientiæ vim facere. Apologia hic inſerta eſt, ipſum autem Edictum in belgica & latina lingua, cum non nullis aliis utriusque etiam linguæ, ut Accuſatione Deputatorum Synodorum Hollandiæ ſeptentrionalis, & Iudicio Theologorum Leydenſium, præmiſſum. Vide Godofr. *Arnoldum* in Hiſtor. eccleſ. & hæret. P. II. 560. & Io. Wolfg. *Iagerum* Hiſt. eccleſ. & prof. T. II. 53. quorum hic ſequentibus utitur verbis: *Hanc Apologiam publico & doctisſime ſcripto refutavit vir raræ eruditionis* Io. Cocceius. *Et ſane nulla hæreſis rationi noſtræ adeo blanditur, quam ſociniana; unde etiam nulla tantas difficultates habet, ut ex latebris ſuis extrahatur, & ſolide debelletur, quam hæc ipſa. Id quod tamen felicisſime, nec minus breviter ac nervoſe præſtitit vir antea laudatus.*

Io. COCCEII Iudaicarum reſponſionum & quæſtionum conſideratio. Amſtelodami 1662. Accedit 1) Præfatio de fide ſacrorum codicum hebræorum, ac verſionis LXX. interpretum. Quæ quidem oppoſita eſt Iſaaco *Voſſio*, diſputanti, LXX. interpretum verſionem habere auctoritatem divinam: hebræos codices corruptos eſſe, maxime per puncta vocalia: atque ideo reformandos ſecundum mentem LXX. interpretum. 2) Oratio de cauſis incredulitatis Iudæorum.

EIVSDEM Defenſio altera auctoritatis verbi divini V. T. quod eſt in hebraico codice, & eius lectione recepta. Amſtelodami 1664. Et hæc edita eſt adverſus Appendicem hagienſem libri (*Voſſiani*) de LXX. interpretibus.

XXI.

Henrici MVHLII Vertheidigung und Rettung, Defenſio & Vindiciæ euangelico-lutheranæ veritatis, quæ in concione, A. 1711. dominica Iudica habita, poſtque ea iuſſu Sereniſſimi edita, proponitur. Hamburgi 1721. Hæc Defenſio opponitur L. Theodori *Daſſovii* Veritati victrici: eique annectitur 1) Concio in dominica Iudica A. 1711. in Io. IIX. v. 46-59. recitata, cum auctoris Iudicio, & ſereniſſimi Ducis Conſtitutione contra Sectarios & Fanaticos non nullos. 2) Sermo introductionis in *Luca* XVI. 29. cum D. Albertus *Zum-Felde* in paſtoratum S. Nicolai introduceretur. De D. Muhlio diximus Parte III. huius operis p. 87.

Qui-

87. Quibus hoc addimus, eum A. 1667. Bremæ natum, cum rei theologicæ, tum linguarum orientalium, nec non poëſeos & eloquentiæ peritiſſimum eſſe, pietatem non a vera doctrina ſeparatam, ſed cum ea coniunctam urgere, *Speneri* amicum & defenſorem eſſe in iis, quæ ipſi immerito reprehendi ac damnari in illo videntur, variaque edidiſſe ſolidæ eruditionis monumenta, videlicet, *Cocceii* Sanhedrin & Maccoth, Apologiam ſtudii talmudici, Diſquiſitionem de origine linguarum, Convivium eruditum, Trigam diſſertationum de apodixi ſcripturaria, *Wigandi* Hiſtoriam Auguſtanæ confeſſionis cum Introductione, De eo, quod iuſtum eſt circa puram doctrinam cuſtodiendam, Syntagma diſſertationum hiſtorico-theologicarum, Apologiam eccleſ. euangel. contra Sectarios & Fanaticos, Conciones varias, & Defenſiones adverſus aggreſſus D. Ioſ. *Schvvarzii* & Lic. Theodori *Daſſovii*.

XXII.

Ioannis RVSBROCHII Doctor ecſtaticus, ſive Opera in unum collecta, & in germanicum translata a G. I. C. Offenbachii ad Mœnum 1701. Ea vero ſunt: 1) Summa totius vitæ ſpiritualis. 2) Speculum æternæ ſalutis. 3) Commentaria in Tabernaculum Moſis. 4) Tractatus de præcipuis virtutibus. 5) Liber de fide & iudicio. 6) De IV. tentationibus. 7) De VII. cuſtodiis. 8) De VII. gradibus amoris. 9) Libri III. de nuptiis ſpiritualibus. 10) De perfectione filiorum Dei. 11) Regnum amantium Deum. 12) De vera contemplatione. 13) VII. Epiſtolæ. 14) II. piæ cantiones. 15) Samuel, ſive Apologia pro ſublimi contemplatione, & communione amati cum amatore. 16) Precatio. Hiſce additur Exemplum nuptiarum ſpiritualium, quod antiquo Rusbrochii operum exemplari adſcriptum erat. Operibus autem præfigitur I. Gottfriedi *Arnoldi* Præfatio, in qua diſſeritur de utilitate ſcriptorum myſticorum, auctoritate *Rusbrochii*, & egregiis, quibus celebratus eſt, præſtantiſſimorum virorum elogiis. 2. Præfatio Laur. *Surii*, qui opera belgice ſcripta vertit in latinum. Atque hic laudibus effert Rusbrochium, & ſummam librorum eius tradit. 3. Vita Io. Rusbrochii, deſcripta ab Henrico *de Pomere*, canonico regulari. *Eccard* Excerpt. menſtr. A. 1701. m. Novembr. p. 36.

Io. *Rusbroch*, ſive *Ruubroch*, a pago ad Sambram in Flandria, quo natus erat, ſic dictus, canonicus regularis ordinis Auguſtinianorum, Cœnobiique ad Bruxellas grunthalenſis ſeu Viridis vallis prior, ſanctitate vitæ & ſcriptis ſpiritualibus, unde ei cognomen *divini*, tantam nominis famam acquiſivit, ut magni atque eximii viri, interque eos M. Gerhardus *Magnus* & D. Io. *Taulerus*, e longinquo advenirent, qui miraculum hominis coram viderent, atque ex eius ſermonibus proficerent. Ipſe quidem parum erat litteratus, doctus autem, & ſupernaturales contemplationes ſanctitate & ſimplicitate ac modeſtia ſua, qua ſe pro nihilo reputabat, conſecutus a Deo, patre ac fonte veri maximique luminis. Tandem cum 88. ætatis, Chriſti autem 1381. annum attigiſſet, atque in viſione diem mortis prævidiſſet, magna cum pietate animique lætitia, tanquam portum ſalutis mox ingreſſurus ad diſceſſum ſe præparavit, in febri ardente cum diarrhoea coniuncta patientiam exercuit admirandam, & fratribus vale æternum dicens, clara facie, integra mente, ac plena fide, die 2. Decembris in Domino placidiſſime exſpiravit atque obdormivit. Scripſit obſcuriore dicendi genere, præcipue illis, qui hiſce myſteriis non ſunt initiati: ea igitur, quæ difficilia & captum ſuperare videntur, ipſius auctoris monito prætereunda, nec protinus contemnenda ſunt. A Io. *Gerſone* graviter notatur propter doctrinam de ſubſtantiali coniunctione cum Deo; ſed a *Dionyſio* carthuſiano, Ioanne *de Schœnhoven*, & Laur. *Surio* defenditur. *Id enim*, ut *Bellarminus* de Scriptorib. eccleſ. p. 226. bene ratiocinatur, *accidere ſolet iis, qui ſcribunt de myſtica theologia, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur*. Auctor vitæ *Rusbrochii*, G. *Arnoldus* in præfatione, *Kœnig* 709. *Lexicon univerſ. hiſt.* T. IV. 317. *Olearius* T. I. 407. & T. II. 145. *Freylinghauſen* Revelat. falſæ theol. 185. *Moller* de homon. 881. *Garden* Epiſt. de auctorib. myſtic. §. 6. & *Narrat. innoc.* A. 1715. 47. 378. 567.

XXIII.

Ludovici BLOSII Opera omnia. Pariſiis, ſi non Coloniæ, 1622. in 4. maiori. Nunc accuratius recognita, cum rerum & verborum indice locupletiſſimo; prius autem edita a Iac. *Froio* Coloniæ A. 1566. & 1589. Contenta hæc ſunt: 1) Canon vitæ ſpiritualis

ſpiritualis. Quam auctor ſibi ex diverſis Patrum monumentis collegit, ut ſemper haberet ad manum veluti brevem quandam amuſſim, ad quam vitæ ſuæ rationem exigeret. Adeoque totum opuſculum nihil aliud eſt, quam farrago quædam piorum documentorum: in gallicam linguam tranſlatum a toparcha *Sandricourtano*, qui in Præfatione miris auctorem laudibus effert. 2) Iubilum amantis animæ, in IIX. hymnos rhythmicos diviſum. 3) Conclave animæ fidelis: quo continentur 1. Speculum ſpirituale. In quo breviter annotantur ea, quæ ad vitam ſancte inſtituendam præcipue conducunt. 2. Monile ſpirituale, divinis, ut credit, revelationibus, tanquam præclaris quibusdam gemmis, exornatum. 3. Corona ſpiritualis, continens euangelicam hiſtoriolam vitæ domini noſtri Ieſu Chriſti. 4. Scriniolum ſpirituale. In quo quilibet chriſtianus, cui ſuave eſt Deum accedere precibus, invenire poterit exercitia ſibi multum accommodata. 4) Cimeliarchion piarum precularum. Vocantur *preculæ*, quia breves ſunt, minusque tædii habent, & ardentius e corde erumpunt. 5) Enchiridion parvulorum, conſtans duobus libris: quorum priore exhibetur *Dacriani* abbatis Epiſtola, cum appendicibus *Bloſii* ad illius documenta; poſteriore Tractatulus de præparatione ad felicem mortem, & de patria cœleſti, Deique divinitate, ac creatura rationali. 6. Pſychagogia, hoc eſt, animæ recreatio, IV. libris diſtincta; quorum tres priores collecti ſunt ex tractatibus ſive homiliis divi Aurelii *Auguſtini*, quartus decerptus ex ſcriptis B. *Gregorii* Papæ. In calce eius adiecta nonnulla ſunt ex *Ruperto*, & *Philone*, Laurentioque *Iuſtiniano*. In iſtis autem colligendis non hoc ſpectavit auctor, ut certo omnia ordine colligeret, ſed quæ multum facere videbantur ad animæ peregrinantis, ſupernamque Hieruſalem deſiderantis ſolatium. 7) Collyrium hæreticorum. In quo de cauſa hæreſeos, & iis dogmatibus agit, in quibus Proteſtantes á Romano-catholicis diſſentiunt. 8) Comparatio Regis & monachi. Libellus ex græco S. *Chryſoſtomi* latine redditus. 6) Conſolatio puſillanimium, ſive eorum, qui parvi ſunt animi, ex ſcriptis SS. Patrum & ſacris litteris depromta. Non pro hominibus corrupta mundanaque corda poſſidentibus, ſed pro hominibus bonæ voluntatis, qui, etſi aliquando graviter peccaverunt, vel etiam quotidie ex humana infirmitate

ſtate offendunt, firmo tamen propoſito ſe ſe, cum auxilio gratiæ Dei, corrigere ſtudent, & in bona ſanctaque vita proficere deſiderant. 10) Inſtitutio ſpiritualis, utilis iis, qui ad vitæ perfectionem contendunt, itemque exercitium piarum precationum. Subiicitur Apologia pro *Taulero*, contra Io. *Eckium*, qui eum, in diſputatione adverſus Lutherum, vocat ſomniatorem. 11) Brevis regula tironis ſpiritualis. Data Clementi *Levartio*, monaſticæ vitæ collum ſubmiſſuro. Et in Præfatione ad eundem ait, quotquot religioni per profeſſionem ſe ſe adſtringunt, obligatos eſſe totis viribus ad perfectionem contendere, licet non ſint obligati ad eam pervenire. 12) Margaritum ſpirituale. Complectens epitomen vitæ Chriſti, explicationem dominicæ paſſionis, & alia ad vitam ſancte inſtituendam plurimum conducentia. Et præmittuntur quædam ex Io. *Taulero* & Io. *Ruisbrochio* de incarnatione & vita domini Ieſu. Libellus hic germanice redditus eſt a C. A. P. editusque Gothæ 1705. 12. de quo *Narrat. innoc.* eiusdem anni p. 291. 13) Sacellum animæ fidelis. Conſcriptum in gratiam tironum ſpiritualium, ſive in ſæculo degant, ſive in monaſterio. Omnes namque debere eſſe ſpirituales: niſi enim cum litteris & ſcientiis virtutes & amor Dei, ardorque precum coniungantur, nullius illas uſus eſſe; dolendum, multos non ſolum ex ſecularibus, verum etiam monachis, & ſacræ religionis habitum gerentibus, ſtudia pietatis, ſalutiferæque abnegationis parvi pendere, atque abiicere; resque cito in omnibus religioſis ſodalitatibus melius habituras, ſi humilitatis, mortificationis, veræque devotionis exercitia monachis cordi eſſent, ſicut olim Patribus cordi fuerint. Atque hic libellus, ut inſcriptio profitetur, res pretioſas, ingentemque theſaurum continet; ſpeciatim vero 1. Tabellam ſpiritualem, in qua traditur brevis inſtitutio vitæ chriſtianæ. 2. Preculas pias. 3. Dicta Patrum vere aurea, ex quorum diligenti lectione anima humilis indicibilem utilitatem conſequitur. 4. Medullam pſalmodiæ: cuius ſingula verba gemmis pretioſiora, & nectare ſuaviora, piam ſanctamque animam mirifice exhilarare poſſunt. 14) Facula, illuminandis & ab errore avocandis hæreticis accommoda. Sunt excerpta ex SS. Patribus, quibus demonſtratum it auctor noſter, illos Patres idem credidiſſe, quod in eccleſia romana iam nunc creditur. 15) Speculum monachorum.

rum. In quo eorum officium graphice deſcribitur. Neque vero illud eſt *Dacriani* abbatis, ſed aliorum, ac præcipue ipſius *Bloſii*; ideoque & ultimus ei aſſignatus eſt locus. Ea vero, quæ hiſce operibus præmittuntur, hæc ſunt: a) Dedicatio Bernardi *Gualtheri*, typographi colonienſis. b) Elogium *Bloſii*, e belgicis Elogiis Auberti *Miræi*. c) Maximiliani *a Bergis* Epiſtola ad Iac. *Froium*. d) *Froii* Dedicatio ad illum. e) Epitaphia *Bloſio* poſita. f) *Bloſii* Dedicatio Canonis ſpiritualis ad Fran. *Quignonium*, tit. S. crucis Cardinalem. Atque his quidem pietatis exercitationibus *Bloſius* ſic orbem occupavit atque implevit, ut CAROLVS V. eas in ſinu geſtaret, atque in ſolitudine, pro qua Imperium abdicaverat, aſſidue lectitaret, & PHILIPPVS eius filius, morti vicinus, ſibi quotidie prælegendas curaverit. Excellentiſſimum earundem elogium appendit quoque *Froius* in Epiſt. dedicat. ſub finem.

Ludovicus *Bloſius*, e nobili ſtemmate in Hannonia natus, cum *Carolo*, poſtea Imperatore huius nominis V. educatus, Nicolai *Clenardi* diſcipulus, Monaſterii lætienſis (zu Lieſſe) eiusdem provinciæ abbas, trium linguarum peritus, vir apprime pius, atque ideo *Froio* dictus inter archimandritas ſingulari & eruditione & vitæ ſanctimonia celebres primas tenens, *Miræo* innocentiſſimæ vitæ, archiepiſcopo cameracenſi, Maximiliano *a Bergis* conſummatiſſimum veræ pietatis exemplar, Cardinali *Bonæ*, in Notitia auctorum Divinæ pſalmodiæ præmiſſa, rerum ſpiritualium peritiſſimus, & *Sandricourtano* toparchæ coelo demiſſus ab alto, ea fuit modeſtia, ut in monaſterio maluerit latitare, & ſorte ſua contentus eſſe, quam ſplendidiſſimum archiepiſcopatum cameracenſem a CAROLO V. clementiſſime oblatum, ac tantum non obtruſum, acceptare, atque in beatorum ſedes commigravit A. 1566. annos natus undeſexaginta. *Koenig* 115. *Miræus* Elog. belg. p. 50. *Lexicon univ. hiſtor.* P. I. 385. *Placcius* de pſeudon. 217. *Drexelius* Operum T. I. 117. & auctores *Narrat. innoc.* A. 1705. 291.

XXIV.

Caſp. BARTHII Soliloquiorum libri XX. Cygneæ 1655. Volumina II. Opus Deo optimo maximo ſacrum & dedicatum, maximam partem contra atheos, fictos falſosque Chriſtianos, ſacra-

cramentorum veritatis vecordes contemtores, ut & prævaricatores, ex fundamentis ſapientiæ & rationis, Scripturis ſacris ſenſu ſtiloque conſonæ & debitæ, conſcriptum. Publicatum eſt ab auctore extremis vitæ temporibus, atque a *Spizelio* in Templo honor. reſerato p. 385. laudatur, & opus vocatur inſigne, flagrantiſſimis ad Deum ſuſpiriis plenum, & vel *Augustino* ſcriptore dignum. Atque inde patet, litterarum & humanarum ſcientiarum tractationem ſordeſcere tandem bonis mentibus, nec eas quietem & ſolatium invenire, niſi in piis meditationibus & converſatione cum Deo per ardentes preces, firmæque fidei ſedulum & maſculum exercitium. Neque vero hoc ita interpreteris, quaſi litterarum ſtudia, quibus ipſe delector & adiuvor, contemtui exponere velim; ſed vide, quæſo, ea ut ſic tractes atque exerceas, ne a ſemita pietatis, Deoque debitæ devotionis aberres, & unum negligas neceſſarium.

XXV.

Io. GERHARDI Ubung der gottſeligkeit, ſive Schola pietatis. Norobergæ 1719. Editio recentiſſima, poſt primam, quæ prodiit Ienæ A. 1623. repetita poſtea A. 1639. 1648. 1653. 1663. Eſt nimirum chriſtiana & ſalutaris inſtitutio, quæ cauſſæ quemvis hominem chriſtianum ad pietatem permovere, quoque eam modo exercere debeat. Cum auctoris Hodegeta, monſtrante, qua ratione hoc libro, ad confirmandas pias meditationes, uti queas. In fine additur Dominici *Beerii* Euangeliſcher und epiſtoliſcher wegweiſer, Hodegeta euangelicus & epiſtolicus, non tantum pro iuvenibus miniſtris eccleſiæ, librorum apparatum non habentibus, quomodo ſermones ſuos in diebus dominicis ac feſtis inſtituendos ex hoc libro, in ſalutarem auditorum uſum, elaborare poſſint; ſed etiam pro patribus familias, quid per ſingulos annos, in diebus dominicis & feſtis, ex hac Schola pietatis legere, Deoque placentem meditationem peragere debeant. Totum opus conſtat V. libris, quorum I. agit de cauſſis ſonticis, quæ quemlibet hominem excitare debeant ad pietatem. II. de modo in genere, quo quis in pietate ſe exercere poſſit ac debeat. III. de partibus neceſſariis atque eſſentialibus novæ obedientiæ, quomodo quivis verus chriſtianus ſe ſe in ea, ſecundum normam primæ

mæ tabulæ, gerere debeat. IV. de bonis operibus & chriſtianis virtutibus, quæ in IV. V. & VI. Decalogi præcepto a ſtudioſo pietatis poſtulantur. V. de bonis operibus & chriſtianis virtutibus, quæ in VII. IIX. IX. & X. præcepto a cultore requiruntur pietatis. Singulisque libris additur Præfatio, in quarum prima diſſeritur de debito & ſalutari fructu exercitii pietatis, 1. Tim. 4, 8. in ſecunda de ſumma præcepti divini, 1. Tim. 1, 5. in tertia de comparatione fidelium cum arboribus amœnis & fructiferis, Pſal. 1, 3. in quarta de pii Principis præſtantia inter omnes alios imperantes, Sir. 10, 27. & in quinta de diverſa Euangelicorum & Romano-catholicorum doctrina de bonis operibus. Scopus auctoris hoc in libro eſt, reſiſtere ſecuritati & impietati, falſæque de fide operibus vacua opinioni, nec non abuſui euangelii, & ſtudioſam iuventutem excitare ad cultum tam neceſſariæ, quam utiliſſimæ pietatis. Suſpiciones quidem, & calummiæ hominum male feriatorum non ceſſarunt, quo minus contra hunc & alios ſimiles pii auctoris libros virus ſuum evomerent, eumque cum Weigelianis colludere criminarentur; at vicit tamen bona cauſſa, hocque opus omni tempore ſuos habuit amatores ac laudatores inter doctiſſimos & optimos viros, ita ut D. Nicol. *Zapfius* Præfat. in auctoris noſtri Hodegetam euangelicum illud vocet aureum. Et Io. Andr. *Boſius*, profeſſor ac polyhiſtor olim ienenſis, ſtatuit, poſſe hunc librum theologiæ practicæ cultoribus eſſe inſtar fundamenti; immo illis auctor erat, ut charta pura totum diſtinguerent, atque ita Locorum communium loco uterentur. Sed hoc conſilium ego quidem non dederim; ſcio enim incommoda. quæ inde naſcuntur: nam interſertæ illæ paginæ impediunt evolutionem & lectionem ipſius operis, & multis, immo plurimis in locis manent vacuæ & inanes. Satius autem eſt, adnotare auctores, ſimilia aut plura ſuppeditantes, & peculiarem habere librum Locorum communium practicorum, in quem ea referantur, quæ Gerhardino in libro locum non inveniunt. Ceterum hic liber nec apud *Spenerum* ſua caret laude, ſi placet evolvere Conſilia eius theologica latina P. III. 204. 522.

XXVI.

Ioannis FORBESII Irenicum amatoribus veritatis & pacis

cis in eccleſia ſcoticana. Aberdonæ 1629. Conſcripſit auctor hoc Irenicum, ut reſponderet fratris cuiusdam presbyteri aporiis de receptis in Eccleſia ſcoticana ritibus, agitque in libro I. de geniculatione in S. coena, de menſa dominica, de communione inter populum, de offenſione infirmorum, de tolerantia mutua: in II. de conſervatione receptæ conſuetudinis, de uſu libertatis chriſtianæ in rebus mediis, de poteſtate Magiſtratus civilis circa res eccleſiaſticas, de iure præſidentiæ & regiminis epiſcopalis, de poteſtate excommunicandi, de precum catechiſmi, & rituum eccleſiaſticorum forma publica, de concione funebri, de baptiſmo in privatis locis, de coena Domini, de impoſitione manuum ſuper catechumenis, de diebus feſtis, de ſchiſmate, ſcandalo, die ieiunii, recitatione orationis dominicæ, iuramento doloſo, & Synodorum utilitate ac neceſſitate. Altera huius Irenici editio exſtat in auctoris Operibus iunctim editis; ſed ſcias, in ea voculas aliquot, quæ paullo immitiores, iuſtoque acerbiores reputatæ ſunt, correctas atque omiſſas eſſe, prout indicant nobiliſſimi *Actorum eruditorum* ſcriptores ad A. 1705. p. 229.

Davidis PAREI Irenicum, ſive de unione & ſynodo Euangelicorum concilianda liber votivus. Heidelbergæ 1614. Diſſeritur hoc in libro de diverſitate iudiciorum & conſiliorum ſuper componendis Euangelicorum diſſidiis, de ſcriptionum & colloquiorum theologicorum inſtitutorum vanis ſucceſſibus, de colloquio & Synodo fructuoſe inſtituendis, de ſyncretiſmo contra papatum ineundo, de articulis inter Euangelicos vel conceſſis, vel controverſis, & denique ponderantur Motiva, ſive rationes, quibus coitionem Euangelicorum fieri nec poſſe, nec debere, quidam Principibus perſuadere conantur. Non tamen oppugnationem effugit hic liber: Ioannes enim Georgius *Siguvartus* ei oppoſuit Admonitionem chriſtianam, & Leon. *Hutterus* Irenicum vere chriſtianum: de quo egimus P. II. huius operis, p. 174.

Irenicum, in quo caſus conſcientiæ præcipui de viis quærendæ & conſtituendæ inter euangelicas eccleſias pacis breviter proponuntur & deciduntur, ad exploranda ſuper iis pie doctorum iudicia, vel ad obtinendum ſuper eorum deciſione eorundem conſenſum. Londini 1654. *Pacis eccleſiaſticæ* nomine intel-

liguntur

Digitized by Google

liguntur hic vel induciæ & ceſſatio a ſchiſmaticis controverſiis, vel moderata homineque chriſtiano digna via neceſſarias tractandi in ſpiritus manſuetudine opinionum differentias, vel aperta denique ac publica fraternitatis profeſſio in fundamentalibus doctrinæ capitibus.

Circa pacem religioſam ficta, veraque propoſitio. 1661. Eſt Epiſtola ad Baronem quendam ſcripta, in qua auctor, romano-catholicæ addictus religioni, reſpondet ad ſcriptum illud, quod nomine Electoris moguntini, quaſi is eo conciliationem & concordiam Lurheranorum cum Eccleſia catholica, excluſis Reformatis, quæreret ac procuraret, editum erat. Atque illud ipſum ſcriptum hic inſertum eſt, & ad ſingulas eius partes ordine reſpondetur, tandemque dicitur, non aliam ad tollendum ſchiſma eſſe viam, quam ut diſcutiatur quæſtio, an Lutherani vel Reformati habuerint iuſtam cauſſam ſeparationis ab unitate & communione Eccleſiæ catholicæ, cauſſamque ſeparationis, quæ allegetur, debere eſſe neceſſariam, & ſacra ex ſcriptura probandam.

Io. HOORNBEECKII Diſſertatio de conſociatione euangelica Reformatorum & Auguſtanæ confeſſionis, ſive de Colloquio caſſellano, A. 1661. habito. Amſtelodami 1663. Auctor in ea promit iudicium ſuum non tantum de colloquio caſſellano, ſed etiam de conſociatione obtinenda, & tria agit, 1. hiſtorice oſtendens, quid adhuc in conciliatione Euangelicorum ſit factum: 2. theologice adſtruens, quid fieri debeat: 3. politice diſſerens de ordine, quo fieri omnia debeant. Refutata eſt a D. Abr. *Calovio* in *Δοκιμασια* ſpiritus ſyncretiſtici diſſertationis lugdunenſis D. Io. *Hoornbeeckii* de Conſociatione Reformatorum & Aug. confeſſionis.

Io. *Hoornbeeck*, harlemienſis, doctor & profeſſor theologiæ Vltraiecti, deinde etiam Lugduni, & eccleſiæ paſtor, typis ſubiecit *Socinianiſmum* confutatum, Commentarium de paradoxis & heterodoxis *Weigelianis*, Libros IIX. pro convincendis & convertendis *Iudæis*, Examen Bullæ VRBANI IIX. de ieſuiticis imaginibus & feſtis, Examen Bullæ INNOCENTII X. de pace Germaniæ, Epiſtolam ad *Duraeum* de independentiſmo, belgice

gice Tractatum de catechiſatione, & Catechiſmum *antipapiſticum*, & alia, finemque vitæ terreſtris fecit A. 1666. ætatis 48. *Witte* Diar. biograph. Xxx 4. & *Crenius* Animadverſ. P. XIIX. 22. *Ancillonius* Miſcellan. critic. Tomo II. p. 315. narrat, Hoornbeeckium & Mareſium forte fortuna conveniſſe in officina bibliopolæ alicuius hagienſis, atque hunc illum civiliter allocutum eſſe; ſed illum, intellecto Mareſium eſſe, reſpondiſſe: *Si ſis Mareſius, vale, & pacem cum tuis collegis* (ita alludere volebat ad litem, quæ Mareſio erat cum Riveto) *cole*: atque hoc dicto tergum vertiſſe, & abiiſſe. Mareſium autem hæc repoſuiſſe verba: *Pacem cum Collegis colui, & ſemper colam.* Iam vero ex hoc colloquio infert Ancillonius, Hoornbeeckium incivilem fuiſſe, oppidoque inurbanum.

Collegium de propaganda fide *ως ἐν τυπῳ* adumbratum, & Eccleſiarum reformatarum antiſtitibus & Synodis oblatum a *F. S.* Hamonæ 1668. In eo proponit auctor conſilium, ut Synodus Paſtorum reformatorum quædam univerſalis coëat, quæ ſalutem circa fidem & mores curæ cordique habeat; atque adeo obiectum huius Synodi ſit 1. concordia Reformatorum inter ſe arctior, ſubnixa Confeſſionum harmonia, catholice approbata. 2. concordia Reformatorum cum aliis, ex capite conſenſus huius fundamentalis. 3. concordia non tantum eccleſiaſtica, ſed etiam politica. 4. erectio ærarii eccleſiaſtici. 5. uſus eiusdem ad eccleſias & ſcholas honeſte ſuſtentandas vel plantandas, ad erigenda collegia & ſeminaria, ad communionem ſanctorum cum exoticis eccleſiis colendam, & preſſas ſublevandas. 6. diſciplina eccleſiaſtica. 7. frequentior ſynaxis, ſeu commemoratio mortis Domini. 8. melior cathecheſis, ſecundum normam catechizandi veterem. 9. cura ſcholarum publicarum & privatarum. 10. cenſura librorum. 11. cura & inſtructio bibliothecarum. 12. verſio librorum in linguas vernaculas. 13. bona & pia educatio Principum iuventutis, & eorum, qui ſuo tempore rerum clavo ſint admovendi.

XXVII.

Chriſtliche Fürſten-lehre, ſive Chriſtiana informatio Principum, auctore Cæleſtino Friderico GVTERMVTH. Holmiæ

miæ 1698. & 1702. Partes II. quibus oſtenditur, quomodo Principes, aliique iuvenes, præcipue in doctrina chriſtiana ad fidem operantem informari debeant; & in prima quidem Parte exponitur Catechiſmus Lutheri; in altera diſputatur contra atheos, & traditur hiſtoria eccleſiaſtica & profana, atque hæc ſub IV. Monarchiis. Opus hoc, cui præmittuntur approbationes duarum Facultatum theologicarum, Vpſalienſis, & Gryphiswaldenſis, prodiit conſilio, auſpiciis & ſumtibus auguſtiſſimæ Reginæ Suecorum, HEDEWIGIS ELEONORAE, viduæ. Fuit & *ſuecus anonymus*, qui ante 300. annos de Principis inſtitutione ſcripſit, editus cum notis Io. *Schefferi.* De quo *Morhof.* Polyhiſt. T. III. 20.

Cæleſtinus Fridericus *Gutermuth*, nobilis ſileſius, ſecretarius regius, & ſereniſſimarum Principum Sueciæ, Hedewigis Sophiæ & Vlricæ Eleonoræ informator, Peregrinationem regis CAROLI GVSTAVI annis 1638. & 1639. ipſiusmet manu latine ſcriptam, iuſſu reginæ VLRICAE ELEONORAE A. 1689. in germanicam linguam tranſtulit, & A. 1698. Chriſtianam edidit devotionem privatam, ſcriptis hiſce ſatis oſtendens, activum ſibi curæ cordique eſſe chriſtianiſmum, omnemque eruditionem ſine illo inanem reputandam umbram, ac fœtidum cadaver. Rich. *ab Hardt* Holmiæ litteratæ p. 13.

XXIIX.

Frid. BALDVINI Tractatus de caſibus conſcientiæ. Wittenbergæ 1654. Editio altera, priori (de anno 1635.) correctior: quam ſecuta eſt alia A. 1663. Et in illo quidem caſus conſcientiae non ad ἐθελοθρησκείαν Romanenſium, ſed ad unicam Scripturæ ſacræ normam enodantur, ac reſolvuntur. Hinc Theologi wittebergenſes opus hoc in Præfatione ſua vocant utiliſſimum ac perquam neceſſarium, immo aureum, in quo nihil ſuperſtitionis, nihil conſpirationis, nihil crudelitatis, nihil periculi aut fallaciæ; & Aug. *Buchnerus* in Epigrammate canit: *Sol chriſtiano* Balduinus *eſt orbi*. Vide *Crenium* P. VI. Animadverſ. p. 145. Et conſtat illud IV. libris, quorum primus agit de conſcientia & eius caſibus in genere: ſecundus de actionibus hominis circa Deum & religionem: tertius de actionibus hominis circa ſpiritus cæleſtes: quartus de

tus de actionibus hominum circa res humanas. Marginalia autem, & quæ, cum margine capi non poſſent, interſperſa ſunt, addita ſunt a ſtudioſo quodam. Atque hic, ut *Crenius* indicat Animadverſ. P. VI. 145, erat Io. Georg. *Seldius*, Hilperhuſa-francus: qui etiam de ſuo quædam addiderit.

Lib. IV. cap. 8. caſu III. p. 793. In noſtræ Wittebergenſis eccleſiæ Agenda hæc verba (Vnd die er ſelbſt dazu gethan hat, id eſt, Et quæ ipſe addidit) *in parentheſi* leguntur, *neque apud nos in baptiſmo infantum uſurpantur.*

Conſtat, *neque in parentheſi* ea legi, *neque unquam omiſſa in baptiſmo infantum.* Quæ cauſſa eſt, quod facile credam, periodum iſtam, ut multa alia, *vitio ſcriba* in librum illum irrepſiſſe. Io. *Meiſner* in Faſciculo Diſpp. theolog. & quidem diſp. III. §. 26. *Crenius* l. c. p. 145.

Frid. *Balduinus*, dresdenſis, pellionis filius, etſi nullis inſtructus opibus, Dei tamen providentia, celſiſſimique Ducis Saxoniæ & Proelectoris Friderici Guilielmi ſubſidiis adiutus, tantum in ſtudiis ſuis profecit, ut latinas & græcas litteras ad elegantiam uſque, hebræam vero, quantum ſatis eſt, diſceret, ac præter philoſophiæ partes alias matheſin excoleret, atque in poeſi, ad quam a natura videbatur factus eſſe, præclari quid præſtare ſciret. Hinc cum laude utramque lauream conſecutus, philoſophicam & poëticam, ſacris ſe ſtudiis, ſub informatione Polyc. *Lyſeri*, Aeg. *Hunnii*, & Sal. *Geſneri*, totum tradidit, ita ut poſtea variis functionibus fructuoſe ac laudabiliter præeſſe potuerit. Fuit enim ſucceſſive diaconus friburgenſis, ſuperintendens olsnicenſis in Voitlandia, &, legitime impetrato Doctoris gradu, Wittebergæ profeſſor theologiæ, antiſtes eccleſiæ, & Conſiſtorii eccleſiaſtici aſſeſſor, potuiſſetque concionatoris aulici dignitatem, quippe quæ ipſi oblata erat, habere, niſi invidioſo aulæ ſplendori præferre maluiſſet amœnas & ſecuriores umbras academiæ. Et quamvis ad ſummam ſenectutem non vixerit, (obiit enim A. 1627. ætatis 52) eam tamen vitæ rationem tenuit, totque ac tam præclara ſcripta condidit, ut in Epitaphio iure dici potuerit vir vere apoſtolicus, & non niſi cum maximis laudibus nominandus;

Digitized by Google

dus; uſque adeo ipſum abſoluta eruditio, ſumma pietas, inuſitata vitæ innocentia, morumque ſupra ſeculi captum probitas admirabilem omnibus fecerant, & maximorum theologorum gloriæ æquaverant. Potiora autem eius ſcripta (nam quis omnia enumeret?) ſunt Commentaria in Pſalmos Davidis pœnitentiales, in Prophetas tres poſteriores, atque in Epiſtolas paulinas, Chriſti Adventus typicus, eiusdemque Paſſio typica, Hyperaſpiſtes Lutheri, adverſus maledicam orationem Nicolai *Serarii*, Tractatio theologica de diſputatione cum diabolo, contra eundem, Diatribe de antichriſto, contra Caſp. *Scioppium*, Epiſtola apologetica pro communione ſub utraque, contra Mart. *Becanum*, Defenſio Auguſtanæ confeſſionis contra Pet. *Patzmannum*, Examen Compendii theol. D. Chriſtoph. *Pelargi*, Oratio panegyrica de Synodo Euangelicorum generali, contra Dav. *Pareum*, Reſponſione ad XII. rationes *Reformatorum* in doctrina de S. cœna, atque ad librum alicuius politici *berolinenſis* eadem de materia, item Antapologia, Apologiæ illorum Reformatorum oppoſita, Refutatio catechiſmi ariani, & Collegium ſive Diſpp. contra *Photinianos* recentes. *Witte* Memor. theol. 270. *Spizel.* Templ. hon. reſer. 77. *Morhof.* Polyhiſt. T. I. lib. VI. p. 299.

XXIX.

Felicis BIDEMBACHII Conſilia theologica. Francofurti 1611. Sunt eorum Decades X. & aliorum quidem theologorum, ut Io. *Brentii*, Sigiſm. *Cephali*, Wolfg. *Muſculi*, Iac. *Andreæ*, Matth. *Aulberi*, Andr. *Oſiandri*, Io. *Hugonis*: Io. *Wigandi*, Conr. Wolfg. *Platzii*, Hier. *Mencelii*, Io. *Matthesii*, Iod. *Hockeri* & Herm. *Hamelmanni*, Wilh. *Bidembachii*, Tilem. *Heshuſii*, Iac. *Heerbrandi*, & Theodor. *Schnepfii*, Lucæ *Oſiandri*: Ant. *Corvini*, Andr. *Muſculi*, Io. *Bugenhagii*, Io. *Galli*: Ioach. *Zehneri*, Mart. *Lutheri*, Maximil. *Moerlini*, Matth. *Flacii*, Nic. *Galli*, Sal. *Codomanni*, *Wirtembergenſium* theologorum: Balth. *Bidembachii*, Tilem. *Brenlei*, Phil. *Melanchthonis*, Mart. *Buceri*, Io. *Pfeffingeri*, Andr. *Colichii*: Hier. *Welleri*, *Tubingenſium* theologorum, Herm. *Emſinckoferi*: Georgii *Mylii*, Caſp. *Radeceri*, Zach. *Rivandri*, Io. *Schutzii*, Io. *Aepini*, Matth. *Iudicis*: Mart. *Hammeri*, Sigfr. *Sacci*, Georgii *Codonii*, Mich. *Coelii*: *Reutlingenſium* & *Saxonicorum* theologorum. Sciendum autem, plures

plures inter hoſce eſſe, qui duo & plura conſilia dederunt, duasque ultimas Decades non a Felice, ſed Io. Mauritio *Bidembachio* collectas eſſe.

Felix *Bidembach*, ſive *Bydembach*, Stutgartia-wirtembergicus, S. theol. D. & poſt diaconatus munera concionator in patria aulicus, deinde abbas adelbergenſis, & ſuperintendens ibidem generalis, tandemque abbas maulbrunnenſis & Provincialium aſſeſſor, theologus profundus, qui in ſimplicitate prudentiam, in adverſitate patientiam, in veritate conſtantiam, in parſimonia temperantiam exercuit, colloquio ratisbonenſi A. 1601. interfuit, diſſidia circa fidem, in Suevia exorta, Halæ Suevorum compoſuit, & apoplexia correptus (cuius metu ſolitus eſt quavis nocte peccatorum diurno tempore commiſſorum devotiſſime rogare veniam) in conventu bebenhuſano, ibidem & exſpiravit & ſepultus eſt anno 1612. cum 48. ætatis annum peregiſſet. *Witte* Memor. theol. p. 845. & Diar. biograph. I 3. Io. *Fecht* Supplem. hiſt. eccl. Sec. XVI. 132. *Fiſchlinus* Memor. theol. wirtemb. P. II. 32. ac *Serpilius* Epitaph. theolog. in Suevia natorum p. 14. Scripta hæc reliquit: Manuale miniſtrorum eccleſiæ, Promtuarium connubiale & exequiale, Tractatum de cauſis matrimonialibus, Brevem inſtructionem, quomodo cum ægrotis & moribundis ſit agendum, & alia.

XXX.

Arnoldi MENGERINGII Scrutinium conſcientiæ catecheticum. Altenburgi 1642. Quo monſtratur, qua ratione quis conſcientiam ſuam ſecundum catechiſmum examinare debeat, ut peccata atque errores ſuos cognoſcere, deque iis poenitere poſſit.

Arnoldus *Mengering*, halenſis Saxo, cuius pater Ducis *de Alba* crudelitatem effugiens, Daventria Halam conceſſerat, *Hutteri*, *Balduini*, *Hunnii*, *Franzii* & *Meiſneri* in academia vitembergenſi, Io. autem *Gerhardi* in ſalana diſcipulus, & Facultati philoſophicæ huius loci adiunctus, in variis docuit eccleſiis, colditienſi, puta, ſudenburgica, loebeginenſi. & halenſi; ſed a Cæſarianis pulſus Bitterfeldii in exilio vixit annum pæne totum: quo

quo elapſo Dresdæ aulicum egit eccleſiaſten, donec Altenburgum vocaretur ad munus concionatoris aulici & conſiliarii eccleſiaſtici, pariterque honores doctorales Sereniſſimi ſumtibus petere iuberetur. Sed nec in hac ſtatione conſenuit: Halam enim, ut ſuperintendentis paſtorisque primarii, & ſcholæ ephori munera ſuſciperet, invitatus, non potuit non Senatui oppidano patriæque morem gerere. Quem vero ſibi locum elegerat vitæ, en, is leti fuit: nam præter omnium ſpem, morbo apoplectico in ſinu ſuorum interiit anno 1647. cum numeraret annum ætatis quinquageſimum. Moriendi velocitate ac felicitate imitatus eſt *Matthefium*, *Trozzendorfium*, *Saccum*, & Hier. *Wellerum*; ſicut & optimis illos ſcriptis aſſequebatur: namque in primis eius Schola catechetica, quæ eſt quaſi anteambulo ac prior pars Scrutinii catechetici, Belial ſtratioticus & Sceleratus metator, Tobias conſcientioſus, *Belſazeris* ſacrilegium, Horcologia, aliaque plura exſtant, & multo cum fructu leguntur. *Witte* Memor. theol. 648. *Gotter* Elogiis claror. virorum, qui Altenburgum ſcriptis meritisque illuſtrarunt, p. 40. & *Crenius* Animadverſ. P. VI, 144. qui ei laudem tribuit eximiæ pietatis in Deum theologi, quo nemo fere magis hoc de doctrinæ genere meritus ſit. Litem ei moverunt Hamburgenſes theologi de Antimengeringio, cui fabulæ bonus vir faciles nimis aures præbuerat, fidentiusque de eo ſcripſerat in Informatorio conſcientiæ catechetico. Sed illi eum arcte tenuerunt, prout videre licet in utriusque partis litteris apud *Dedekennum* Conſil. theol. T. II. 590.

XXXI.

Ludovici DVNTE Caſus conſcientiæ. Erfurti, ſeu, ut in fine dicitur, Arnſtadii 1648. Qui, ut prius editi fuerunt Lubecæ A. 1636. ita poſtea Razeburgi A. 1664. prodierunt. Sunt deciſiones 1006. caſuum conſcientiæ e diverſis Theologorum ſcriptis, *Dedekenni* videlicet opere, Fel. *Bidembachii* Conſiliis theologicis, *Balduini* Caſibus conſcientiæ, item *Gerhardi*, *Meiſneri*, *Hunnii* & aliorum libris collectæ, contractæ & in brevitatem redactæ, ac iuxta ordinem Locorum theologicorum poſitæ. In *Wittii* Memoriis theologorum p. 481. hoc opus vocatur plane aureum, & *Hottingerus* Bibliothecarii p. 407. ſcribit, Duntium in Caſibus conſcientiæ eſſe facillimum.

Ludovicus *Dunte*, Revalia-livonus, *Winckelmanni Menzeri*, *Giſenii*, & *Feurbornii*, nec non *Thummii* & *Hafenrefferi*, item *Balduini*, *Franzii* & *Meiſneri* diſcipulus, ab itinere belgico, anglicano & gallico redux, muneri eccleſiaſtico, quod ei in patria urbe oblatum, multa cum laude præfuit, idque cum altiore & lautiore, ad quod invitabatur, permutare noluit. Neque tamen adverſis caruit: nam, ut alia præteream, ob elencticum officium cathedra ei eccleſiaſtica aliquando interdicta fuit. Et quamvis tribus poſt hebdomadibus honori & dignitati priſtinæ reſtitueretur, ea tamen mentis alacritate, qua antea gaudebat, carere viſus eſt; imo tandem id conſecutus animi ægritudine, ut in morbum acutum & hecticum incideret, mundumque hunc relinqueret anno 1639. cum in exilio hoc terreno 43. annos exegiſſet. De doctrina ac pietate eius ſingulari loquuntur hæc eius ſcripta: Buccina euangelii, Concio de præſtantia ſcholarum, Libellus catecheticus, Sudariolum pro abſtergendo ſudore parturientium, & exſiccandis lacrimis viduorum, ac Praxis pietatis. *Witte* Memor. theologor. 479.

XXXII.

Georgii KOENIGII Caſus conſcientiæ. Altorfii 1676. Prius A. 1654. Sed altera iſta editio a filio curata, ab eodem partim ex MS. auctoris, partim ex propriis adverſariis aucta eſt. Caſus autem conſcientiæ illi tractantur, qui in VI. capitibus doctrinæ catecheticæ, ut & in tabula oeconomica, ſubinde ſolent occurrere. Quibus additur Caſuum miſcellaneorum heptas, poſt obitum auctoris edita A. 1655. *Hottingerus* Bibliothecarii p. 407. *Kœnigium* ait in Caſibus conſcientiæ eſſe diffuſiſſimum, & Chriſt. *Thomaſius* in Annotat. ad Pufendorfium de monarchia ſpirituali p. 265. propterea eum notat, quod omnes controverſiarum cum Reformatis minutias Caſibus ſuis immiſceat; quo conſilio, facile quemvis poſſe odorari, qui non ſit obeſæ naris.

Pag. 770. Ad rationes in contrarium allatas (ab iis, qui negant, iuramentum religionis in verbo Dei eſſe fundatum) ſic *reſpondemus*.	In contrarium diſputat Chriſt. *Thomaſius* in Cautelis p. 196.

Geor-

Georgius *Kœnig*, Amberga-palatinus, *Soneri*, *Piccarti*, *Queccii*, *Schopperi*, item *Hutteri*, *Balduini*, *Franzii*, nec non *Reidenii*, *Grameri*, & Io. *Maioris* diſcipulus, theol. D. & profeſſor in academia altorfina, atque eccleſiæ paſtor primarius, & bibliothecæ præpoſitus academicæ, officiorum ſuorum partes ita implevit, ut apud Proceres laudem, apud collegas æſtimationem, apud auditores amorem ac venerationem conſequeretur, atque omnibus ad urnam uſque quam maxime probaretur. Sermonum gratia, vultus elegantia, & gravitate mixta comitas commendatiſſimum reddebant virum, ſicut ſcripta celebrem. Ex iis in theologorum manibus verſantur Vindiciæ locorum Scripturæ, Oratio de ſtudiis virorum illuſtrium in condendis bibliothecis, Tractatus de antichriſto contra Mich. *Denckium*, & variæ Conciones ac Diſputationes. Cumque ſenectute, quæ ipſa mors eſt, premeretur, ac vires ſuas valde attritas eſſe ſentiret, ſæpe optavit diſſolvi, atque liberari ab hoc ergaſtulo, & uno ante obitum anno, quum vitam & mortem, cælum & infernum auditoribus ſuis proponeret, ſermonem ſacrum præter morem finivit vocula DIXI, quaſi præludens ac præſagiens morti ſuæ, qua finis imponendus eſſet vitæ ſuæ, & expectanda ſententia iudicis. Dixit ergo, & dicere ceſſavit anno 1654. ætatis 65. Io. Conr. *Dürrius* in oratione parentali, quæ exſtat in *Wittii* Memoriis theolog. p. 1100. *Omeis* in Gloria academiæ altorfinæ p. 26. & *Boineburgius*, qui in Epp. ad Dietericum p. 319. hac eum laude ornat, quod omni ſtudio theologi accurati & pii exemplum repræſentaverit.

XXXIII.

Ieremiæ TAYLORI Ductor dubitantium. Bremæ 1705. Ex anglicana editione quarta, eaque optima, in germanicam linguam translatus a viro quodam docto, ut in *Extractis menſtruis* A. 1700. p. 337. proditur, lipſienſi. Continetur in eo deciſio variorum caſuum conſcientiæ ad amuſſim iuris divini, canonici, civilis & naturalis, per veritatem ſolide confirmata, ut quivis non ſuam tantum vitam inde examinare, corrigere & inoffenſe formare, ſed & aliorum facta ſecundum illam iudicare poſſit. Opus non modo theologo, ſed etiam ICto, politico, & cuivis alii oppido utile; ideoque etiam laudatur ab auctore *Extractorum menſtruorum*

rum l. c. Et anno 1696. Londino ad illuſtrem Leibnitium, ſicut legimus in Miſcellaneis Leibnitianis p. 25, ſcribebatur, auctorem noſtrum haberi optimum inter eos, qui de caſibus conſcientiæ ſcripſerunt. Celeberrimus etiam fatetur *Thomaſius* in Annotat. ad Puſendorfii Monarchiam ſpiritualem p. 266. librum hunc propterea eſſe commendandum, quia auctor eius plures erroneas doctrinas papiſticas detexerit, quam ullus Proteſtantium. In Præfatione, quæ ſatis longa eſt, varia proponuntur, quorum ſummam recitare haud gravabimur, videlicet, tempore reformationis theologiam caſuiſticam vix locum habuiſſe; ſed poſtea non defuiſſe, qui laudabilem in ea operam præſtiterint, & ex Lutheranis quidem *Balduinum*, *Bidembachium*, *Dedekennum*, *Kœnigium*, & epitomatorem operum Io. *Gerhardi*, ſicut ex Reformatis *Alſtedium*, *Ameſium*, *Perkinſium*, & noviſſimum *epiſcopum norvicenſem*: Scriptorum pontificiorum quosdam miras & exſecrandas conſcientiæ regulas tradidiſſe, neque modum eorum doctrinæ ſive informationis probari poſſe; ſuum propoſitum fuiſſe, multas illas materias, quæ huc ſpectant, in ordinem redigere, & quæſtiones inutiles miſſas facere, ſemper autem oculum dirigere ad IIX. Regulas univerſales. Et quænam illæ? 1. in difficilibus & intricatis quæſtionibus viam calcare facillimam. 2. in odioſis ac tædioſis eam accipere partem, quæ minus tædii atque odii efficit. 3. in favorabilibus atque utilibus eo uſque ire, quo licet. 4. in rebus & quæſtionibus homines reſpicientibus ita dubium decidere, ut illi pacata poſſint eſſe conſcientia. 5. in iis, quæ ad Deum pertinent, id ſuadere, quod eius honorem promovet quam maxime. 6. in rebus officii noſtri id probare, quod eſt ſanctiſſimum & graviſſimum. 7. in dubiis, quod eſt ſecuriſſimum. 8. in probabilibus, præferre id, quod rationi videtur maxime conſentaneum, neque permittere, ut quis illud apprehendat, quod poſtea ſecundum omnes circumſtantias, atque in toto opere, minus ſit probabile, minusque rationale.

In Præfatione pag. 4. Non opus eſt, *ait Concilium tridentinum Seſſ. XIV. cap.* 4. ut pœnitentia noſtra ſit contritio ſpiritus, atque confeſſionem præcedat, ſed ſufficit, ut poſt aliquod temporis ſpatium fiat.	*Hoc ibi non legitur*, in meo quidem exemplari.

Ne-

Pag. 5. *Idem pergit:* Et ſi nihil aliud quam peccata venialia confiteri velit, ſatis eſt, ut veram contritionem habeas ſuper unico. Similiter ſe res habet cum peccatis mortalibus, ſi confitenda ſunt.	*Neque hoc.*
Ipſe mihi *certos limites & regulas* (videlicet IIX.) propoſui, ſecundum quas omnes occurrentes quæſtiones ac dubia decidere ſtudui.	Regulæ illæ *non ſunt tam claræ*, ut non paſſim multa & operoſa declaratione ſeu limitatione indigeant. Chriſt. *Thomaſius* Annot. ad Puſendorfii Monarch. ſpirit. p. 266.

Ieremias *Taylor*, (quod nomen in pronuntiatione biſyllabum eſt) cantabrigienſis, artium magiſter, theologiæ prælector in eccleſia S. Pauli londinenſis, & capellanus regius, poſtea theologiæ profeſſor oxonienſis, tandemque epiſcopus in Hibernia dunenſis & connorenſis, (zu Down und Connor) varia condidit publicique iuris fecit, quæ de magna eius & pietate & eruditione, & moderatione teſtari poſſunt, ex quibus ſunt Tractatus de officio epiſcoporum, Libertas prophetiæ, Vnum neceſſarium ſive doctrina & praxis pœnitentiæ, Reſponſio ad Epiſtolam Epiſcopi roffenſis de peccato originali, Libellus de reali & ſpirituali præſentia Chriſti in S. cœna, Formula precum ad varios caſus, ordinarios & extraordinarios, Diſſuaſio a papatu, Hiſtoria vitæ & paſſionis Ieſu Chriſti, quæ eſt quaſi prior pars Caſuum conſcientiæ ſive Ductoris dubitantium, Selectæ conciones in omnes anni dominicas, & Regula atque exercitium vitæ chriſtianæ. Vixit, quod *Clericus* Tomo IX. de la Bibliotheque ancienne & moderne p. 324. obſervat, eo tempore, quo cogitationes etiam optimæ, quales eius erant, non poterant non irritare ſpiritus hominum: unde etiam apologia opus habuit, qua ſe defenderet. Sine dubio igitur lætus e ſtrepitoſo & pugnace diſceſſit mundo, in quo non licet libere prophetare, lubensque morti, ad quam pie excipiendam alios hortabatur, manus dedit, idque anno 1667. *Witte* Diar. biograph. Zzz 3. *Hyde* Catal. biblioth. Bodlei. p. 196. *Thomaſius* l. c. & Chriſtoph. *Sandius* Nucleo hiſtor. eccleſiaſt. p. 256. qui eum vocat ſcriptorem excellentiſſimum.

XXXIV.

Ioan. Conr. DANNHAVERI Theologia conſcientiaria. Argentorati 1679. Tomi II. ac totidem volumina. Et alteri additum eſt Collegium eiusdem decalogicum, ut tertii Theologiæ conſcientiariæ tomi vices ſuſtinere poſſit. A. 1669. Editiones hæ utriusque operis ſunt ſecundæ, eæque emendatiores & auctiores. Et hiſce, ſi *Bebelium* in binis ſuis Præfationibus audimus, contenti eſſe poſſumus, etiamſi primas huius laboris lineas, de quarum poſſeſſione D. Io. Frid. *Mayerus* in Bibliotheca ſcriptorum theologiæ moralis & conſcientiariæ, Aegidii *Strauchii* Theologiæ morali adiecta, gloriatur, non habeamus: ſufficit enim nobis, accuratum atque induſtrium virum D. *Bebelium* editiones iſtas ex auctoris MSStis emendaſſe atque locupletaſſe, & laborem hunc auctoris ab ipſo *Mayero* & clariſſimis *Actorum eruditorum* collectoribus ad A. 1705. p. 561. quamquam auctor alteri Tomo immortuus eſt, agnoſci ac celebrari perfectiſſimum. Toti operi præmiſſa eſt Oeconomia, ſive compendioſa illius diſpoſitio, in qua, quidquid theſaurorum hic reconditum eſt, ſynoptice exhibetur. Sed nec dum poſſumus abire a Præfationibus *Bebelii*: nam in ea, quæ priori Tomo præfigitur, ait *Dannhauerum* ſcientiam ſuam theologicam publice eo comprobaſſe, quod caſus conſcientiæ intricatiores ea dexteritate ſolverit, ut pares habeat paucos, ſuperiorem forte neminem: in altera, quæ Collegio decalogico præmittitur, rudes illum informare, errantes refutare, ſegnes incitare, impios terrere, miſeros conſolari, dubios firmare, ſcrupuloſos e tricis ſuis expedire, eaque omnia diſtincte, pie, copioſe, accurate, perſpicue digeſſiſſe, propoſuiſſe, elocutum eſſe, examinaſſe, & diiudicaſſe, id eſt, præcipuos commentatoris numeros expleviſſe.

XXXV.

Chriſtoph. Ioachimi BVCHOLZII Reſponſum iuris pro matrimonio Principis cum defunctæ uxoris ſorore contracto. Rintelii 1652. Elaboratum id fuit nomine ampliſſimi Collegii ICtorum rinteliensis, ad requiſitionen ſereniſſimi Holſatiæ Ducis, *Augusti Philippi*, editumque eum in finem, ut publice conſtaret, quid hac in re ſtatuerint: paſſim enim percrebuerat calumnia,

lumnia, eos indifferenter probare hoc matrimonii genus, & ſanctionem eccleſiæ illud improbantem everſum ire. Reſponderunt igitur, 1. hoc coniugium poſſe permitti, quia in verbo Dei non ſit prohibitum. 2. præcipue, cum iam ſit contractum, ac verſetur inter illuſtres perſonas Principis & Comitis S. R. Imperii, quorum maxima eſt dignitas, adeoque 3. poſſe in eo diſpenſari.

Chriſtoph. Ioachim *Bucholtz*, Scheninga-brunſvicenſis, Andreæ Henrici theologi frater, natus cum eo A. 1607. I. V. D. & prof. rintelienſis, conſiliarius ſereniſſimi Haſſiæ Landgravii, & conſul hamelenſis, duo etiam ſcripta edidit contra Aeg. *Strauchium* A. 1663. cum iam ad ſenium vergeret, laudemque obtinuit ICti pii & accurati.

EIVSDEM Adſertio prioris Reſponſi adverſus argumenta Io. Ottonis *Taboris* ICti, & Mich. *Havemanni* theologi. Rintelii 1659. In Prooemio dicit, ſpem ſibi non fuiſſe nullam, tantos antagoniſtas minime provocatos aliquod operæ pretium facturos, & pro ſua fama, qua alter iam clareat, alter vero clarere laboret, talia argumenta oppoſituros fuiſſe, quibus ſi non expugnatæ, ſaltem recte oppugnatæ videri poſſent rationes in Reſponſo ſuo propoſitæ: verum ibi nihil offendere licere præter id, quod ad infringenda argumenta ſua tam ineptum ſit, quam quod maxime. Vtrumque enim antagoniſtam adſerere, Deum O. M. per Moſen prohibuiſſe matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore, & quidem ex ratione & lege naturæ; ſed hoc, quod maxime omnium probandum foret, ſine probatione, ac nude & ſimpliciter adfirmare. Sibi igitur potuiſſe ſufficere meram adſertionis negationem; nihilo minus tamen, ac præter morem & neceſſitatem, ſe negationis ſuæ allaturum probationem.

EIVSDEM Examen Adſertionis Reſponſi Moſis, ut *Havemannus* quidem illud vocat. Bremæ 1662. Quo, omnibus argumentis contrariis reiectis, nec a Moſe, nec a natura iſtas, & id genus alias nuptias prohibitas eſſe, ſolide demonſtratur.

EIVSDEM Vindiciæ ſui Examinis, contra Defenſionem moſaicam *Havemanni*. Helmæſtadii 1664. Cum Appendice ad novam interpretationem legis Levit. 18, 18. M. Matthiæ *Bugai*, quæ hic

hic exſtat p. 229. ubi paucis ſe ita explicat: Approbare ſe Principum proteſtantium Edicta, quibus hoc genus matrimonii prohibeant; ſed hoc tantum diſputare, An non poteſtas ſit Principi & Magiſtratui, iure epiſcopali, quod ſuperioritatis territorialis pars ſit, armato, in caſu matrimonii, extra iuris naturæ prohibitionem, contra legem poſitivam contracti, ex iuſta cauſſa facere gratiam contrahentibus, & diſpenſare, ut ſeparare neceſſum non ſit eos, qui tale matrimonium contraxerunt? Et hoc ſe adfirmare.

Henrici WALMII Enodatio caſus ſive quæſtionis practicæ, Num vir pius & religioni euangelicæ addictus, nullo ceteroquin munere eccleſiaſtico vel ſcholaſtico, aliove fungens, neque ad illud ſe idoneum reddere valens, certisve de cauſſis nolens, poſſit nihilominus illæſa conſcientia uti fruique bonis, quæ appellantur eccleſiaſtica, in reformatis, vel, ut vocant, ſecularisatis epiſcopatibus, ſub titulis *Præpoſiti*, *Archidiaconi*, *Decani*, *Scholaſtici*, *Theſaurarii*, *Cellarii*, *Præbendarii*, *Canonici*, *Vicarii*, *Commiſſarii*, & ſimilibus; absque ullo tamen ſpiritualitate pontificia, & ſic accenſeri primo Reip. membro, quod conſtituunt homines bona ſub eiusmodi titulis poſſidentes, ex ordine publico & lege fundamentali, ſtatutisque, iuxta quæ, poſt tempora etiam reformationis, nemo ad illa bona poſſidenda, & ὑπεροχὴν illis annexam, admittitur. Helmſtadii 1674. Tenet autem ſententiam affirmantem. Ceterum animus ei erat argumentum hoc ſub incudem revocare, veramque ſententiam firmiſſimis, &, quoad licet, apodicticis rationibus probare, contrariam vero, eamque falſam, & eius argumenta diſcutere ac refutare. Verum an illud præſtiterit, compertum non habeo.

Henricus *Walm*, E. H. SS. P. & P. C. id eſt, Eccleſiæ halberſtadienſis ſanctorum Petri & Pauli canonicus, anno 1673. condidit Aphoriſmos de politico pragmatico, ac ſupremum poſt hoc tempus diem obiit.

IV. Reſponſa theologica, videlicet aliquot theologorum HASSIACORVM, Io. GERHARDI, Tobiæ HEROLDI & Chriſt. HELVICI, ad quæſtionem: An Iudæi in civitate chriſtiana a Magiſtratu poſſint ac debeant tolerari? Lipſiæ, apud Henn.

Henn. Groſſium iuniorem, ſine expreſſione anni. Adfirmant, ſub certis reſtrictionibus. Neque gravabor indicare tibi Haſſiacorum nomina. Erant nimirum Mart. *Bucerus*, Io. *Kymeus*, Dionyſius *Melander*, Io. *Leyningus*, Iuſtus *Winther*, Io. *Piſtorius*, Caſp. *Kauffungen.*

Tobias *Herold*, S. theologiæ doctor, & primarius eccleſiaſtes in æde S. Martini halberſtadienſi, animam ſuam Deo reddidit anno 1620. cum ætatem attigiſſit annorum 45.

D. Martini KEMNICII Relatio & iudicium de novo Calendario Gregoriano. A. 1584. Directum eſt hoc Iudicium ad ſereniſſimum Haſſiæ Landgravium, optimum tunc temporis mathematicum, in quo triplicem commonſtrat viam, qua Calendarii veteris error corrigi queat; adeoque non improbat novum Gregorianum, modo per indiſcretam illius receptionem Papæ romano non permittatur poteſtas aliqua in eccleſiis Proteſtantium, ſive directe ſive oblique quid mutandi, ſtatuendi, ac præcipiendi.

XXXVI.

Io. BRENTIVS von Eheſachen, de rebus coniugialibus. Sine anno & loco. Videtur tamen impreſſum eſſe Halæ Suevorum. In eo tractatur de caſibus coniugii, quomodo ſecundum ius divinum ſint iudicandi ac decidendi; ſpeciatim vero his de quæſtionibus: 1. An rata ſint ſponſalia ſine parentum conſenſu? 2. Quænam perſonæ, non obſtante conſanguinitate aut affinitate, poſſint coniungi? 3. An, qui virginem defloravit, ad eam ducendam poſſit cogi? 4. An chriſtiano liceat plures una uxores habere? 5. An inter Chriſtianos fieri poſſit divortium? 6. Num, extra adulterium, cauſa divortii eſſe poſſit invidia, ira, veneficium, & aliud quid? 7. An lepra? 8. An impotentia debitum præſtandi coniugale? 9. An diuturna abſentia? *Lutherus* huic libello præfatus eſt, ſicut legimus in eius operum ienenſ. germanicorum Tomo V. p. 324.

Tilem. HESHVSIVS von Eheverlöbniſſen, de Sponſalibus, & gradibus prohibitis. Erfurti 1591. Auctor ſcripſit hunc tractatum, cum munus gereret in Boruſſia, & ideo Præfationem direxit ad Paſtores illius Principatus, docens, ſe brevem hic inſtru-

ctionem dare voluiſſe de gradibus a Deo in Levitici cap. XIIX. prohibitis, in gratiam non modo plebeiorum, ſed etiam ſacerdotum & paſtorum.

Gründlicher bericht, Solida informatio ex S. ſcriptura, in quantum Magiſtratui debeatur obedientia, & quis, quomodo, & in quibus caſibus reſiſtere poſſit impiis tyrannis? 1522. Sententia eius eſt, ſubditos licitis mediis, etiam gladio tandem, reſiſtere poſſe Magiſtratum gerentibus, ſi tyrannice imperent, atque impia & animabus exitioſa præſcribant, quoniam obedientia nobis a Deo iniuncta ſit non erga perſonas, ſed erga* *ἐξουσίαν* & *ἀρχήν*, id eſt, poteſtatem Magiſtratui ab ipſo traditam: hanc autem poteſtatem conſiſtere in defenſione bonorum, & punitione improborum. Cui ſi adverſetur magiſtratum gerens, ipſummet eſſe facinoroſum, & pœna dignum. Auctor huius tractatus, ſicut in Præfatiuncula traditur, eſt PRINCEPS aliquis S. Rom. Imperii, & quidem ex Proteſtantibus. Eiusdem eſt Præfatio, in qua explicatur dictum Chriſti *Matth.* 5, 39. *Ego autem dico vobis, ut non ſurgatis contra malum: ſed ei, qui percutit te ſuper maxillam tuam dexteram, obverte illi etiam alteram.*

Iacobi RATZII Vom tanzen, De choreis, & aliis recreationibus. 1545. Per alias autem recreationes intelligit luſus, etiam chartarum, & aleæ, convivia, concentus muſicos, venationes, aucupia, piſcationes, equitationes. Hæc & ſimilia, ſi modus in iis obſervetur, ſtatuit eſſe licita, neque a Deo prohibita. Atque ita refutatum it M. Melch. *Ambachium*, paſtorem francofurtenſem, qui *choreas*, in quibus mares cum feminis ſaltant, edito quodam ſchediaſmate improbavit, & Chriſtianis iudicavit neutiquam competere.

Iacobus *Ratz*, paſtor neuſtadianus ad Rochum, ſcripſit Propoſitiones contra Iudæos & iudaizantes Chriſtianos, item de Clandeſtinis matrimoniis, ac Ieiunio, floruitque ab anno 1532. ultra medium ſæculi XVI. *Friſius* Epit. Biblioth. Geſner. p. 382.

Nicolai *ab* AMSDORF Schrift, Scriptum contra miſſam & horas canonicas. Ienæ 1562. Tam has, quam illas idololatriæ accuſat, atque Adiaphoriſtas, qui libro *Interim* dicto favebant, pariter increpat.

* *Rom.* 13, 1. 2. *Tit.* 3, 1. 1. *Pet.* 2, 13.

Ni-

Nicolaus *ab Amsdorf*, natus Tſchepæ diſtrictus vvurzenſis, in prædio paterno, gentilitiam nobilitatem non putavit ſibi gloriam adferre, niſi litterarum ei decus adiungeret. Poſitis igitur litterarum tirociniis Wittebergam ſe contulit, tantosque in ſtudiis progreſſus fecit, ut non tantum philoſophiæ, ſed theologiæ etiam, quam in primis, raro nobilium exemplo, deperibat, & ducibus *Luthero* ac Phil. *Melanchthone* tractabat magna induſtria, licentiatus, ac poſtea eiusdem profeſſor renuntiaretur. Agnita veritate euangelica Lutherum comitatus eſt Wormatiam, reverſusque Witteberga defendit abrogationem miſſæ, Papam eſſe antichriſtum in præfatione quadam ſuſtinuit adfirmare, Magdeburgi totos XIIX. annos Eccleſiæ ſuperintendentem egit, immo hanc & goslarienſem præſcriptis legibus formavit, a IO. FRIDERICO Electore Saxoniæ contra Iulium *Pflugium*, a Collegio ſine ipſius conſenſu electum, conſtitutus eſt epiſcopus naumburgenſis, ſed & ſexto poſt anno, Electore capto, Pflugio a Cæſare reſtituto, Magdeburgum fugere coactus eſt. Hic ergo denuo docuit, donec Ienam vocaretur, ut fundationi & inaugurationi intereſſet novæ academiæ, atque a captivi Electoris filiis conſiliarii & ſuperintendentis, immo etiam epiſcopi titulo, quoties ad eum ſcriberent, honoratus eſt. Georgio *Majori*, bona opera ad ſalutem neceſſaria eſſe contendenti, cum ſeſe opponeret, in contrarium lapſus errorem, ea ad ſalutem pronuntiavit exitioſa eſſe; ſed melior tamen eius ſenſus erat, quam verba: non enim in ſe & ex ſua natura dixit pernicioſa eſſe, ſed opinione meriti. Interfuit Colloquio lipſienſi A. 1519. & conventui ſmalcaldico A. 1537. opemque tulit adornandis huius Articulis: quibus & ipſe ſubſcripſit. Leti memor ut viveret, arcam feralem lecto adiunxit, cum *Rorario* ſcripta *Lutheri* reviſit edidítque, quæ hodie Opera *Lutheri* ienenſia appellantur, & varia ipſe, maiorem partem germanice, ſcripſit, ut, Extractum ex *Naucleri* Chronica, quam perfide Papæ cum Imperatoribus egerint, Notas in PAVLI III. Bullam magnæ indulgentiæ ad everſionem hæreſeos lutheranæ, Reſponſionem ad *Interim*, de S. cœna, *Lutherum* non fuiſſe adiaphoriſtam, *Pomeranum* (Bugenhagium) & G. *Maiorem* cum ſuis Adiaphoriſtis magnum dediſſe ſcandalum, Brevem exceptionem ad *Maioris* Apologiam, Inſtructionem de Andr. *Oſiandri* Confeſſione de iu-

de iuſtificatione, Libellum de Papa eiusque eccleſia, Publicam confeſſionem puræ doctrinæ euangelicæ adverſus *Schwvermeros*, i. e. Schwenckfeldicos, Anabaptiſtas & Sacramentarios, Refutationem *Maioris*, propoſitionem de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem defendentis, Subſcriptionem cenſurarum ſaxonicarum contra *Maioris* doctrinas, Conciones ex Lutheri ſcriptis in Prophetas, Germaniam, ut olim Iudæos, enormium peccatorum cauſſa deletum iri, Scriptum polemicum contra Tilem. *Heshuſium*, & aliud contra Juſtum *Menium*, eum vocationem & eccleſiam ſuam deſeruiſſe, & poſt has pugnas, hosque labores cælebs ſupremum diem Iſenaci obiit anno 1565. ætatis 82. Melch. *Adamus* in Vitis theol. p. 68. *Zeumer* in Vitis theol. ienenſ. 2. *Lexicon univ. hiſtor.* T. I. 125. *Magirus* 44. *Carpzovius* Iſag. in libros ſymbol. 894. & *Olearius* in eorum Continuatione 1339.

Lucæ OSIANDRI Bedencken, Iudicium de novo Calendario papali. Tubingæ 1583. An illud Chriſtianis ſit neceſſarium, & qua fide *Gregorius* papa XIII. hac in re utatur? an Papa poteſtatem habeat Chriſtianitati illud obtrudendi? an etiam pii & veri chriſtiani ad eius receptionem obligati ſint? Hæc vero negat omnia. Præfatio eſt M. Ioannis *Magiri*, præpoſiti ſtutgartiani, qui ſtatuit, Calendarium ſine ſenſibili perturbatione actuum politicorum & iudicialium, & everſione optimarum Conſtitutionum eccleſiaſticarum nec admitti poſſe, nec *Oſiandrum* nimiæ accuſari acerbitatis, quia neminem niſi Papam, qui verus ſit antichriſtus, aggrediatur.

Lucas hic *Oſiander*, S. theol. doctor, & eccleſiaſtes Aulæ ſtutgartianæ, eſt ille, de quo ſupra, P. IV. p. 253. & 267.

Thomæ SIGFRIDI Judicium von der neulichen frage, de nupera quæſtione, An Magiſtratui in rebus religionis præcipienti obediendum ſit? 1590. Affirmat, ſi præcepta eius non ſint contra Dei verbum, ſed ex iudicio Synodi, aut Conſiſtorii: ſupponit enim, conventus hosce nihil adprobare aut conſulere, quod verbo Dei ſit contrarium. In Præfatione autem pluribus agit adverſus obſcœna carmina & libellos famoſos, præcipue eos, qui ſparguntur contra Principis aut Magiſtratus famam.

Thomas *Sigfridus* præcipitante floruit ſæculo XVI. nec ſcio, ſignifi-

ſignificet ne L. appoſitum Licentiatum, an aliud quid. Fuit certe tam iurium, quam theologiæ & philoſophiæ peritus, & modeſatioribus addictus ſententiis.

EIVSDEM Tractat, Tractatus de fœderibus. Magdeburgi 1591. An chriſtianus fœdus cum alio inire poſſit? Ad hanc quæſtionem reſpondet, fœdera, etiam ea, quæ Principes & Magiſtratus inter ſe faciunt, in ſe & natura ſua non eſſe peccata, aut verbo Dei contraria, ſed ad media pertinere opera: quia tamen fœderibus adhæreant inconſtantia, perfidia, diffidentia erga Deum, & aliæ ἀταξίαι, probe circumſpiciendum eſſe, ne tali te exponas fœderi, quo iuſtitia & honeſtas lædatur, quale ſit fœdus offenſivum; identidemque cogitandum illud *Ciceronis*: *Pacem quidem hortari non deſino; qua vel iniuſta utilior eſt, quam iuſtiſſimum bellum.*

EIVSDEM Tractatus de occiſione ſui ipſius. 1590. An, qui manus ſibimet ipſi infert, ſeque vita privat, pro beato vel damnato habendus, adeoque laudandus vel improbandus ſit? Reſpondet autem, uti fas eſt, talemque hominum, qui ſciens ac volens, integraque adhuc ratione, vitam ſibi eripit, pro damnationis & gehennæ filio agnoſcit, omniaque argumenta, quæ pro *Catone*, eiusque inter Chriſtianos imitatoribus adferri ſolent, ſolvit ac diluit.

Andreæ SCHOPPII Wahre grunde, Vera & firma fundamenta, cauſæ & teſtimonia S. ſcripturæ, Doctorum veterum, & Hiſtoricorum, ſacerdotibus & miniſtris non convenire, ut politicam affectent altitudinem, & dominandi regendique poteſtatem, eamve ſibi tribuant atque uſurpent. Lipſiæ 1613. Libellus hic oppoſitus eſt civili eminentiæ & gubernationi, quam Papa Epiſcopi, Abbates, aliique Prælati affectant, & cum miniſterio eccleſiaſtico temerarie coniungunt, atque uſurpant.

Andreas *Schoppius*, philoſophiæ magiſter, paſtor Erxlebiæ in Ducatu magdeburgico, deinde primarius Wernigerodæ, vir non leviter in theologia ſacra atque in lectione Hiſtoricorum verſatus, floruit in fine ſæculi XVI. ac principio XVII. deditque Commentarium in Tobiam, L. concionibus comprehenſum, & Clypeum gloriæ conſcientiæque femininæ, quo oſtenditur, feminas re vera eſſe homines, per fidem filias Dei, & heredes ſalutis æternæ.

Lucii *de* MONTE WOLGERATENSI Diſcurſus theologico-hiſtorico-politicus de quæſtione: An pro religione iuſtum poſſit geri bellum? 1631. Bellum pro religione ait eſſe triplex, 1. ſpirituale, quod geritur & gerendum eſt a quovis chriſtiano contra diabolum, mundum & carnem, per verbum, preces ac fidem. 2. forenſe ſive diſputatorium contra hæreticos, quod inſtituitur a doctoribus ſcripturæ ſacræ, miniſtris verbi, & aliis viris doctis, ex verbo divino, manſueto & modeſto ſpiritu, ſine ira, rixa, & paſſionibus ambitionis atque avaritiæ. 3. caſtrenſe, per arma materialia, bombardas, tormenta, & gladios. Ab hoc bello abhorrent *Chriſtus*, *Eſaias*, *Gamaliel*, *Lactantius*, *Lutherus*, *Ximenius*, Andr. *Philopater* presbyter romanus, *Senatus pariſienſis*, *Cuiacius* & *Beſoldus*. Sique diſtinguitur inter bellum offenſivum, quod geritur pro religione propaganda, aut pro religione reformanda & exſtirpanda, ac defenſivum, pro religione contra vim & invaſionem armatam conſervanda, illud plane improbat, hoc vero privatis, qui ius armorum non habent, interdicit; Proceribus autem regni, ius gladii habentibus, permittit, facilius tamen contra extraneos, ut Turcas & ſimiles religionis hoſtes, quam contra Dominum & Superiorem magiſtratum; & hoc in caſu regulas prudentiæ ac iuſtitiæ præſcribit ſequentes: 1. Vt arma hic non moveantur ex ambitione & ſpe lucri, ſed ad ſolam Dei gloriam, & veritatis defenſionem 2. Vt prius conſilio & ſapientia, ac lenioribus remediis res tentetur, quam arma moveantur. 3. Vt ſcutum magis ſumatur ad defenſionem ſubditorum ſine Principis offenſione, quam gladius per offenſionem Principis ad ſubditorum defenſionem. 4. Vt intentio ſubſit moderata, non ut Princeps removeatur & opprimatur, ſed ut mitigetur, emolliatur, corrigatur, & ex Saule fiat Paulus.

Barbatii SCHOENBARTII Barbæ maieſtas, ſive Diſcurſus von den bærten, de barbis. Haarburgi 1660. De novo impreſſus. In quo agitur 1. de maieſtatica dignitate barbæ, 2. de forma barbæ, quæ hominem condecorat. 3. de auctoritate & utilitate barbæ. 4. abſcindendane ſit barba, an relinquenda? 5. de uſu barbæ apud antiquos. 6. de Abantibus, Thraciæ populis: eos fuiſſe primos, qui barbas raſerint, ſicut primum apud Romanos *Scipionem* africanum, qui idem fecerit. 7. de clericis & monachis:

non

non eſſe ipſorum, ut barbam ponant; neque iis favere 44. canonem Concilii Carthaginenſis IV. (apud *Coriolanum* p. 153.) eum enim integrum ſic habere: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat:* non autem hoc modo: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam.* 8. de cauſſa, cur feminæ quædam ſint barbatæ; id videlicet non veram eſſe barbam, ſed barbæ æmulationem, ex nimio calore & humore, quo illæ abundent, provenientem.

ECCLESIAE NORIBERGENSIS PASTORVM Reſponſio ad litteras Miniſterii berolinenſis. 1666. De modeſtia Lutheranorum in cathedra eccleſiaſtica erga Reformatos Marchiæ brandenburgicæ, uſu exorciſmi in baptiſmo, & ſereniſſimi Electoris his de rebus edicto. Cum ulteriori declaratione. Pater meus beatæ memoriæ, Ioannes *Fabricius*, tunc temporis paſtor ad D. Mariæ, Aphoriſmis XIIX. incluſit ſententiam ſuam, eamque in conventu Paſtorum recitavit: quæ adeo placuit illis omnibus, ut ei litteras reſponſorias ſecundum illam formandas commendarint. Fecit igitur, quod volebant, & conſcripſit reſponſionem, eique Declarationem adiunxit. *Bucholzius* autem, ſuperintendens brunſvicenſis, cum quo hæc, ut amico, communicatæ ſunt, exiſtimans, digna eſſe, quæ in plurium notitiam venirent, inſcio auctore typis publicis exſcribenda curavit.

D. Chriſtoph. Ioach. BVCHOLZII Kehr-ab, Deterſio Brevis admonitionis & relationis D. Aegid. *Strauchii*, in quantum Facultatem iuridicam rintelienſem & ipſum calumniatus eſt. Helmſtadii 1669. Quando nimirum ſcripſit, *ICtos illos verſicolorem & variegatam habere religionem, ſecundum quam permiſſum, ut maritus uxoris ſuæ ducat ſororem, unumque eius ordinis*, D. Bucholzium *non dubitaſſe* legem *Dei per Moſem latam* Levit. 18, 18. *evertere ac perfringere.* Hac igitur occaſione *Bucholzius* iterum legem illam explicat clare ac perſpicue, & adverſarii calumnias atque iniurias modeſto ac miti ſpiritu repellit, ſuamque vindicat innocentiam.

EIVSDEM Grundlicher beweis, Solida oſtenſio, Deterſionem Strauchianæ Admonitionis & relationis adhuc firmiter ſtare. Helmſtadii 1669. Eſt reſponſio ad *Strauchii* ſcriptum, *Quod Dei lex*, Ne ducas uxoris tuæ ſororem, *adhuc ſtet firmiter*: in qua auctor accuſationes adverſarii ſui refellit, atque argumentum controverſiæ

troverſiæ ulterius explicat, confirmat, ac defendit, maſcule oſtendens, Deum illa lege non prohibuiſſe matrimonium cum defunctæ uxoris ſorore.

EIVSDEM Abgenœthigte Remonſtration, Extorta demonſtratio miſeræ ignorantiæ, & enormis calumniandi libidinis D. Aeg. *Strauchii*. Helmſtadii 1669. Oppoſita ſcripto Strauchiano, cui titulus: *Finalis revelatio miſerandæ indurationis* Bucholzii, *eiusque ſociorum*. Etiam in hac reſponſione *Bucholzius* non tantum calumnias depellit, ſed etiam in novis obiectionibus ſolvendis occupatur.

Vier theologiſche reſponſa, QVATVOR THEOLOGICA RESPONSA ad aliquas Hamburgenſis miniſterii quæſtiones. Gieſſæ 1690. Quæſtiones illæ V. attingunt formulam iuriſiurandi, a Miniſterio hamburgenſi contra novatores, *Antiſcripturarios*, *Pſeudophiloſophos*, *Laxiores theologos*, Iac. *Bœhmium*, & *Chiliaſtas* tam ſubtiles, quam craſſiores eum in finem compoſitam, ut præſentes & futuri eccleſiæ hamburgenſis Miniſtri ſubſcriberent. Reſponſa autem data ſunt a *Kilonienſibus*, *Wittebergenſibus*, *Lubecenſibus* & *Gryphiſvvaldenſibus* theologis, ita ut in omnibus faveatur interrogantibus, eorumque inſtitutum adprobetur.

Phil. Iac. SPENERI Bedencken, Iudicium de quorundam Miniſtrorum eccleſiæ hamburgenſis publicato novo religionis iureiurando. 1690. Ad propoſitas quæſtiones reſpondet auctor, 1. Non eſſe Miniſterii eccleſiaſtici, ſine præſcitu Magiſtratus, aut Seniorum eccleſiæ, novam confeſſionem, aut extenſionem prioris confeſſionis & librorum ſymbolicorum condere: neque eccleſiæ particularis, tale formare confeſſionem, qua omnes illi a fraternitate excludantur, qui ei non accedant. 3. Materiam de chiliaſmo non pertinere ad fundamentum fidei, ita ut, qui in ea errat, ex eccleſia eiiciendus, & chriſtianæ caritatis exſors declarandus ſit; neque Auguſtanam confeſſionem Art. 17. ſimpliciter chiliaſmum reiicere, ſed anabaptiſticum, quo ſtatuitur, pios gladio ſibi erecturos regnum illud, & Magiſtratus quosvis occiſuros. 4. Eccleſiaſten, qui Iac. *Böhmii* ſcripta non legit, neque a tota eum eccleſia, aut ſynodo particulari condemnatum eſſe audivit, non poſſe turpis ſectæ, aut colluſionis cum Bœhmio ſuſpectum reddi. 5. Pium ſacerdotem, qui multorum, ad confeſſionem peccatorum acce-

cedentium, ignorantiam & vitam impiam quotidie experitur, ad correctionem & ædificationem eorum poſſe quid conferre, quod anteceſſores eius non fecerunt; attamen cautum debere eundem eſſe, ne quid occipiat, quod ad ipſum non pertinet, ſed ad Eccleſiam, vel Magiſtratum, quodve ſaltem communicandum cum ceteris collegis. 6. Neque chriſtianos theologos, qui propria auctoritate factam, & toti Eccleſiæ euangelicæ præiudicialem iuriſiurandi formulam ſibi non patiuntur obtrudi, ſe ſuſpectos reddere, quaſi Fanaticis addicti ſint, & novitates in eccleſias ſuas velint invehere. Judicio huic Speneriano annectuntur tria alia, ei plane conſonantia, quorum unum eſt D. Nic. ALARDI, alterum Bartholdi MEYERI, tertium celebris alicuius ICti.

Nic. *Alardus*, S. theol. D. Regiæque Maieſtatis Danicæ ſuperintendens generalis eccleſiarum in Comitatibus oldenburgenſi & delmenhorſtienſi, antea paſtor primarius Tonningæ in Holſatia, naturæ debitum ſolvit Hamburgi A. 1699. quo, ut medicaminibus morbo chronico occurreret, ſe ſe contulerat. *Narrat, innoc.* A. 1716. 160.

Bartholdus *Meyer*, hamburgenſis, primum eloquentiæ profeſſor in Gymnaſio ſtetinenſi, deinde eccleſiæ antiſtes blanckenburgenſis, poſt hæc ſuperintendens generalis wolfenbuttelanus, & præpoſitus ſcheningenſis, ubique fidem & vigilantiam demonſtravit ſingularem. Sed cum ultimo in loco propter motus pietiſticos certum decretum publicaretur, & ille ei ſubſcribere renueret, a munere ſuo depoſitus, & ſolum vertere coactus eſt. Atque ita A. 1694. venit in Friſiam orientalem, eique eccleſia hagenſis (eſt autem Haga vicus, Nordæ vicinus) concredita fuit: quam ille docendo & regendo, bonoque exemplo prælucendo, integros XX. annos ornavit & beatam reddidit, perque triſte ſui deſiderium illi reliquit, cum ex mundo hoc diſcederet anno 1714. ætatis 70.

Aug. Herm. FRANCKII Abgenöthigte Fürſtellung, Extorta oſtenſio frivolarum & improbabilium culpationum & falſitatum, quæ in nupero Patente pentecoſtali, Lipſiæ publicato, continentur. 1691. Patens ſive Programma illud iam dicto anno impreſſum, & publice in academia affixum fuit, ſub nomine qui-

dem Rectoris academiæ, ſed quod neque cum Rectore, neque cum aliis Profeſſoribus communicatum, conſcriptum tamen fuerat ab inſigni viro quodam in ordine theologico. Et quoniam Franckius in primis, quamquam tecto nomine, in eo tangebatur, atque ut *maximus impoſtor*, *ſectarius*, *mendax*, *calumniator*, atque *a malo ſpiritu ductus & agitatus homo* deſcribebatur ac ſalutabatur, ideo ille putavit ſui eſſe officii, ut publice ſe pariter ac cauſſam ſuam, quam bonam eſſe credebat, defenderet. Nec tamen omnia, ſed potiora tantum, & quidem XLI. falſa proponit, atque ad ea citra ullum convicium reſpondet, ipſumque ſubiungit Programma, cum interpretatione germanica.

Aug. Herm. *Francke*, lubecenſis, natus A. 1663. Philoſophiæ & bonarum artium magiſter, primum diaconus eccleſiæ erfurtenſis, quæ olim Auguſtinianorum fuerat, deinde Halæ magdeburgicæ paſtor glauchenſis, & hebrææ linguæ, nunc theologiæ profeſſor, pariterque in urbe halenſi paſtor ad S. Vlrici, & gymnaſiarcha, vir minime ſtultus, aut fanaticus, ſed ea pietate, eruditione, eloquentia, converſationis ſuavitate, prudentia, & humanitate, quæ verum & euangelicum doctorem formare ac perficere poſſunt, inclytus; atque ideo apud ſummos, æquales & inferiores, qui ſinceræ pietatis, nec infucati cultus divini, & honeſtæ civilitatis ſtudioſi ſunt, magno in pretio habitus, & habendus, quique, Dei providentia nixus & adiutus, Glauchæ, alimento pauperum ſtudioſorum & puerorum, ſchola multarum claſſium, & exſtructione magnificorum ædificiorum, quæ cum oppido, immo cum regia certare poſſint, plane admiranda præſtitit, & immortale ſibi nomen acquiſivit, multis ſe ſcriptis etiam reddidit conſpicuum. Inter ea autem ſunt Conciones dominicales & feſtales, Methodus exercitationum biblicarum, Definitio ſtudii theologici, Conciones pœnitentiales, Iſagoge ad lectionem S. ſcripturæ, Summa prælectionum de ſtudiis recte tractandis, Inſtitutio brevis de fine ſtudii theologici, Poſitiones hermeneuticæ, Idea ſtudioſi theologiæ, Narrationes de præſente ſtatu orphanotrophei, Apologia contra D. Io. Frid. *Mayeri* culpationes, Iſagoge ad verum chriſtianiſmum, Nexus legis & euangelii, & Programmata. *Von Seelen* Athenarum lubecenſ. P. I. 314. *Novum muſeum* T. IV. 518. *Acta eruditorum* A. 1702. 18. *Spener* in Narratione

tione de pietiſmo 60. 135. & Conſilior. theolog. P. III. 679. 690. 742. 758.

Caſp. SAGITTARII Theſes theologicæ de pietiſmo genuino. Ienæ 1691. Editio altera. Quas dedicat D. Io. Bened. *Carpzovio*, ſtatuitque, cauſam pietatis, quam Pietiſticam per opprobrium vocant, eſſe Dei cauſam. Annexa eſt etiam interpretatio germanica.

EIVSDEM Theſes theologicæ apologeticæ de promovendo vero chriſtianiſmo. 1692. Theſibus enim ſupra nominatis adverſarios nactus eſt, qui eas ſiniſtre interpretabantur, & varia inde colligebant abſurda. Cum igitur videret, neceſſe eſſe, ut ſe defenderet, ſcriptulo hoc, tanquam ſcuto ſe munire ac tueri voluit. Conqueritur igitur, iniuriam ſibi fieri, quaſi doctrinam fidei orthodoxam ex orbe chriſtiano eliminatam, mixturam vero diverſarum religionum introductam velit, & bonorum operum cultum ad meritum uſque & iuſtificationem validum atque ſufficientem opinetur. Neque fruſtra vir bonus conqueritur: *Erat* enim, teſte D. Io. Andr.* *Schmidio*, abbate venerabili, *pietatis non fucatæ amantiſſimus, inque ſinu gaudebat, quoties animadvertebat, vel in academiis, vel in eccleſiis extare eruditos & probos, quibus curæ cordique ſit, ſanctimoniam vitæ, ſine qua nemo videbit Dominum, non ore, non calamo duntaxat, ſed ipſo etiam opere urgere, prudenterque promovere. Neque mihi, ut ſpero, aliquis vitio vertet, ſi ex illis, quæ in huius viri conſortio per XX. annos & vidi & audivi, idem confirmavero. Nihil ille in publicis privatisque diſcurſibus, nihil in concionibus, quas per tot annos habuit, nihil in omni vita reliqua, occaſione ita ferente, protulit, quod non veram ſinceramque pietatem ſemper ſpiraret. Fugiebat toto animo eos, qui Curios ſimulabant, & præter publicos quærebant conventus privatos, nullis legibus conſtrictos, nullo ordine formatos, nulloque ſæpe moderatore gaudentes.*

RVDOLPHI AVGVSTI & ANTONII VLRICI, Ducum brunsvic. ac luneburgenſium Edictum, & Conſtitutio, quomodo, emergentibus paſſim novitatibus & ſectis, omnes & ſinguli paſtores & doctores in ipſorum terris prudenter ſe gerere, & ab illis cum ſe, tum eccleſias ſuas abſtinere debeant. Wolfenbuttelii 1692. Edictum hoc promulgatum fuit die 2. Martii, & ſequentis

N 2 menſis

* In Comment. de eius vita p. 84.

menſis die 22. perilluſtres Scholarchæ & Senatores inclytæ urbis Noribergæ illud ad Rectorem academiæ altorfinæ transmiſerunt, iubentes, ut cum reliquis id communicaret profeſſoribus, eosque hortetur, illius ut coram ſtudioſa iuventute mentionem facerent, eamque in re animabus periculoſa ad clarum & ſincerum verbum Dei, & alios libros, ſecundum puram & euangelicam de vera fide & ingenua pietate doctrinam compoſitos, ac denique honeſtam & chriſtianam vitam commonefacerent, & manu quaſi ducerent.

Rudolphus Auguſtus, Dux brunsvicenſis & luneburgenſis, Auguſti & Dorotheæ anhaltinæ filius, patri in regimine ſucceſſit, Brunsvicenſes toties Maioribus ſuis repugnantes, libertatemque ac privilegia inſolentius iactantes, Agnatis in conſilium & auxilium adhibitis, anno 1671. armis adgreſſus eſt, & poſt obſidionem non longam, ſed acrem, ad certam ſubiectionis confeſſionem redactos ſub iugum miſit, urbem vero lineæ ſuæ aſſeruit, & iura, quæ Agnatis in eam competebant, nec non Abbatiam walckenriedenſem Præfecturis dannebergicis redemit, Præfecturam tedinghauſenſem, Diœceſi bremenſi decerptam, per Pacificationem neomagenſem familiæ ſuæ vindicavit, peculiarem ſibi atque inſtructiſſimam bibliothecam collegit, litteras ac litteratos fovit, in variorum librorum, ipſius etiam Conſilii conſtantienſis editionem ſumtus erogavit, fratrem *Antonium Vlricum*, raro exemplo, ad communionem regiminis vocavit, & concorditer cum eo rexit, templum in urbe Helmſtadienſi, *Porta cœli* dictum Academiæ Iuliæ donavit, eidemque legavit maximam prædictæ bibliothecæ partem, & alia præclara, atque ad hominum memoriam duratura opera peregit, & pii, eruditi, ſuavis, moderati, ſobrii, prudentis, iuſti, fidelis, & magnanimi Principis nomen ac laudem, quam initio ſibi acquiſivit, ſervavit uſque ad ultimam vitæ horam, quæ ei contigit A. 1704. d. 26. Ianuarii, cum in terris verſatus eſſet, animo ſemper in cœlum directo, annis fere 77. Laudes optimi Principis, quarum tamen ille non erat cupidus, in plurimis exſtant libris: nos tantum aliquas excerpemus. Nam *Heckelio* in Notis ad Cluverii Introduct. in Geographiam p. 224. audit Princeps excellenter inclytus & glorioſus; Collectoribus *Actorum eruditorum* A. 1700, p. 242.

Prin-

Princeps, quem orbis literatus ſereno plauſu veneretur; Chriſt. *Thomaſio* in Annotat. ad Monzambanum p. 194. maximus ſtudiorum æſtimator; Iac. Wilh. *Imhofio* in Notit. Procerum Imperii p. 158. pietatis & iuſtitiæ paternæ veſtigiis ſignatam & calcatam viam toto pectore omnique animi contentione premens, ingenuarumque artium & literaturæ univerſæ ſtudia, eorumque cultores fovens atque ornans; Io. Alb. *Portnero* in Epiſtola dedicatoria, iteratæ editioni Joannis de Launoy Diſſertationis de vera cauſa ſeceſſus Brunonis in eremum præfixa):(3. qui cum alia omnia, quibus ſummæ fortunæ amplitudo vel ornatur, vel abſolvitur, a ſereniſſimo parente *Auguſto* acceperit, nihil tamen æque e moribus eius, ac favorem in literas hauſerit; & *Launoio* in reſponſoria, Portnerianæ annexa, Princeps, qui non ſolum literatos amet, ſed etiam literas vehementer colat; nec minus recte cenſeat de liberali, quam de militari ſcientia. Qua in re (ita pergit hic ſcriptor) vincit ætatis huius Principes reliquos fere omnes, quos optimarum artium ſtudia, ut nec oblectant, ita nec commendant. Sic pares habet multos ditione, quæ fluxa & caduca eſt; ſed parem gloria, quæ ſtabilis & perpetua, neminem, aut perpaucos, quibus conſecrata tam illuſtri modo æternitas debetur. Quibus adde El. *Veielium* in Dedicat. Diſſertationis iſagog. in Natal. Alexandrum)(3. *Von der Hardt* præfat. in Antiqua autographa Lutheri & aliorum celebr. viror. p. 26. *Læſcherum* Diſp. de bibliotheca purpurata §. 34. & Polyc. *Lyſerum* Diſp. de Meritis auguſtæ Domus brunsvic: ac luneb. in rem literar. p. 15.

THEOLOGORVM ALTORFINAE ACADEMIAE Reſponſum ad quæſtionem ipſis transmiſſam, & D. Io. Frid. *Mayeri* ſecutum ſcriptum: cum Annotationibus. 1693. Mayeriani ſcripti hoc eſt rubrum: *Altorfinorum theologorum Iudicium non facit pro M. Horbio.* Et hoc, ſicut illorum Reſponſum, hic denuo editum exhibetur, prædictique theologi in Annotationibus defenduntur. Nec diffiteor, auctorem illarum me tam noſſe, quam *me ipſum*.

Eines Liebhabers der warheit Rettung der warheit und unſchuld, Amatoris veritatis Vindiciæ veritatis & innocentiæ, in D. Speneri binis tractatibus contentæ. Francofurti 1693. Bini illi tractatus ſunt Libertas filiorum Dei ab auctoritate hominum, & Victoria veri-

tatis & innocentiæ. Quos cum aggreſſus eſſet Io. *Simon*, paſtor Kirchhaynenſis in Luſatia inferiore, & ſuperintendens dynaſtiæ dobriluckenſis, pariterque Iudicium Speneri de lite D. Mayeri contra Horbium hamburgenſi, Spenerus autem nec tempus, nec voluntatem haberet reſpondendi, ſed theologum quendam, eam provinciam alteri ut imponeret, amice rogaret, hic ipſe eam ſuſcipere voluit, & manum mentemque ad refutationem Simonis accommodavit. Propoſitum autem ſuum V. abſolvit capitibus, quorum primo vindicatur doctrina *Speneri* de Dei in conſcientias filiorum ſuorum dominio, & libertate eorum ab auctoritate & poteſtate humana in rebus fidei; ſecundo agitur de variis tentationibus ſatanæ, & illegitimis affectationibus illicitæ in eccleſia poteſtatis, quæ libertatem fidelium, eiusque uſum impediunt; tertio de Iac. *Bœhmio*: an quis illum, eiusque ſcripta, nec dum etiam lecta, reiicere obligatus & obſtrictus ſit? quarto de chiliaſmo: an omnes & ſingulæ ſententiæ de millenario Chriſti regno, cuius mentio fit Apoc. 20. promiſcue ſint exterminandæ, atque an nulla in poſterum chriſtiana in eccleſia toleranda, ſed illi potius, qui doctrinæ iſti aſſenſum præbent, condemnandi, atque e chriſtiana fraternitate eiiciendi ſint? quinto de libris ſymbolicis, ſic dictis erroribus D. Georgii *Calixti*, & aliis punctis. Atque in ſingulis hiſce capitibus ad argumenta *Simonis* reſpondetur, & *Spenerus* contra eum defenditur. Præfatio bene longa ipſius eſt *Speneri*, in qua doctrinas ſuas contra *Simonem* ipſe defendit, πρῶτον eius hoc ψεῦδος, etiam eos, qui errorem aliquem in re fidei habent, quamvis ille fundamentum fidei non evertat, exſortes ſpiritualis fraternitatis, filiationis Dei, atque adeo ſalutis æternæ reputandos eſſe, diruit, atque ita occaſionem invenit docendi de natura hæreſeos, & multa Scripturæ loca, quæ adverſarius ad partes ſuas rapuit, dextre interpretandi.

XXXVII.

Ioſephi MEDI Grundlicher beweis, Solida demonſtratio, eccleſias ſive certa loca, Apoſtolorum & ſequentibus temporibus ad cultum divinum ordinata fuiſſe. Hanoveræ 1706. Ex anglico in germanicum idioma translata ab Henr. Ludolfo *Benthemio*, cum eiusdem Præfatione de templi iudaici & chriſtianæ eccleſiæ origine

ne atque æſtimatione, adverſus Io. *Spenceri* eiusque *imitatoris* (auctoris diſputationis de iure Sabbati) periculoſas ſententias. Atque hoc ſcriptum cum laude recenſetur ab auctoribus *Narrat. innoc.* A. 1706. 277.

Ioſ. *Medus*, eſſexienſis anglus, baccalaureus theologiæ, & ſocius Collegii Chriſti in academia cantabrigienſi, in ſilentio coluit ſtudia, & quamquam, intuitu pietatis atque eruditionis, conſpicua ei munera offerrentur; ea tamen acceptare religioni ſibi duxit; neque etiam de ſcriptis ſuis, quorum multa elucubravit, quæque poſt ipſius obitum A. 1677. in fol. edita ſunt, plura quam tria in publicum produxit, inter quæ eſt præſens de eccleſiis primorum Chriſtianorum: tanta erat viri modeſtia. Atque ut in omni genere ſcientiarum, ita in antiquitate eccleſiaſtica & interpretatione ſcripturæ ſacræ verſatiſſimus erat, multaque virtute præditus, & deceſſit A. 1638. ætatis 52. *Witte* Diar biograph. N n. *Benthem* in Præfat. p. 13. *Spener* Conſil. theol. lat. P. III. 228. *Miſcellanea Leibnitiana* 224. & *Durellus* Schiſm. anglic. p. 312. (Biblioth. Schrader. P. I. k 5.)

Henr. Ludolf. *Benthem*, natus Cellis in Ducatu luneburgenſi A. 1661. die 2. Novembris, primum archidiaconus dannenbergenſis, deinde ephorus bardovicenſis, tum præpoſitus ulyſſenſis, nunc autem generalis ſuperattendens harrburgenſis, pariterque conſiliariis conſiſtorialibus atque eccleſiaſticis hanoveranis adſcriptus, vir multivariæ eruditionis, gravis, prudens, circumſpectus, pacis & concordiæ ac pietatis amans, ex itinere ſuo belgico & anglicano hunc decerpſit fructum, ut & famam ſibi apud doctos ibi acquireret, quæ continuo litterarum commercio augeſcit quotidie, & materiam inde peteret ſcribendorum librorum de ſtatu eccleſiarum & ſcholarum anglicanarum & hollandicarum; de quibus ſpes eſt, prodituros auctiores. Neque tamen hiſce tantum, quantumvis eximiis ſcriptis, quanta notitia & ſcientia polleret, oſtendere ſategit, ſed alia quoque non minoris momenti in publicum emiſit, ut, ne quid de Concionibus dicam, Diſſertationem geographicam de Terra, eiusque figura, magnitudine, motu & loco in univerſo, interiori item ſtructura, diviſione ac quibusdam in ea occurrentibus phænomenis, Rintelii 1682. in 4. ſub nomine *Placentii de Verona*: Media, quibus Roma papalis condita, & conſervata,

ſervata, fines propagare ſtudet, recenſita cum antidoto, Cellis 1689. 8. *Pacifici Verini* Conſilium de reuniendis, Proteſtantibus, Brunſvici 1700. eiusque, ſub larva *Irenici Philaletha*, Defenſionem (contra D. Frid. Vlr. *Calixtum*) A. eodem in 8. Orationem de Chriſto rege, ſalvis mundi regnis, iamdudum imperante, & porro imperaturo, contra ſeditioſas pſeudoprophetarum hodiernorum comminationes, tempore coronationis auguſtiſſimi Imperatoris CAROLI VI. habitam, Hamburgi 1712. 4. Literas paſtorales, quibus palantes oves harrburgicæ, ſolicite quæruntur, & ad communionem eccleſiæ humaniter revocantur, Bremæ 1713. 4. Dialogum de Io. Chriſtoph. *Ludemanni*, furientis ſutoris, mendaciis & conviciis, 1713. 4. & Epp. conſolatorias ad fautores & amicos ſuorum mortibus afflictos, 1721. atque nunc verſatur in Conſideratione Apologeticorum, pro chriſtiana religione in primitiva eccleſia ſcriptorum. Ex anglico etiam in latinum convertit Gilberti *Burneti* Bellum inteſtinum papatus, ſive hiſtoricam relationem de nuperis litibus in Galliæ regno circa Regalia, Luneburgi 1689. 4. & Rob. *Nelſonii* Doctrinam de diebus feſtis & ieiuniorum, cum Præfatione de origine & fructu dierum feſtorum, adverſus Programma halenſe de Incommodis feſtorum, Bremæ 1713. 4. Vt iure meritoque Horizonti harrburgico, A. 1710. accedente Benthemiano ſole, gratulatus ſit in forma epigraphica Io. Georg. *Bertramus* tunc Giſſhornæ, nunc Brunſvigæ Verbi divini miniſter. Cui adde *Acta erudit.* A. 1698. p. 27. eorumque *Supplementa* T. III. 191.

Sam. ANDREAE Prob des Catholiſchen Manna, Examen mannæ catholici, ſive ſacramenti S. cœnæ in eccleſia catholica, contra Rob. *Kolbium*. Marburgi 1697. Auctor plenius hic refutat Kolbii Tractatum, Reformatorum ſententiæ de S. cœna oppoſitum, quam fecerat in diſputatione, cui titulus πρόγευσμα mannæ catholici, A. 1686. Marburgi edita, diſputans in primis contra doctrinam de transſubſtantiatione.

Sam. *Andreæ* S. theol. D. eiusque profeſſor primarius in academia marburgenſi, varia eruditione clarus, inter alia edidit Examen cabbalæ philoſophicæ D. Henrici *Mori*, Diſputationem de ſalute Adami, & alia, atque e ſcena mundi abiit A. 1688.

CHRISTIANI LAICI Gedancken, Cogitationes de poſſibi-

poſſibilitate, & ſecura conſtitutione perpetuæ concordiæ inter Proteſtantes eccleſias ſic dictorum Lutheranorum & Reformatorum. 1707. Propoſita in modeſta diſputatione pacificatoris, adverſarii & mediatoris, in qua mediator tandem, dubitans quidem de ſecutura pace, pronuntiat, reperiri apud utramque partem ea, quæ chriſtiano ſint creditu & factu neceſſaria, adeoque concordiam facile inter eos fieri poſſe, dum modo altercandi ſuasque opiniones defendendi ſtudio nuntium remitterent. Sapientibus ſat dictum: ita ut iam nihil hac in re dicatur aut ſcribatur, quod non dictum ſcriptumve ſit prius.

Iſidori Chariſii LOGOTHETAE Theologia chriſtiana in numeris 1702. In qua oſtenditur, potiora capita S. theologiæ, videlicet doctrinam de Deo & Trinitate, bonis & malis angelis, homine ad imaginem Dei condito & peccato corrupto, reſtitutione in Chriſto, apoſtaſia antichriſti, conſummatione boni ac mali ad ſalutem & damnationem, & traditione regni in manus Dei patris, in denario repreſentari, & contineri. Auctor eſt Io. Chriſtianus LANGE.

Ioannes Chriſtianus *Lange*, fuit primum Moralium, deinde Philoſophiæ primæ & rationalis profeſſor in Academia gieſſena, isque tam præſtans ac totos XX. annos tam bene meritus, ut Ioach. *Langius*, theologus halenſis, Antibarb. orthodox. p. 94. eum haud dubitet acutiſſimi Gieſſenſium philoſophi elogio celebrare. Nunc, impetratis S. theol. doctoris privilegiis atque honoribus, Idſtenii (zu Itzſtein) ſuperintendens eſt Eccleſiarum, concionator aulicus primarius, & conſiliarius conſiſtorialis, doctrina & vita cunctis fructuoſiſſime prælucens. Potiora eius ſcripta ſunt hæc: Libellus de choreis marium & feminarum, prout apud nos uſitatæ ſunt, quas Chriſtianos neutiquam decere iudicat, Protheoria univerſæ eruditionis humanæ, Triplex inſtructio moralis, & Repræſentatio novæ, atque ad veræ ac genuinæ eruditionis commodum & incrementum facientis Ordinationis. Exiſtimat enim vir optimus & rei litterariæ faventiſſimus, eruditionem multum adiuvari ac promoveri poſſe, ſi Societas recognoſcentium inſtituatur, qui ſcripta omnis generis ſcientiarum, quæ eduntur, recenſeant, eorumque contenta fideliter referant, ac publici iuris faciant.

Digitized by Google

Io. Wilh. ZIEROLDI Einleitung zur Kirchen-hiſtorie, Introductio in Hiſtoriam eccleſiaſticam. Lipſiæ & Stargardiæ 1700. Sunt Partes II. in quibus vis crucis Chriſti, utpote ſolum fundamentum veri chriſtianiſmi contra hoſtes crucis, atque in altera diſcrimen theologiæ veræ & falſæ in homine regenito & irregenito, aduerſus D. *Schelvvigium* & M. *Bucherum*, ab origine mundi uſque ad noſtra tempora proponitur, & ſubinde taxatur permiſtio philoſophiæ tam ariſtotelicæ quam ſcholaſticæ cum theologia. Hæc Introductio a D. quidem *Ittigio* præfat. ad Hiſt. eccleſ. Sect. I. §. 70. quod non mirum, parvi æſtimatur, atque a M. *Buchero* in Menſe 2. & in Prolegom. ad Menſes, contemtim habetur, multisque conviciis proſcinditur, ſed ab aliis præſtantibus viris, ut, *Reimmanno*, *Reckenbergio*, *Buddeo*, *Maio*, *Læſchero* & pluribus pro merito laudatur.

Io. Wilh. *Zierold*, pratovallenſis miſnicus, natus A. 1669. d. 15. Maii, philoſ. & S. theol. D. huiusque profeſſor, & paſtor primarius ſtargardienſis, Conſiſtoriique pomeranici ſenior, ſobrietatis a puero ſtudioſus, & *Speneri* ac veri chriſtianiſmi defenſor, multa in publicum ſcripta emiſit, thetica videlicet, polemica, hiſtorica & hermeneutica, ut, Diſpp. de fortunata ſtultitia, de rebus geſtis Germanorum, de prærogativa barbarorum populorum præ cultioribus, deque iniquo proceſſu Romanorum adverſus Manlium Capitolinum: Libellos de ſobrietate in cibo & potu, de ſtudio hiſtoriæ eccleſiaſticæ & lectione Patrum, de curſu philoſophico, & *Lutheri* conſilio academias reformandi, de abuſu concionum, Diſſertationem de nexu communionis noſtri cum Deo: Medullam theologiæ exegeticæ, Tractatum de diſcrimine veræ & falſæ theologiæ, Synopſin veritatis divinæ, Theologiam vere euangelicam, Veri nominis orthodoxiam fidelium, Perſpicuam explicationem S. ſcripturæ ex emphaſi, Conciones dominicales ſub titulo Renovationis imaginis divinæ, & multas alias conciones, Explicationem Eccleſiaſtæ, Obadiæ & Ioëlis, atque in promtu ad edendum habet Commentarios in Geneſin, Amoſum, Ionam, Nachum, Micham & Proverbia Salomonis, item Paraphraſin & Commentarium poriſmaticum in epiſtolam ad Romanos, atque ad Titum, nec non Grammaticam hermeneuticam, & Lexicon ebræum atque exegeticum. Eximia reportavit elogia

a *Clar-*

Digitized by Google

a *Clarmundo* Introduct. in notit. celeberrimor. ſcriptorum hiſt. eccleſ. Quæſt. 126. *Reimmanno* Hiſtor. literar. p. 44. *Breithauptio* in program. A. 1698. cum doctor eſſet creandus, *Rechenbergio* de Erudita pietate §. 40. & Diſſert. de philoſophis, an ſint hæreticorum patriarchæ §. 18. *Buddeo* Hiſt. eccleſ. V. T. tom. I. 54. 56. *Læſchero* Narrat. innoc. A. 1705. 488. A. 1706. 530. & A. 1713. 319. nec non Recens conſtituto Agente p. 447. Et *Spenerus* in Dedicat. XI. Partis Concionum funebrium ſcribit, ſe lætari propter eius propagationem veritatis, eiusdemque maſculam defenſionem, & in Præfat. in Köpkenii Theologiæ myſticæ §. 3. ſimplicibus eum quidem, at emphaticis verbis vocat eruditum & diligentem virum.

XXXIIX.

Georgii ALBERTI Handwerckszunſt, Tribus opificum. Lipſiæ 1631. Eſt brevis relatio præcipuorum opificiorum, quæ Auguſtæ Vindelicorum exercentur: cum inſtructione, quid quivis opifex in quotidiano operis ſui exercitio in memoriam ſibi revocare debeat, quasque bonas & chriſtianas meditationes pariter facere, atque formare poſſit. Libellus ſane eſt curioſus, atque ad pietatem manu quaſi ducens.

Georgius *Albrecht* ſive *Albertus*, auguſtanus, Bernhardi filius, philoſ. magiſter, primum diaconus eccleſiæ euangelicæ ad Minoritas in patria, deinde ſuperintendens nordlingenſis, inculpatæ vir vitæ, & arte didactica excellens, methodi ubique obſervantiſſimus, & qui verbum recte partiri noverat, præter multa variarum concionum volumina (nam XXII. annorum ſpatio, 2712. habuit conciones) edidit etiam Libellum de blasphemia, atque *Antibellarminum* biblicum, inque ætatis flore occubuit, ſed claris occubuit factis, nam, ut Io. Henr. *Ru* canit in Epicedio: *Poſtquam hierarchica mundo Explicuit, dixit*: Hæc facite! *atque obiit*, A. 1647. cum non niſi 46. vitæ ſuæ annos numeraret. *Witte* Memor. theolog. 663. & Diar. biograph. Xx 3. *Cren*. Diſſert. III. de furib. librar. §. 5. p. 245.

Iacobi ANDREAE Chriſtlicher und grundlicher Bericht, Chriſtiana & ſolida relatio, quomodo monachorum & monialium cœnobia in Ducatu brunſvicenſi partis wolfenbuttelanæ ſint reformata. Magdeburgi 1569. Vt virgines ſacræ non tantum conſcien-

Digitized by Google

tiam conſervare ſuam, ſed etiam cuivis rationem reddere poſſint, ſe ſe non ex levitate, ſed retinendo fundamentum chriſtianæ religionis, & ſalva conſcientia habitum & ordinem religioſum depoſuiſſe. Hic igitur docetur, per reformationem in Ducatu brunsvicenſi non novam eſſe introductam religionem, ſed antiquam, chriſtianam, catholicam & ſalutarem, quæ in VI. partibus Catechiſmi, tanquam Bibliis rudiorum, exhibetur, retineri, in cœnobiis varios viguiſſe abuſus, ut veſtium, ieiuniorum, pſalmorum, orationis dominicæ, ſacræ cœnæ, votorum, invocationem ſanctorum, ſalutationem B. Mariæ, & alia, monaſteria virorum & virginum quondam fuiſſe ſcholas pietatis, bonarum artium, ac diſciplinæ, & ad hunc uſum reduci monaſteria in Ducatu brunſvicenſi, ac bona reditusque, quos inde iam a longo tempore poſſederunt, eo applicari, neque in fiſcum transferri Principis, aut unquam transferendos eſſe.

Antonii BAVMANNI Copey eines ſendſchreibens, Exemplum litterarum Luciferi ad pecuniæ negotiatores & adulteratores. Vlmæ 1622. Quos ſtimulat atque hortatur, ut alacriter pergant in ſuo negotio, & præmia exſpectent condigna atque æterna, videlicet in gehenna inter damnatos. Et hoc ſcripti genere auctor omnes illos, qui adulterata pecunia opes quærunt, aut annonam flagellant, a malo propoſito abducere, atque in viam iuſtitiæ & caritatis deducere laborat.

Io. Chriſtoph. BECKERI Krieg und friedens-gunſt, Bellum & favor pacis. Herbornæ 1649. Eſt fidelis dehortatio a pernicioſo, omniumque malorum iliade bello, minime omnium bello, & læta adhortatio ad continuationem laudabiliſſimæ pacis germanicæ iam publicatæ, variis doctrinis & exemplis illuſtrata, ut quivis inde cognoſcat, quam egregias virtutes, quantamque felicitatem pax, e contrario autem quanta damna, opprobria & vitia bellum pariat, ſecumque vehat.

Io. Chriſtoph. *Becker*, treiſenſis haſſus, I. V. doctor, Comitis naſſovici cattimeliboco-dietzenſis conſiliarius & præfectus eo tempore, quo Germaniæ aurea poſt tricennale bellum pax reddebatur, commentationem hanc formavit, eaque meruit, ut pulcherrima rerum nomen eius perpetuo conſervaret, atque æternitatis aræ inſcriberet.

Io. Georgii *Von dem* BORNE Berathſchlagung, Conſultatio politico-theologica de præſenti & miſero ſtatu Electoratus & Marchiæ brandenburgicæ. Francofurti ad Viadrum 1641. Qua in cauſas præteritæ ac præſentis calamitatis, miſeriæ ac deſolationis inquiritur, ac media proponuntur, quibus maior calamitas, & totalis ruina averti, perturbatusque ſtatus in ordinem poſſit redigi meliorem. Miſeriæ autem illæ erant cædes, rapinæ, exuſtiones, fames, peſtis, perpetuæque exactiones, ab amicis pariter ac hoſtibus exercitæ. Illas ait immiſſas ex iuſta Dei pœna ob vitia & peccata hominum; eorum autem eſſa tria capitalia, Impietatem, Iniuſtitiam & Diſſolutionem, ſive *αταξιαν* in vita & actionibus: primam complecti atheiſmum, blaſphemiam, peierationes, divinationes, artes magicas; ſecundam committi vel inter Magiſtratum & ſubditos, vel inter hos ſeorſum conſideratos; tertiam, ſcortationem, luxum & lautitiam, ſuperbiam, heluationem, & ebrietatem. Hæc igitur vitia, ut cauſſas malorum, corrigenda ac deponenda eſſe; idque fieri poſſe devotis precibus pro illuminatione & animatione Magiſtratus ad faciendas ſalutares ordinationes in ſtatu eccleſiaſtico & politico, aut, ſi earum iam copia datur, abuſus, qui irrepſerunt, tollendos, & exercendam diſciplinam, ſive punitionem improborum, legumque transgreſſorum. Ad extremum Conſultationi hunc adiungit Regulas teſtamenti LVDOVICI Sancti, Regis Galliarum, iisque tanquam gemma tractatum hunc obſignat.

Wolfg. Iac. CHRISTMANNI Erſchrecklicher richterſicher proceſs und endurtheil, Horrendus proceſſus iudicialis & ſententia definitiva adverſus fœneratores & melioris monetæ harpyias. Auguſtæ Vindelicorum 1622. Auctor eodem anno peſtes illas reipublicæ, in tractatu, quem vocat *Mundi-auri- & diaboliburgum*, peremtorie ad Dei tribunal citaverat, ſperans, ſe illos converſurum, & a ſordida atque exſecranda avaritia abducturum; ſed quia id non evenit, ideo iam alterum hunc ſubmittit, in eoque contra peſſimos illos homines accuſationes format SS. Trinitatis, ſanctorum angelorum, ſolis, lunæ, totius firmamenti, ignis, aëris, aquæ, terræ, pii Magiſtratus, proborum ſubditorum, afflictæ religionis & eccleſiæ, viduarum & orphanorum, infantium & poſterorum, caritatis, ſapientiæ, & ipſius diaboli, qui De-

um rogat, ut flagitia iſta ſuæ tradat poteſtati, in æternos ipſorum cruciatus.

Wolfg. Iac. *Chriſtmann*, natus Neuburgi in Palatinatu ſuperiore, philoſ. magiſter, & paſtor euangelicus in celebri Auguſta Vindelicorum, miſerabili illa ætate, qua Germania fœneratorum nequitia & pecuniarum inopia affligebatur, h. e. anno 1622. vocem ſuam in cathedra æque ac ſcriptis extulit, & fidelis paſtoris officio præclare functus eſt, uſque ad annum 1631. quo deceſſit ætate, ſi ita loqui licet, immatura, annum agens quartum & trigeſimum.

EIVSDEM Antwort, Reſponſum iuris ſacri ad II. quæſtiones. Campiduni 1625. Quæſtiones ſunt hæ: 1. an is, qui olim viliore pecunia ſummam aliquam ſolvit, aut prædia aliave bona ſibi comparavit, defectum ſupplere, & damnum illatum tollere debeat? 2. an quis bona conſcientia petere poſſit, ut alter pro viliore moneta ſibi bonam & ingenuam ſolvat monetam? Vtramque autem negat.

Wolfgangi ERHARDI Beantwortung, Reſolutio quæſtionis: an multitudo mercatorum civitati ſit utilis? Erfurti 1655. Auctor adfirmat, pariterque de ortu, propagatione, & ſubiectis mercaturæ verba facit.

Wolfgangus *Erhardus*, abbas coburgenſis, non minus iurium, quam ſacrorum peritus, in orbe litterato conſpicuus fuit, cum dimidia ſæculi XVII. pars effluxiſſet.

Chriſtophori *a* HAVGWITZ Geſpraech, Dialogus de Canonicis, cur ita vocentur, & quænam eorum munera olim fuerint. 1660. Ex inſigni bibliotheca, videlicet Auguſta, ad typos iteratos promotus, primumque editus Wittebergæ A. 1536. Dicit autem, *Canonicos* ſic appellari a canonica ſcriptura, quam debeant interpretari, & *horas canonicas* inde etiam nomen ſuum trahere, quod certis horis convenerint ad legendam & exponendam ſcripturam ſacram: confluxiſſe quidem non tantum ex urbe, in qua erat collegium, ſed etiam ex vicinis oppidis & pagis, qui in ſcripturis propheticis & apoſtolicis erudiri cupiebant, velut ſtudioſi & filii prophetarum; præterea Canonicatus deſtinatos fuiſſe laboribus ſcholaſticis, atque in talibus collegiis iuventutem informatam in Grammatica, Dialectica, Muſica, & aliis artibus liberalibus,

libus, atque in primis in linguis, & hinc orta nomina Scholaſtici, Decani, Cantoris, Succentoris, e. r. Et ad hanc priſtinam formam reducenda eſſe ait Collegia Canonicorum, ſi læta conſcientia velint bonis gaudere eccleſiaſticis, atque ad alterius, qui otioſus & voluptatibus deditus erat venter, temeraria atque impia argumenta religioſe reſpondet. Addita eſt Præfatio Ioannis *Bugenhagii* ex Conſtitutione eccleſiaſtica hamburgenſi, idem tractans argumentum; ad quam *Haugvvitzius* etiam provocavit in Dialogo ſuo, ſicut Bugenhagius eum primus edidit.

Chriſtophorus *a Haugvvitz*, canonicus Budiſſinæ in Luſatia, vir probus ac pius, qui corruptelas vitæ canonicorum ſatis cognovit, hocque ſcriptum ſuum Bugenhagio edendum in teſtamento commendavit, neque vigilias aut miſſas pro ſe defuncto inſtitui voluit, ad quietem pervenit anno 1636.

Tobiæ HENCKELII Gewiſſensſpiegel, Speculum conſcientiæ de lucri cupidis emtoribus & propolis. Halberſtadii 1621. Proponit in eo III. quæſtiones: 1. An deceat pium chriſtianum, res, quibus proximus eius opus habet, vendere peregrinis? 2. An liceat agere propolam. 3. An deceat pium Magiſtratum duas iſtas Reip. peſtes tolerare? & reſpondet ad omnes negando.

Tobias *Henckelius*, philoſ. magiſter, & halberſtadienſis ad S. Pauli paſtor, vir religioſus & iuſti æquique amans, floruit anno Chriſti 1621. & amplius. Plura de eo adderem, ſi moroſitatem non nullorum in re non difficili expugnare valuiſſem.

EIVSDEM Gewiſſenstritt, Preſſio conſcientiæ omnium negotiatorum & adulteratorum pecuniæ. Halberſtadii 1621. Editio correctior, & auctior. Et hic III. tractantur quæſtiones: 1. An liceat ſine urgente neceſſitate legitimum ſuum ſtatum, ad quem rite, cumque conſenſu ſuo fuit vocatus, ad quem etiam adhuc aptus & idoneus eſt, deſerere aut mutare? 2. An negotiatio pecuniaria, qua melior & perfectior pecunia ſeparatur ac retinetur, levior autem ac vilior colligitur, & vicinorum mala pecunia introducitur, ſit licita? 3. An quis eiusmodi rei monetalis ſe poſſit participem reddere, ac monetam pro certa penſione cudere, citra obſervationem Ordinationis monetalis a S. rom. Imperio præſcriptæ? Rurſus autem ſingulæ earum negantur.

Cele-

Celebris cuiusdam *theologi ſaxonici electoralis* Vnterricht, Informatio de fœnore. Lipſiæ 1616. Auctor eſt D. Matthias HOE, cui etiam adſcribitur a *Wittio* in Memoriis theologor. pag. 1025. qui hanc quæſtionem, An homo chriſtianus, ſine violatione conſcientiæ ſuæ, pro pecunia, aut alia re, quam alteri dat mutuam, fœnus ſive uſuram ſecundum Conſtitutiones provinciales petere & accipere poſſit? ita ventilat, ut utrumque adfirmet; ita tamen, ne id fiat cum pauperis afflictione, damno, gravamine & oppreſſione.

XXXIX.

Henr. KORNMANNI Reſponſum iuris ſuper quæſtione, An & quomodo Iudæi a chriſtiano Magiſtratu tolerandi? Marpurgi 1622. In quo multa adfirmantur, quæ aliis videantur duriora atque acerbiora.

Henr. *Kornmann*, ex Kirchaina Cattorum, utriusque iuris doctor, ſtruxit Templum naturæ, Librum de miraculis mortuorum, & alium de miraculis vivorum, Montem Veneris, & Tractatum de virginitate, florens Seculo XVII.

Petri MEIDERLINI Erinnerung, Commonefactio de ſapientia & pecunia. Auguſtæ Vindelicorum 1622. Qua diſputatur, utra alteri præferenda? Evincitur autem, ſapientiam præſtare pecuniæ ſive divitiis; monſtratur etiam, negotiatores pecuniæ contra omnia Decalogi præcepta peccare, atque æternam ſibi attrahere condemnationem.

Petrus *Meiderlinus*, wurtenbergenſis, philoſ. magiſter, & ephorus Collegii euangelici auguſtani, in quo iuvenes ad ſtudia academica rite tractanda inſtruuntur, ipſe ſe vocat theologum & philoſophum, vitamque ſuam finivit anno 1651. ætatis 69.

EIVSDEM Parvus catechiſmus pro negotiatoribus & corruptoribus pecuniæ, & omnibus illis, qui inhoneſtis mediis divitias conantur acquirere. Auguſtæ Vindelicorum 1622. In quo monſtratur, quomodo illi peccent contra ſingulos articulos ſive partes Symboli apoſtolici, Orationis dominicæ, Baptiſmi & S. cœnæ. Et hic tractatus eſt continuatio præcedentis.

EIVSDEM Heilſamer rath, Salutare conſilium & iudicium ad negatiatores pecuniæ ac fœneratores, in ipſorum ſalutem æternam. Auguſtæ 1623. Hortatur igitur eos, ut agant pœnitentiam, & male partam pecuniam diſpenſent inter pauperes.

Frid,

Frid. PETRI Gründlicher bericht, Solida inſtructio de Canonicis eorumque adiunctis. Magdeburgi 1629. Primum edita ab eius genero M. Bartholdo *Vœlckerlingio* A. 1618. Occaſio ad hoc ſcriptum erat factum alicuius civis brunsvicenſis, qui ut allevare poſſet onus tributi, Magiſtratui pendendi, a Capitulo S. Blaſii feudum ſibi aliquod ære comparavit. Hoc *Petrus* taxavit pro concione, cum tractaret Catechiſmum, pariterque de imaginaria Canonicorum ſpiritualitate, & periculo ſtatus ipſorum verba fecit, D. *Moerlini* teſtimonio ad rem præſentem uſus. Sed Canonici blaſiani ægre id tulerunt, & ad colloquium oratorem provocarunt. Quod cum ille detrectaret, librum emiſerunt, auctore D. Ant. *Colero*, canonico, qui tamen nomen ſuum reticuit, hoc titulo: Breve ſolidumque iudicium de ſummis, mediocribus & inferioribus Capitulis, an illa in ſtatu, quo ſunt in S. romano-germanico Imperio, ſint conſervanda? Halberſtadii 1617. In quo quidem auctor *Petri* concionem non aperte refutavit, ſed hic & illic tamen ſenſibiliter pupugit; *Mertinus* autem *Vellanolus*, id eſt, Valentinus *Mollerus*, D. & Decanus rev. Capituli in Epigrammate adiecto ſatis eum acerbe perſtrinxit. Hiſce ille commotus fuit ad ſcribendum hunc tractatum, & cauſſam ſuam publice defendendam. Sed dum ſub prelo liber gemebat, auctor e vita hac evocatus; liber vero lucem vix adſpexit, ex quo, ad preces & querelas adverſariorum, a ſereniſſimo Duce *Friderico Vlrico*, ne venalis exponeretur, prohibitus eſt, dictusque *Mollerus* Vindicias ei oppoſuit Canonoicorum, oſtendens, Canonicos, iisque adiunctos in ſtatu vivere Deo placente, Brunsvigæ 1618. *Petri* liber IIX. conſtat capitibus, quorum primo exponit cauſſam huius ſcripti, atque ad varias reſpondet obiectiones: ſecundo ſtatum controverſiæ format: tertio & quarto rationes adducit, quibus Canonici credunt, ſtatum ſuum placere Deo, ſeque ſalva conſcientia bonis eccleſiaſticis frui poſſe: quinto ſententiam Scripturæ ſacræ hac de re adducit, oſtendens, Deum odiſſe otioſos, velle autem, ut quisque in ſuo ſtatu laboret, & quid boni peragat: ſexto teſtimonia adfert SS. Patrum aliorumque Doctorum, & Ordinationum eccleſiaſticarum de Canonicis in ordinem redigendis: ſeptimo contra Canoni-

nonicos diſputat ex ipſo eorum libro: octavo quæſtionem ventilat, an rectum ſit, ut quidam ex inferioribus civibus, quo tributi ſolvendi onere ſublevetur, vicariatum aut feudum a Canonicis ſibi comparet?

Fridericus *Petri*, ſive etiam *Petrus*, natus Hallerſpringæ in Principatu calenbergico, philoſ. magiſter, Mich. *Neandri* diſcipulus, orientales linguas, quas ab eo didicerat, profeſſus eſt Brunſuici, cum eſſet conrector ſcholæ S. Martini. Non autem manſit in hac ſtatione, ſed promotus eſt ad paſtoratum eccleſiæ S. Andreæ, & conſtitutus tandem adiutor Superintendentis. In quibus muneribus ſicut fidem & vigilantiam debitam adhibuit, ita nec horas ſubſecivas perdidit, ſed eas variis ingenii monumentis condendis impendit. Vnde eſt, quod ab ipſo habeamus Euangelia anniverſaria, quæ dominicis diebus & Sanctorum feſtis leguntur, hebraice converſa, Librum de fide phantaſtica ſupra cœlos evolante, contra ſic dictos Calviniſtas, (acri enim contra eos zelo inflammatus erat) Reſponſionem pro libello *Chemnitii* adverſus *Danæum*, Reſponſionem ad librum *Bremenſium*, quem adverſus collectores Apologiæ Formulæ concordiæ publicarunt, Calvinianorum neſtorianiſmum, Libellum conſolatorium pro afflictis, & Sapientiam Germanorum: imo ipſe non tantum inſtigavit D. Polycarpum *Lyſerum* ad concinnandam Harmoniam euangelicam, ſed opem quoque ad illum laborem tulit non pœnitendam. Peractis autem hiſce omnibus e ſcena mundi abiit A. 1617. ætatis 68. *Rehtmeyer* Hiſt. eccleſiaſt. brunsvic. P. IV. c. 4. p. 268.

Erici RHONAEI Chriſtiani iudaizantes, ſive Warnung, Dehortatio ad cuiusvis ſtatus Chriſtianos, ne Iudæis Chriſti oſoribus adulari, connivere, & ad horrendas ipſorum blaſphemias ſervire pergant. A. 1621. Inprimis autem Dehortatio eos ſpectat, qui Iudæis in ipſorum ſabbato, pro vili mercede, operam ſervilem præſtant.

Ericus *Rhonæus*, magnus contra Iudæos zelotes, fuit paſtor Neo-patr. eoque floruit tempore, quo ſcriptum hoc emiſit, atque Ideam reformandi antichriſti duobus tomis A. 1623. complexus eſt.

Io.

Digitized by Google

Io. Wilh. ROEVESTRVNCKII Bedencken, Iudicium de minorennibus, cur iis, eorumque vicariis paſtoratus & munera eccleſiaſtica, eorumque proventus, non ſint permittenda. Herbornæ 1620.

Io. Wilh. *Rœveſtrunck* videtur eſſe iurium peritus, atque inter eruditos vixit in adoleſcentia ſæculi XVII.

Io. WEINRICHII Warnung, Dehortatio a tumultu & ſeditione. Erfurti 1622. Nimirum ex S. ſcriptura, Iure ſcripto & libris profanis oſtenditur argumentis firmiſſimis, non competere populo, ut hominibus privatis, pecuniæ negotiatorum & adulteratorum, propolarum & annonæ flagellatorum, atque impiorum fœneratorum domos effringere, eorum bona diripere, illosque ipſos perſequi, expellere, in fugam coniicere, aut etiam, ſub ſpecie avertendæ caritatis annonæ, trucidare & occidere: reſpondetur etiam ad eiusmodi turbonum exceptiones: 1) Deum iuſſiſſe, ut malum e medio tollatur. *Deut.* 19,19. 22,21. 24. 2) Id facere ad publicam & privatorum utilitatem. 3) E duobus malis minus eſſe eligendum: minus autem malum eſſe, ut unius, aut paucorum bona invadas atque auferas, quam ut tota civitas & Reſp. patiatur, atque ad incitas redigatur. 4) Vicinos quosdam ſuo hoc factum exemplo comprobaſſe, & contra fœneratores, ac Reip. peſtes talem vindictam ſalutariter exercuiſſe.

Io. *Weinreich*, Iſennaco-thuringus, & Iurium candidatus, claruit A. 1622. quo Germania in miſerrimo erat ſtatu, ob annonæ caritatem & iuſtæ monetæ penuriam.

Io. Iuſti WINCKELMANNI Chriſtlicher kaufmanns-ſpiegel, Chriſtianum ſpeculum mercatorum. Gieſſæ 1651. In quo ingenuæ mercaturæ notabilis antiquitas, glorioſa origo, utile incrementum, ſumma neceſſitas ac vera proprietas, nec minus eiusdem horrendæ, in verbo Dei prohibitæ & pœnis coërcendæ corruptelæ proponuntur, & quidem rhythmis germanicis, cum Annotationibus. Sicut urbem francofurtenſem ad Mœnum in eo celebrat, ita eiusdem mercatoribus poëma dedicat ſuum, atque in Præfatione docet, ſicut quivis, qui in ſtatum aliquem ſe vult recipere, antea rimari debet atque inquirere, an ille Deo placeat, & ſalva ipſe conſcientia in eo verſari poſſit, ita eos, qui mercaturæ

ſe conſecrare volunt, cupidos debere eſſe, ut ſciant, unde nam mercatura ortum ſuum habeat? an illa in verbo Dei ſit fundata? utrum ſtatus Deo placens? an pius chriſtianus læta eam conſcientia exercere poſſit? quo modo, quemque in finem eam queat aggredi? quænam natura & proprietas mercaturæ ſit?

Io. Iuſtus *Winckelmann*, Gieſſa-haſſus, D. Ioannis, Superintendentis, ac profeſſoris theologiæ primum marpurgenſis, deinde gieſſenſis, iterumque marpurgenſis, filius, condidit Arboretum genealogicum Heroum europæorum A. 1665.

XL.

Conradi DIETERICI Traumdiſcurs, Diſſertatio de nocturnis ſomniis. Vlmæ 1624. Quo docetur, 1. quidnam nocturna ſint ſomnia, 2. unde plerumque veniant. 3. quam ſint varia. 4. quid de iis iudicandum. 5. quomodo iis chriſtiane utendum. Cum refutatione contrariarum opinionum, in primis Spirituum, Prophetarum, & Interpretum ſomniorum, eosque conſulentium.

Conradus *Dietericus*, Gemunda-haſſus, philoſ. magiſter, *Goclenii*, *Gualtperii*, Aeg. *Hunnii*, *Winckelmanni*, *Arcularii* & *Menzeri* diſcipulus, facto per Moraviam, Bohemiam, Vngariam, Miſniam & Thuringiam itinere magiſter philoſophiæ, ac primum concionator caſtrenſis, deinde hypodiaconus in eccleſia marpurgenſi, ad hæc profeſſor philoſophiæ practicæ, & director illuſtris pædagogii in academia gieſſenſi, & tandem, impetratis prius honoribus in ſacra theologia doctoralibus, ſuperintendens eccleſiarum ulmenſium, vir erat doctrina, ſcriptis, virtutibus, & converſatione familiari clariſſimus: omnium enim virtutum imago fuit, ſingulare eccleſiæ ornamentum, & boni concionatoris idea, ut copiam rerum & ſententiarum non ſatis mirari poſſis, quique aliis ſuaviſſime & efficaciſſime concionabatur, animam ipſe ſuam in dies robuſtiorem reddidit, mortemque adventantem generoſo excepit animo: quo anno? anno chriſti 1639. ætatis ſuæ 65. Eius ſunt Inſtitutiones catecheticæ, Quæſtiones theologicæ de fanaticiſmo *Schvvenckfeldianorum* & *Chiliaſtarum*, Elenchus geminus contra *Iudaeos* adventum negantes Chriſti, Diſcurſus de rapinis bellicis, & alius de eleemoſyna, Speculum ſenum, Conciones in *Nahum*, item

Digitized by Google

item in *Ecoleſiaſten*, ac librum *Sapientiæ*, & aliæ, omnes lectu & imitatu utiliſſimæ; ſicut etiam Analyſis logica Euangeliorum dominicalium & feſtorum. *Spizelius* in Templo honor. reſer. 133. *Schappius* in *Wittii* Memor. theolog. 456. *Lexicon univ. hiſtor.* P. I. 832. *Feller* Monument. inedit. T. I. 405.

Balthaſ. MENTZERI Erklærung, Declaratio quæſtionis de termino vitæ humanæ. Rintelii 1649. Eſt Diſſertatio, latine ſcripta & edita A. 1647. nunc autem germanice reddita, & contra varias detorſiones & obiectiones auctoris Stabilimenti cenſuræ antimentzerianæ (qui eſt ille, qui Comiti lippienſi Simoni Ludovico concionem habuit funebrem) defenſa. Diſſertatio III. conſtat capitibus, quorum primo Reformatorum, ſecundo noſtratium ſententia recitatur, & tertio ad illorum argumenta reſpondetur. Defenſio VI. habet Partes, quarum prima oſtenditur, *Mentzerum* Concionem reformatæ eccleſiæ miniſtri recte ab impreſſione prohibuiſſe: ſecunda demonſtratur, eum errores concionis legitime probaſſe: tertia ventilatur hæc quæſtio, An doctrina de immutabili vitæ humanæ termino Verbo Dei & Auguſtanæ confeſſioni ſit conformis? quarta de *Mentzeri* agitur ſententia: quinta de eiusdem argumentis: ſexta de adverſarii argumentis, pariterque evincitur, recte ad ea in Defenſione reſponſum eſſe.

Balthaſar. *Mentzer*, Allendorfio-haſſus, lectionibus & diſputationibus, quamvis iam philoſophiæ magiſter creatus eſſet, frequenter interfuit, illud *Plinii* iunioris recordatus: *Legendi ſemper occaſio eſt, audiendi non ſemper; præterea multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit:* & ſic eam ſibi eruditionem acquiſivit, ut publici philoſophiæ profeſſores in academia marpurgenſi, logicus, ethicus, græcus, negotiis præpediti, raro exemplo, ſuas publice legendi vices ei non nunquam demandarent; quibus ille præclare defunctus eſt, & a frequenti ſtudioſorum cœtu tranquilliſſime auditus. Atque hæc erant præludia publicorum & graviorum munerum. Eccleſiæ enim kirtorfienſi datus eſt paſtor, ac poſt ſeptennium ſuffectus D. Dan. *Arculario* in profeſſione theologica & ſtipendiariorum ephoria marpurgenſi, & honoribus ornatus doctoralibus. In qua ſparta ſicut & in ſecuta gieſſenſi, ita ſe geſſit, ut dicere liceat, eum omnes partes officii epiſcopalis, quos ſanctus A-

 poſto-

poſtolus 1. ad Timoth. 3. præſcribit, impleviſſe. Ex eius ſchola plurimi ſunt emiſſi doctores & theologi, qui cathedras & ſuggeſtus non tantum Germaniæ, ſed aliarum etiam provinciarum poſtea animarunt, &, ſicut præceptor ipſorum, bella Domini fortiter geſſerunt: diſputavit enim ille &ſcripſit contra Pontificios, *Piſtorium*, *Colonienſes* & *Paderbornenſem* quendam, contra *Tubingenſes*, contra *Weigelianos* aliquos de partibus eſſentialibus hominis, & in primis contra Reformatos, Ant. *Sadeelem*, Vrb. *Pierium*, & Io. ac Lud. *Crocium*, Matth. *Martinium*, Io. *Appelium*, Paul. *Steinium*, Dav. *Pareum*, Io. *Piſcatorem*, Bernh. *Eilshemium*, & ipſam *Synodum dordrechtanam*. Ab eo etiam habemus tractatum de coniugio, Exegeſin Auguſtanæ confeſſionis, & varias Diſputationes. Quid multis? Opera eius iunctim edita ſunt ab ipſius filio cognomini, Francofurti A. 1669. 4. Et ſicut ſymbolum eius hoc erat, Τ' ἀνώτερα κάλλιω, ita, cum moriendum erat, ipſo opere oſtendit, ſe non formidare mortem, ſed bene præparatus illam ſuaviter amplexus eſt anno 1627. ætatis 62. *Witte* Memor. theol. 224. & *Spizelius* Templ. hon. reſer. 68. qui eum vocat doctorem vere magnum. Sed nec hoc prætereundum, in medicina quoque tantos eum progreſſus feciſſe, ut doctiſſimi Medicorum ſæpe virum ſint admirati. Hoc modo fecit id, quod uni ex maioribus meis conſuluit prudentiſſimus Melanchthon, dicens, utile eſſe, ut medicum ſtudium coniungatur cum theologico.

Iodoci WILLICHII Engelsprobe, Examen angelorum. Dresdæ 1652. Eſt collectio Iudiciorum & conſiliorum, quæ formata ſunt a præſtantibus theologis, de re angelica, & quidem 1. quid hodie iudicandum ſit de angelicis viſionibus & apparitionibus. 2. in quantum iis fidendum. 3. an ſint petendæ, exſpectandæ, & audiendæ? D. Iacobus *Weller* laborem hunc laudat, ut chriſtianum & neceſſarium.

Iodocus *Willich*, natus Prettini, oppido inter Torgaviam & Vitembergam ſito, philoſ. magiſter, & paſtor primarius Lobaviæ, quæ eſt una ex Sex civitatibus Electoris ſaxonici, geſto per dimidium ſæculum munere ſacro ad plures abiit A. 1693. æt. 76. Vide *Lexicon de eruditis*, & Io. Chriſt. *Blumius* de iubilæo theologor. emerit. p. 183.

Digitized by Google

THEOLOGORVM ab Electore brandenburgico DEPVTATORVM Kurz bedencken, Breve iudicium, quid de miſero ſtatu obſeſſorum Spandavii, & angelicis apparitionibus, ipſis factis, iudicandum ſit. Brunsvigæ 1609. Obſeſſionem illam habent pro vere diabolica; angelicas antem apparitiones pro illuſionibus ſatanæ.

Wolfgangi HILDEBRANDI Entdeckung und erklærung furnehmer articuln der zauberey, Goëtia vel theurgia, ſive præſtigiarum magicarum deſcriptio, revelatio, reſolutio, inquiſitio, & exſecutio. Lipſiæ 1631. In qua aperitur, quid de magis, ſagis, earumque actionibus, re amatoria, medicina, item de infantibus ſuppoſititiis & exercitu furibundo ſit iudicandum. Delineata olim a Iacobo Lib. Barone *a Liechtenberg*, & fuſius deſcripta a D. Iac. *Weckero*, nunc vero reviſa, & multis modis, maximeque præſcriptionibus medicamentorum adverſus artes & afflictiones magicas aucta.

Wolfg. *Hildebrand*, Gebeſch tyrigeta, notarius cæſareus, anno 31. ſæculi XVII. hoc ſcripto in publicum prodiit. Idem fortaſſe ille eſt, qui A. 1602. Magiam dedit naturalem.

Neuer tractat, Novus tractatus de magia infantum ſeductorum. Coloniæ 1629. E latino in germanicum translatus. In quo aperiuntur cauſſæ, ob quas infantes, qui innocentes videntur, ad commercium ſpirituum infernalium, & magorum ac maleficorum perducuntur, atque ita horribiliter ſeducuntur. Pro cauſſis autem afferuntur 1. peccata parentum. 2. infantum peccata propria. 3. parentum exſecrationes adverſus ſuos liberos. 4. eorundem ſeductio & corruptio. 5. intermiſſio, aut non legitima collatio baptiſmi. 6. peſſima parentum actio, qua liberos ſuos conſecrant diabolo. 7. pravum ſodalitium inter ipſos infantes. Per infantes ergo hic intelliguntur, tam qui proprie tales ſunt, quam pueri & puellæ minorennes.

Caſp. STILLERI Spiritualis practica aſtrologica, ſive Calendarium eccleſiaſticum, in quo de ſpiritualibus ſolis & lunæ eclipſibus, & malis adſpectibus, & qui eorum ſint effectus, ſermo inſtituitur, eum in finem, ut malo reſiſtatur. Germanice. Lipſiæ 1620. Nimirum ea, quæ in Practica aſtrologica occurrunt, ad ſpi-

ſpiritualia accommodantur, & ſic ſpiritualis luna auctori eſt Eccleſia chriſtiana; ſol ſpiritualis, Chriſtus filius Dei & Mariæ; ſpirituales, Homines in genere; ſpiritualis adſpectus mali, Principum, ſi non bella, tamen invidiæ, & appetitiones alienæ ditionis, exactiones nimiæ & moleſtiſſimæ, quibus ſubditi gravantur, & ſubditorum iræ ac promtitudo ad tumultus atque rebelliones. Hæc autem & alia mala ait averti poſſe pœnitentia & exercitio pietatis ſecundum Dei leges ac præcepta.

Caſpar *Stiller*, lipſienſis, philoſ. magiſter, fuit paſtor neuſtadianus ad Weisfurtum, & vixit, atque erudito orbi innotuit anno vigeſimo ſæculi XVII.

ANONYMI Widerlegung, Refutatio aſtrologiæ iudiciariæ. Auguſtæ Vindelicorum 1654. Non vera, ſana & artificioſa Aſtronomia hic impugnatur, ſed vana & ſuperſtitioſa Aſtrologia, qua hominibus, ex poſitu aſtrorum, futura, & quæ a libera voluntate dependent, prædicuntur. In Parte II. enumerantur Imperatores, Reges & alii excellentes viri, qui Aſtronomiæ operam dederunt, & in epilogo adhortatio fit ad diſcendas artes mathematicas atque aſtronomicas, omnium quippe nobiliſſimas ac præſtantiſſimas. Vide *Epiſcopium* Oper. T. I. 147.

XLI.

Bernhardi ALBRECHTI Bericht von der zauberey und hexerey, Doctrina de magia & veneficio. Lipſiæ, 1628. Agitur in genere de magia, deinde XII, eius ſpeciebus, quanta ſit eius abominatio coram Deo, & quam graviter peccent magi, atque ad eorum opem confugientes, chriſtianumque Magiſtratum recte facere, ſi magis & veneficis ſupplicia irrogent.

Bernhardus *Albrecht*, philoſ. magiſter, primum Pilenhofii in Palatinatu neuburgenſi, deinde in imperiali Vindelicorum Auguſta paſtor, & Miniſterii euangelici ſenior, ſcripſit germanice Theſaurum œconomico-eccleſiaſticum, Manuale, libellos de tonitru & tempeſtatibus, de ſolatiis pro agonizantibus tempore peſtis, de melancholia, de autochiria, Itinerarium & Conciones miſcellaneas, atque hinc abiit A. 1636. *Witte* Diar. biograph. Kk 3. & *Serpilius* Epitaph. theol. ſuev. 133. qui obſervat, eum laudem habere religioſi & induſtrii paſtoris, item pii & cordati theologi.

Io.

Digitized by Google

Io. RVDINGERI Predigten. Conciones XX. de magia illicita. Ienæ 1630. Tractatio inſtituta eſt ſecundum vulgarem verſiculum: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*; & variæ quæſtiones ſolvuntur, atque ad obiectiones contradicentium reſpondetur.

Ioannes *Rudinger*, poëta laureatus cæſareus, eccleſiaſtes fuit in Superiori Oppurgo A. 1630. Cui ita cecinit Adrianus *Beyer*:

Te vitta & crinis decoravit ſplendida Pallas,
Hinc doctum manat carmen ab ore tuo.
Omnipotens in te ſua dona Iehova coronat,
Hinc bene ſuada tuo concio ab ore fluit.

Herm. SAMSONII IX. Hexenpredigten, IX. Conciones de magis & ſagis. Rigæ, 1626. In quibus agitur de quidditate, & cauſſa efficiente principali, item fine magiæ, de diaboli eiusque clientum mirabilibus, hominumque transmutatione in feles, lues, canes & lupos, de procreatione tempeſtatum, grandinis, pluviæ, ventorum ac pruinæ, atque an magi & ſagæ poſſint, cooperante ſatana, hominibus atque infantibus morbos infligere, eorumque corporibus infirmitatem adducere, bruta & fruges terræ vitiare, & incendia conflare? de magia naturali & diabolica, ac ſpiritu familiari, de magia præſtigiatoria & noxia, de iis, qui opem a magis & ſagis petunt, & dierum electione, de aſtrologia iudiciaria, & defenſione adverſus illas ſatanæ ſquamas, deque officio paſtorum & Magiſtratuum in taxando & puniendo atrociſſimo magiæ crimine.

Hermannus *Samſonius*, Riga-livonus, hereditarius in Veſten, regius per Livoniam ſuperintendens, paſtor & profeſſor primarius in urbe patria, variis ingenii monumentis famam ſibi acquiſivit, interque ea ſunt Oratio de natura & proprietatibus calumniæ, & alia de laudibus & rebus geſtis GVSTAVI M. Regis Sueciæ, & alia de origine & utilitatibus ſcholarum, Enchiridion articulorum fidei, Confutatio Laurentii *Nicolai* ieſuitæ, Demonſtratio XII. veritatum euangelicarum adverſus *Ieſuitas*, Concio de cometis, Conciones de Gog & Magog, Concio funebris in memoriam GVSTAVI ADOLPHI, Regis Sueciæ & multæ Diſſ. pp. ex Locis theologicis. *Witte* Memor. theolog. ... *Maxima Samſo-*
Part.K. In 4. Q nii

nii *laus eſt, quod nemo illum vituperaret: quod nemo illum non deſideraret: quod nemo in civitate rigenſi reperiretur tanta facundia, qui laudare illum ſatis quiret*; ſunt verba Io. *Breveri* apud Wittium p. 511.

XLII.

Colloquium WORMACIENSE (per Philip. MELANCHTHONEM) Vitebergæ 1542. Inſtitutum A. 1540. auctoritate Invictiſſimi Imperatoris CAROLI V. ad dirimendas controverſias eccleſiaſticas, inter D. *Eccium* & Phil. *Melanchthonem.* Addita etiam ſunt III. alia ſcripta: 1) de manifeſtis abuſibus poteſtatis pontificiæ. 2) de manifeſtis abuſibus eccleſiaſticis, & emendatione. 3) Reſponſiones Principum utriusque partis de Ratisbonenſi colloquio. Præfatio huius editionis eſt Phil. *Melanchthonis*, qui in ea *Grynaum* & *Capitonem* defunctos laudat, de *Eccio* autem conqueritur, quod ſocraticum egerit diſputatorem, nec candorem, ſtudiumve veritatis ad has tantas deliberationes attulerit.

Acta in conventu ratisbonenſi (per Phil. MELANCHTHONEM) Vitebergæ 1541. Et quidem 1) Liber propoſitus delectis collocutoribus: cuius quis auctor ſit, *Melanchthon* fatetur ſe neſcire. 2) Articuli oppoſiti certis locis in libro. 3) Reſponſio coniunctorum Auguſtanæ confeſſioni de libro. 4) Præfationes quædam, quæ indicant cauſſas, cur articuli quidam reprehenſi ſint. 5) Reſponſio *Ordinum Imperii* ad Card. Caſp. *Contareni* ſcriptum. Videlicet ad Cenſuram eius de libro cæſareo, & Proteſtantium ſive Annotationibus, in qua eos a communi conſenſu catholicæ eccleſiæ ait diſſentire, iubetque Epiſcopos advigilare, ut genus doctrinæ, quod illi profitentur, deleant. Auctor Præfationis iterum eſt Phil. *Melanchthon*, qua miſerum eccleſiæ ſtatum graphice depingit, CAROLI Imp. ſtudium ac deſiderium concordiæ in ea reſtauranda laudat, quæ ſunt vera & Eccleſiæ neceſſaria, moderate, ſed tamen ingenue dicenda, librum autem Cæſaris, qui via eſſe deberet ad concordiam faciendam, multa flexiloqua continere ait.

Acta colloquii ratisbonenſis, per Mart. BVCERVM. Argentorati 1541. Quibus continentur 1) Propoſitio Imperatoris, qua Ordinibus Imperii Acta colloquii deliberanda commendavit. 2) Liber, quem Imperator Collocutoribus tradiderat excutiendum,

quem-

quemque emendatum Collocutores Imperatori reddiderunt. 3) Articuli Proteſtantium. 4) Eorundem Reſponſum, datum Imperatori de conciliatis & non conciliatis articulis. 5) Eorundem Reſponſum de ratione reformandi abuſus in utroque ordine. 6) Phil. *Melanchthonis* Iudicium de abuſibus eccleſiaſticis emendandis. 7) Catalogus Ordinum Proteſtantium. 8) Reſponſum Electorum & aliorum Principum catholicorum de Actis colloquii, conciliatisque & non conciliatis articulis. 9) Reſponſio Imperatoris. 10) Reſponſum Legati pontificii, Caſp. *Contareni*, Cardinalis. 11) Propoſitio Imperatoris de concluſione Comitiorum, & decreto faciendo in cauſſa religionis. 12) Reſponſa Electorum, Principum, Liberarum civitatum catholicarum, & proteſtantium. 13) Decretum Imperatoris & omnium Ordinum de reformatione Eccleſiaſticorum. 14) Teſtimonium *Eccii* de libro, ab Imperatore Collocutoribus oblato; quem quidem inſulſum vocat. 15) Supplicatio Iul. *Pflugii* & Io. *Gropperi* contra Eccii calumniam. 16) Duo ſcripta Legati pontificii de Actis colloquii. 17) Concionatorum proteſtantium ad hæc Reſponſum. 18) Scriptum Legati, ne quid ſtatueretur de nationali Synodo. 7) Admonitio Concionatorum proteſtantium. 20) De abuſibus eccleſiaſticis emendandis alterum ſcriptum Imperatori oblatum. Hiſce Præfationem *Bucerus* præmiſit, ſeu Dedicationem ad Ludov. *de Flandria*, Imperatoriæ Maieſtatis ſupremum cubicularium, ad fidem ſuam liberandam, quandoquidem ille inter Cæſareæ concilii Principes præſens omnia ita geſta eſſe cognoverit. Ceterum laudat Imperatoris ſtudium & operam reducendi pacem & concordiam in rebus religionis, certumque pronuntiat eſſe, Germaniam ſalvam eſſe non poſſe, niſi inter ſe conſentiat, nec recte conſenſuram unquam, niſi conciliata religione. Vid. *Schmidtius* Continuat. Introduct. Sagittar. p. 1528.

WIRTENBERGENSIVM theologorum Epitome colloquii maulbrunnenſis 1564. Ex germanico in latinum tranſlata. Colloquium hoc habitum eſt prædicto anno inter Friderici palatini Electoris & Chriſtophori Ducis wirtenbergenſis theologos, Mich. *Dillerum*, Pet. *Boquinum*, Caſp. *Olevianum*, Zach. *Urſinum*, & Petr. *Dathenum*, ab una; & Valent. *Vannium*, Io. *Brentium*, Iac. *Andreæ*, Theodor. *Schnepfium*, & Balth. *Bidenbachium*, ab altera

 parte;

parte: & quidem de maieſtate hominis Chriſti veraque eius in euchariſtia præſentia. Vid. iterum *Schmidt* l. c. p. 1542.

Iac. ANDREAE Aſſertio piæ & orthodoxæ doctrinæ de perſonali unione. Tubingæ 1565. Contra Theodori *Bezæ* Reſponſum ad Io. *Brentii* argumenta, quibus carnis Chriſti omnipræſentiam nititur confirmare.

Hiſtoria diſputationis ſive Colloquium inter *Flacium* & Iac. COLERVM. Berlini 1585. Colloquium hoc inſtitutum fuit A. 1574. in arce Langenau Sileſiorum de peccato originis. In Dedicatione *Colerus* cauſſas aperit, quæ ipſum moverint ad colloquii huius publicationem, videlicet 1. recrudeſcentiam diſputationis de peccato originis, ſubſtantia ne ſit, an accidens? 2. utilitatem lectionis eiusmodi diſputationum. 3. admonitiones bonorum virorum. Indicat etiam, Illyricum ita ſe declaraſſe, ut ab amantibus pacis hominibus eius ſententia, ſine diſpendio doctrinæ cœleſtis, facile admitti poſſit: non enim illum ſtatuere, peccatum originis eſſe ſubſtantiam, ſed, Hominem corruptum eſſe non ſecundum accidentia tantum, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam. Attamen nec hoc negari poſſe, eum, cum nondum mentem ſuam declaraſſet, ſubſtantiam peccati originis tutatum eſſe. Subiungit autem prudens ac pium monitum, ita nos iuſto Dei iudicio plecti, ſi ultra, quam par ſit, in rebus ſpiritualibus progrediamur, & Spiritum ſanctum, prudentem utique & ſapientem ſacrarum literarum architectum, ratione noſtra metiri, & anguſtiſſimis artium limitibus includere velimus: eum, qui ſimpliciter credat, optime credere.

Diſputatio ſive Colloquium albenſe, per Caſp. HELTVM Claudiopoli 1568. Hæc eſt prima Diſputatio albana habita A. 1566. menſe Martio, de SS. Trinitate, inter Georg. *Blandratam* & Fran. *Davidis*, ab una; & Paſtores ex eccleſia euangelica Hungariæ & Tranſilvaniæ, quorum quaſi os fuit Petr. *Melius*, ab altera parte. Et hoc colloquium inſtitutum fuit auctoritate atque in præſentia Regis Vngariæ ac Principis Tranſilvaniæ, IOANNIS SIGISMVNDI, inque X. continuatum diem. Et *Melius* accuſat adverſarios in Epiſtola ad Caſp. *Heltum*, quod Albæ Iuliæ, diſputationis huius Acta, fraudulenter & doloſe emiſerint; *Heltus* vero omnem

omnem ſe fidem in illis edendis ſervaſſe gloriatur. *Sandius* Biblioth. antitrinit. p.30. 56. & *Lubienitius* Hiſt. reformat. polon. lib. III. c. 11.

Petrus *Melius*, philoſ. magiſter, fuit paſtor debrecienſis & eccleſiarum in Hungaria ſuperintendens. *Lubienicius* p 230.

Caſpar *Heltus*, fuit quondam paſtor eccleſiæ claudio-politanæ.

Colloquium LIPSIENSE A. 1631. habitum, Hagæ-Comitis 1656. Inter præcipuos aliquot lutheranos & reformatos theologos, de tollendis Eccleſiarum euangelicarum diſſidiis. Illi fuerunt Matth. *Hoë*, Polyc. *Lyſer*, Henr. *Hæpfner*; hi Io. *Bergius*, Io. *Crocius*, Theoph. *Neuberger*. Adduntur 1) Decretum *Ordinum euangelicorum* ſuper eodem Colloquio, Francofurti factum. 2) Io. *Matthia*, epiſcopi ſtregnenſis, ad Regem Sueciæ Litteræ, quibus conſilia concordiæ eccleſiaſticæ, hoc tempore inter Euangelicos promovendæ, enixe ei commendat. 3) *Eccleſiarum gallo-belgicarum Fœderati Belgii* Iudicium de Io. *Durai* Irenico. Exſtat hoc colloquium etiam in addendis Primæ partis Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Tim. *Geſſelii* pag. 597. item in Prodromo irenic. tractatuum *Durai* p. 90. nec non in Fr. Vlr. *Calixti* Via ad pacem p. 17. idque privatum quidem fuit, teſtibus *Hoornbeeckio* in Diſſert. de conſociat. euang. Reform. & A. C. p. 7. & Tob. *Wagnero* Inquiſit. p. 5. at poſtea tamen adprobatum ab aliis Reformatis, ſicut memoriæ produnt *Strimeſius* in Append. IV. p. 36. & auctor *Præfat.* in Burnetii tractatum n. 13. Ceterum de hoc colloquio vide vener. abbatis *Schmidtii* Continuat. Introduct. Sagittar. in hiſtoriam eccleſ. p. 1588. *Sociniani* cuiusdam Brevem relationem de lipſienſi A. 1631. tentata religionum concordia, cuius *Sandius* meminit Biblioth. antitrinitar. p. 176. & *Kromayerum* in LL. antiſyncretiſt. ſcribere non verentem: *Si conſenſus & diſſenſus collocutorum penitius introſpiciatur, quod una manu porrectum fuit, altera ſubtractum deprehendi. --- exinde quoque controverſiarum guarum circumventionum & ambiguitatum guſtum aliquem facere poſſe, reſervationesque mentales & ambiguas locutiones Reformatorum brevi poſt eventum docuiſſe, cum Io.* Bergius, *collocutorum unus, ſcriptum virulentiſſimum de cœna* (Quod verba Chriſti adhuc ſtent firmiter) A. 1632. *in lucem emiſerit.*

Colloquium HAEMELSBVRGENSE. 1657. & Helm-

ſtadii 1665. Habitum A. 1614. propridie Kal. Septembr. inſtinctu Ludolphi *a Klencke*, hereditarii in Hæmelsburg, inter P. Auguſtinum *Turrianum*, Soc. Ieſu, & M. Georg. *Calixtum*, a Cornelio Martini, cum ipſum domo abeſſe valetudo prohiberet, miſſum. Cum enim filius *Klenckii* ex aſſidua Bellarmini lectione in partes Pontificiorum propenderet, neque monitis parentum locum daret, tandem inter patrem ac filium convenit, ut colloquium de religione inſtitueretur, alterque diſſentientium illi accederet, quæ victoriam reportaverit. Quamquam vero Colloquium hoc, in quo de primo religionis orthodoxæ & catholicæ principio & ſufficientia S. ſcripturæ diſputatum eſt, abruptum potius ſit, quam finitum, iunior tamen *Klenckius* in caſtra Pontificiorum poſtea abiit, ſpemque genitoris ſui deluſit. *Schmidt* Continuat. Introduct. Sagittar. in hiſt. eccl. p. 1581. *Nihuſius* Excitabuli (des weckers) p. 63. & Ger. *Titius* in Laudatione funebri D. Georg. *Calixti*, B 3.

XLIII.

Colloquii MAVLBRVNNENSIS Protocoll, Protocollum ſive Acta. Heidelbergæ 1565. Cum *Wirtenbergenſium* Relatione de illo colloquio, & *Palatinorum* refutatione. In qua hi illos accuſant, quod in Relatione non egerint bona fide, ſed quædam transpoſuerint, non nulla demſerint, alia addiderint, adverſæ partis dicta obſcuraverint, ſua vero ipſorum incruſtare, & ſpecioſa reddere ſtuduerint.

Adami TANNERI Bericht, Relatio de diſputatione ſive colloquio ratisbonenſi. Monachii 1602. Etiam latine, eodem anno. Colloquium hoc habitum fuit Ratisbonæ in curia A. 1601. auctoritate & in præſentia ſereniſſimorum Rheni Comitum & Ducum Bavariæ, Maximiliani, & Phil. Ludovici, inter Alb. *Hungerum*, & Iac. *Gretſerum*, a parte Romano-catholicorum, cui etiam acceſſit *Tannerus*; & Iac. *Heilbrunnerum*, atque Aeg. *Hunnium*, a parte Proteſtantium. Diſputatum vero eſt de S. ſcriptura, an illa ſit unica norma, ſecundum quam omnes controverſiæ fidei, religionis & ſacrorum iudicandæ ac decidendæ? Hæc relatio habet III. partes, quarum prima agitur de initio diſputationis; ſecunda de argumentis Romano-catholicorum, & Proteſtantium ad ea reſponſionibus; tertia de fine ſeu potius abruptione diſputationis. Eodem anno prodierunt Acta ſive Protocollum eius, quod ſecuta ſunt

ſunt ſcripta polemica: nam *Hunnius* inſtituit Examen Præfationis, & Relationi oppoſuit Anitannerum, quem *Tannerus* excepit Apologetico. *Hunnius* etiam ſcripſit Relationem hiſtoricam de ratisbonenſi colloquio, inque eius initio monuit, germanicum ſcriptum Magdeburgi editum, cum titulo, *Bericht von dem regenſpurgiſchen colloquio*, nec ſibi probari, nec ſuum eſſe fœtum. *Schmidt*, Continuat. Introd. Sagittar. p. 1569.

Adam *Tanner*, oenipontanus, S. I. primum hebrææ linguæ in univerſitate ingolſtadienſi, deinde theologiæ ſcholaſticæ & moralis profeſſor monachienſis, tum theol. doctor & profeſſor viennenſis, poſtremo cancellarius academiæ pragenſis, multa ſcripſit, partim latine, partim germanice, & quidem de Verbo Dei ſcripto & non ſcripto, de Iuſtificatione contra *Heilbrunnerum*, Labyrinthum critico-*hunnianum*, Lutheranum, ſeu Anatomiam confeſſionis auguſtanæ, Antichriſtum X. præſcriptionibus præſcriptum, Apologiam contra Monita privata Societatis Ieſu, Theologiam ſcholaſticam, Anti-*Mylium*, Orationes apologeticas pro Io. *Trithemio*, & alia, vitæque & pugnarum finem fecit anno 1632. ætatis 60. *Alegambe* Biblioth. ſcriptor. ieſuit. p. 4. *Witte* Diar. biograph. E e 2. *Baillet* in Anti P. I. 249.

XLIV.

Diſputatio VINARIENSIS inter Matth. *Flacium* & Victorinum *Strigelium*. 1563. De originali peccato & libero arbitrio, publice habita A. 1560. præſentibus celſiſſimis Saxoniæ Principibus. Simon *Muſaus*, qui *Flacio* conſentiebat, Præfationis ſeu Dedicationis hic præmiſſæ auctor eſt, in eaque diſputationis huius utilitatem, & editionis cauſſas exponit. Adduntur & alia Diſputationi, partim ante quoque edita, partim nunc primum in lucem prodeuntia: 1) Sim. *Muſæi* & Matth. *Flacii* ad Principem Supplicatio. 2) *Flacii* de originali peccato & libero arbitrio Liber. 3) *Flacii* Diſputatio de originali peccato & libero arbitrio, contra Pontificios erumque colluſores, publice in ſchola ienenſi biduo tractata. 4) Quod homo ſit corruptus ac mutatus in primo lapſu, non tantum in accidentibus, ſed etiam in ſubſtantia. 5) De coactione hominis aut liberi arbitrii. 6) Quod *Strigelius* ſynergiam docuerit & aſſeruerit. 7) Quod eiusdem doctrina de ſynergia conveniat cum Pelagianis & Papiſtis. 8) *Roſtochienſium* Iudicium de con-

Digitized by Google

controverſia inter *Flacium* & *Strigelium*. 9) Epiſtola *Flacii* ad conſiliarios Principis Saxoniæ, qua probat, ſe tantum ob ſtudium veritatis, & nullos privatos affectus, cum Strigelio pugnare. 10) Alia *ejusdem* ad Principem, qua monſtrare ſtudet, ad transactionem cum Strigelio neceſſariam eſſe revocationem.

Acta colloquii MOMPELGARTENSIS. Tubingæ 1587. & Wittebergæ 1605. Habitum illud fuit anno 1586. inter D. Iacobum *Andreæ*, & Theodorum *Bezam*, præſente, & quædam ſua etiam manu excipiente Principe wirtembergico Friderico, cum Regis Galliarum HEINRICI IV. legatus, Baro a Cleroan, occaſionem ad hanc collationem dediſſet. Diſputatum autem eſt de cœna Domini, perſona Chriſti, communicatione idiomatum, prædeſtinatione, imaginibus, & baptiſmo. Ac Princeps in Præfatione teſtatur, in Actorum collectione nihil omnino, vel inſertum, vel ademtum eſſe, in quo cardo controverſiæ verteretur. *Schmidt* l. c. p. 1560.

Colloquium RATISBONENSE A. 1601. Lauingæ 1602. Hoc eſt ipſum Protocollum ex authentico, ut titulus fert, ab utriusque partis conſtitutis Reviſoribus & Notariis ſubſcripto & obſignato exemplari. De colloquio hoc ſupra diximus p. 122.

XLV.

MAVLBRVNNENSIS colloquii, A. 1564. habiti, Protocollum, Tubingæ 1565 Opponitur hoc Palatinorum Protocollo, Heidelbergæ edito, de quo ſupra, p. 125. idque accuſatur malæ fidei, & quod Palatini in ſuas id partes traxerint, ſeque ita in illo traduxerint, ut famam ſuam vindicare, & calumnias removere cogantur. Suum autem hoc Protocollum conſonare cum originali, nec vel addendo, vel truncando aliquid vitii contraxiſſe.

Conſenſus SENDOMIRIENSIS. Ambergæ 1605. Ex latino in germanicum translatus, initusque inter Euangelicos regni Poloniæ, nec non magni Ducatus Lithuaniæ & Samagitiæ, h. e. Reformatos cum Fratribus bohemis & Lutheranos A. 1570. in Synodo ſendomirienſi, in eo conſiſtens, quod Reformati ac Fratres bohemi confitentur, in myſterio S. cœnæ duas eſſe res, terrenam & cœleſtem, elementa, ſive panem & vinum, non eſſe nuda & va-

cua

cua ſigna, ſed re vera, ſimul ipſo actu, fidelibus id offerre per fidem, quod ſignificant, ſive eſſentialem Chriſti præſentiam non ſolum ſignificari, ſed corpus & ſanginem Domini communicantibus in S. cœna vere præſentari, ac diſtribui; ideoque ſe recipere articulum Confeſſionis Saxonicarum eccleſiarum, A. 1551. ad Concilium tridentinum miſſæ, qui agit de S. cœna. Vtrinque etiam ſtipulati ſunt, ſe alterius partis Confeſſionem agnoſcere pro orthodoxa, omnibus controverſiis, litibus ac ſectis, quæ huc uſque inter ipſos viguerint, valedicere, e contrario pacem fraternam culturos, ac cives & fratres ſuos ad receptionem huius Conſenſus admonituros, ritus ac cærimonias cuiusvis eccleſiæ liberas relicturos, ad Synodos generales utriuscunque partis comparituros, ex variis Confeſſionibus Compendium corporis doctrinæ formaturos, pacem iam factam bona fide conſervaturos, & omnia ad gloriam Ieſu Chriſti relaturos, eiusque euangelii veritatem verbis & opere, quantum in ipſis ſit, promoturos eſſe. Atque hic Conſenſus confirmatus poſtea fuit in conventu poſnanienſi A. 1570. cracovienſi A. 1573. petricovienſi A. 1578. wlodislavienſi A. 1583. & thorunienſi A. 1595. Vide autem de Conſenſu ſendomirienſi *Wagnerum* Disquiſit. in Acta henotica p. 3. I. A. *Schmidtium* in Continuat. Introduct. Sagittar. p. 1544. & Partem III. Hiſtor. noſtræ biblioth. p. 376. Tandem adiunguntur Magnatum & miniſtrorum eccleſiæ polonicorum Litteræ ad LVDOVICVM Electorem palatinum, in quibus Synodum petunt ad ſopiendas in Proteſtantium eccleſiis lites ac diſcordias, eiusque reſponſoria.

ANHALTINORVM theologorum Wahrhaftige relation, Vera relatio de colloquio HERZBERGICO. Serveſtæ 1595. Habitum illud eſt A. 1578. inter theologos electorales Saxonicos & Brandenburgicos ab una, & Anhaltinos ab altera parte de ſubſcriptione libri Concordiæ bergenſis. Illi erant Iac. *Andreæ*, & Nic. *Selneccer*; iſti Andr. *Muſculus*, Chriſtoph. *Cornerus*, cum Mart. *Chemnitio*, miſſo a Duce Brunſv. ac Luneb. hi Wolfg. *Amlingius*, & Pet. *Haringus*. Atque hi quidem IX. rationes Principi ſui propoſuerunt, cur libro illi non poſſent ſubſcribere: ſuper quibus deinde diſputatum eſt. Relationem hanc opponunt illi editioni Protocolli & actorum huius Colloquii, quam D. Io. *Olearius*, theologus halenſis curaverat, accuſantes eum, quod privata aucto-

ritate, nec bona illud fide vulgaverit. De colloquio hoc videatur *Schmidt* l. c. p. 1555.

Summariſche erzehlung, Summaria relatio de colloquio ROSTOCHIENSI. 1587. De S. cœna, inter D. Luc. *Bacmeiſterum*, M. Val. *Schechtium*, D. *Graſſum* ICtum, & D. Sim. *Pauli* ab una, ac Chriſtophorum *Stendelium*, ſtudioſum, Quizovia-priegnizianum, ab altera parte. In quo ſtudioſus Reformatorum ſententiam tuetur contra plurimas *Bacmeiſteri* oppoſitiones, Schechtio parum loquente. Prius editum hoc Colloquium fuerat idiomate latino.

Lucas *Bacmeiſter*, luneburgenſis, Lucæ *Losſii*, Io. *Æpini*, *Winshemiorum* & Phil. *Melanchthonis* diſcipulus, ab informatione filii Regis Daniæ Wittebergam reverſus, atque a theologia ad iuris ſtudium tranſiens, ſed & inde iterum ad theologiam, primum egit concionatorem aulicum Coldingæ apud Regis Daniæ filiam, deinde, cum aulicos libertate ſua, quamvis iuſta, offendiſſet, paſtorem & profeſſorem roſtochienſem, in ſchola & eccleſia plerosque utriusque fœderis libros expoſuit, eccleſias & ſcholas auſtriacas, ad requiſitionem illorum Ordinum, viſitavit, recteque conſtituit, peculiarem confecit de modo concionandi commentarium, Typorum V. T. enarrationem, Theſes de ſacramentis, quibus a Zach. *Urſino* oppoſitæ ſunt Notæ, atque ad Dominum migravit A. 1608. ætatis 78. Melch. *Adamus* in Vitis theologor. pag. 783. A *Quenſtedio* in Patriis viror. illuſtr. p. 204. *Bacmeiſterus* noſter vocatur vir multæ eruditionis, pietatis, & modeſtiæ.

Iac. HEILBRUNNERI Colloquium NEUBURGENSE. Ulmæ 1616. Germanice. Habitum Neuburgi ad Danubium A. 1615. inter Iac. *Heilbrunnerum* & Iac. *Kellerum* ieſuitam, de aliquibus allegatis Patrum, & hiſtoricis aſſertionibus antiquorum Doctorum in doctrina de antichriſto, quod is ſit romanus pontifex, prout illa in libro Bacmeiſteri, qui inſcribitur Acatholicus, proponitur: & hæc editio illi oppoſita eſt Protocollo, quod *Kellerus* Ingolſtadii publicavit A. 1615. cuique Inſtructionem præmiſit, & Gloſſas addidit marginales. Heilbrunnerus igitur hic refutat *Kelleri* Inſtitutionem, Acta primæ & ſecundæ ſeſſionis tradit, ad reſiduas obiectiones Kellerianas reſpondet, modum & cauſſas abrupti colloquii exponit, & Appendicem ſubnectit contra Iac. *Gretſerum*. *Schmidt* in

Con-

Continuat. Introd. Sagittar. 1581. In lucem quoque emiſſa ſunt ſequentia ſcripta, ad rem præſentem pertinentia: Severi *Echteri* ſummaria relatio de colloquio neuburgico, A. 1615. Cleophæ *Diſtelmayeri* Duæ dodecades craſſorum falſorum *Heilbrunneri*, ſive finalis refutatio colloquii neuburgici, ab ipſo editi.

Iac. *Heilbrunner*, Eberdinga-wurtenbergicus, *Schegkii* & *Planeri* in philoſophicis, Iac. autem *Andreæ*, *Heerbrandi* & *Schnepfii* in theologicis diſcipulus, S. theol. doctor, primum concionator aulicus Neuburgi, deinde, cum Princeps religionem mutaſſet, conſiliarius eccleſiaſticus & generalis ſuperintendens wurtenbergicus, nec non abbas bebenhuſanus, vir, *Thummii* iudicio, ſi theologiæ ſpectemus cognitionem, in omnibus tam felicis, tam exacti, tam exquiſiti iudicii & dexteritatis, ut nihil ſupra, multa ſcripſit latine & germanice: eius enim ſunt Schwenckfeldio-*calviniſmus*, Dæmoniomania *Piſtoriana*, Anti-*Tannerus*, Carnificina eſauitica contra Iac. *Gretſerum*, Duplica contra *Ficklerum* de conciliis, fide catholica & vocatione B. Mariæ, Refutatio Inſtructionis Zach. *Vrſini* de S. cœna, Apologia contra Sam. *Huberum*, Acatholicus papatus, & Vlterior manifeſtatio acatholici papatus, adverſus Iac. *Kelleri* Papatum catholicum, quo hic ipſum refutatum iverat, atque in muneris ſui adminiſtratione avocatus eſt a Domino ſuo ac noſtro: nam de beatitudine æterna in feſto Omnium Sanctorum dicturus, atque iam confidens, ac pro more ſuo precationem ad Deum fundens, apoplexia correptus eſt, & brevi poſt exſpiravit. *Witte* Memor. theol. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuevor. 31. *Nibuſius* Apologet. 196. & *Parrheſiander* 400.

Iacobus *Keller*, Seckinga-rauracus, Soc. Ieſu, primum politioris litteraturæ, tum philoſophiæ, ac demum theologiæ, tam moralis, quam ſcholaſticæ profeſſor, poſtremoque Collegii ratisbonenſis ac monacenſis rector, reliquit Papatum catholicum, *Heilbrunneri* Papatui acatholico oppoſitum, & Compendium eiusdem operis, Agoniam ſeu ſudorem mortalem *Heilbrunneri*, Tyrannicidium ſeu Scitum catholicum de tyranni internecione contra Miniſtrum *calvinianum*, ſub fictitio Iacobi *Sylvani* nomine Philippicam, contra anonymum quendam Prædicantem, pro defenſione Societatis Ieſu, & Faſciculum olidum L. floſculorum, ſive abſurdita-

ditatum Prædicantium in colloquio ratisbonenſi A. 1601. habito, & alia, obiitque A. 1631. ætatis 63. *Alegambe* p. 203. *Witte* Diar. biograph. D d. *Placcius* de pſeudon. 578.

XLVI.

De eloquentia eccleſiaſtica aliquot Opuſcula, latine & italice conſcripta, ad ſacras conciones & compoſitiones reliquas neceſſaria. Venetiis 1644. Suntque 1) Queſtioni di Monſignor Panigarola, Quæſtiones Fran. PANICAROLAE circa elocutionem & ornamentum orationum ſacrarum italicarum. 2) BEDAE presbyteri (de quo diximus P. III. 497) de tropis S. ſcripturæ liber. 3) Eiusdem Liber de ſchematis Scripturæ. 4) Aurelii AVGVSTINI de Rhetorica eccleſiaſtica liber, qui eſt IVtus de Doctrina chriſtiana, laudatus a *Giberto* Tomo II. Iudicior. de ſcriptorib. rhetoricis. 5) Laurentii *a* VILLAVICENTIO de formandis ſacris concionibus Libri III. Quos egregios vocat, deque meliore nota commendandos iudicat *Gibertus* l. c. 6) Eiusdem PANICAROLAE Modo di comporre una predica, Modus componendi concionem, ſive ſermonem eccleſiaſticum. Qui quidem eſt breviculus, eo tamen præſtantior, quo maiorem inter omnes oratores ſacros, quos diſerta Italia unquam habuit, famam & æſtimationem conſecutus eſt auctor eius.

Fran. *Panicarola*, mediolanenſis, nobili genere natus, ordinis S. Franciſci, ingenio, induſtria, ſtudioque, & memoria præſtans, tanta dicendi gloria præ ceteris floruit, ut ex tota Italia ad eum concurſus fieret, & publice a Civitatibus ad rom. Pontificem oratores ad eum poſtulandum mitterentur. Genus orationis liquidum, fuſum, profluens, nuſquam inſiſtens, ſed magna ex parte calamiſtris inuſtum, ac quæſito colore illitum, tum prædulcium ſententiarum floſculis aſperſum, licentius ſe efferebat, quam divinarum rerum, quarum interpres erat, ſanctitas poſceret. In proœmiis vero, tanquam non modo liceret, verum etiam neceſſe eſſet, omnis oratoria ſupellex palam exponebatur. In eis paria paribus relata, & ſimiliter concluſa, eodemque pacto cadentia, denique omnis elaborata concinnitas manifeſto ad aucupium aurium quæſita deprehendebatur: quæ omnia vulgi plauſu & clamoribus excipiebantur; ſed doctis & cordatis viris, ut *Erythræus* Pinacoth.

Digitized by Google

nacoth. lib. I. 82. refert, non probabantur. Aetate autem provectus, & aſtenſis epiſcopus factus, magna ex parte mutavit rationem dicendi, ſuaque ab oratione cincinnulis fucoque detractis, genus illud dicendi aſſumſit, quod auctoritatis haberet magis, & muneri, quod gerebat, aptius eſſe videretur. Multa, immo plurima ſcripſit, e quibus ſunt Concionum volumina, Liber adverſus *Calvinum*, & Commentatio in *Demetrium Phalereum*, frequentique edulio, quo ſe largius implebat, immaturam ſibi mortem contraxit: mortuus enim eſt anno 1594. ætatis 46. *Kœnig* 604. *Sauſſay* Continuat. libri Bellarmin. de Scriptorib. eccleſ. p. 50. *Morhof* Polyhiſt. lib. VI. c. 4. p. 289. 291. A *Giberto* vocatur orator eminentiſſimus.

Laurentius *de Villavicentio*, xerezanus hiſpanus, ordinis Eremitarum S. Auguſtini, S. theol. D. & profeſſor lovanienſis, poſtea PHILIPPI II. Hiſpan. Regis concionator, claruit A. 1581. atque inter alia dedit Tabulas compendioſas, itemque Conciones in Evangelia & Epiſtolas. *Antonius* Biblioth. ſcript. hiſp. T. II. 9. *Kœnig* 846. & *Lexicon univ. hiſt.* P. IV. 626. Sed doctis annumerandus eſt impoſtoribus, ſeu impudentibus plagiariis, quippe qui nullus dubitavit Andreæ *Hyperio* non tantum libros III. de formandis concionibus, ſed etiam librum de ratione ſtudii theologici ſurripere, & ſuum iis nomen præfigere; ſicut notarunt *Hottinger* Bibliothecar. p. 73. *Placcius* de pſeudon. 608. *Morhof* Polyh. l. VI. c. 4. p. 291. *Crenius* Animadverſ. T. II. 3. & de furib. librar. 239. *Boineburg*. Epp. ad Dietericum p. 166. & *Du Pin* T. XVI. de la Nouvelle bibliotheque (in Tomo IV. Supplem. Actor. erudit. p. 454.)

PROTOCOLL, Protocollum, ſive Acta Colloquii palatinorum cum Anabaptiſtis. Heidelbergæ 1571. Quod etiam in linguam inferioris Germaniæ translatum eſt, ſub rubro, Geſpreck to Franckenthal in der Churfœrſtelicken Palz mit den Wederdœpers. 1571. 4. Collocutores a parte Palatinorum erant *Verſtegus*, *Dathenus*, *Colonius*, Fran. *Moſellanus*, Engelb. *Faber*, *Eubuleus* & *Gebinger*; a parte Anabaptiſtarum, *Winter*, *Biſch*, *Buchel*, *Diebold*, *Rauff*, *Habermann*, *Scherer*, *Walther*, *Meyer*, *Frederer*, *Sattler*, *Sommerer*, *Rannich*, *Ioſſelin*, *Greicker*, *Hutt*, *Summer*. Conferebant autem de ſcriptura S. Deo, Chriſto, peccato originis, eccleſia, iuſtificatione,

reſur-

reſurrectione carnis, coniugio, communione bonorum, Magiſtratu politico, iure iurando, baptiſmo & S. cœna.

Die Evangeliſche Kirchen-Agenda, Euangelica AGENDA ECCLESIASTICA ſuperioris Luſatiæ, in linguam wendicam traducta. Budiſſinæ 1696. Primum illa præſcripta ſunt a Iuſto *Iona*, Georg. *Spalatino*, Caſp. *Crucigero*, Frid. *Myconio*, Iuſto *Menio* & Io. *Webero*, deinde correcta ex Electoris AVGVSTI Ordinatione eccleſiaſtica, denique ſuppleta ex Io. *Schraderi* Formulari eccleſiaſtico.

XLVII.

Baſilii *de* VARNA Analyſis dialectica Colloquii ratisbonenſis, A. 1601. de norma & iudice omnium controverſiarum fidei chriſtianæ habiti. Cum collatione Relationis Adami *Tanneri*, & Reſponſi Iac. *Gretſeri* ad Theſes Æg. *Hunnii* de colloquio ineundo. Francofurti 1631. Opus hoc II. comprehenditur Partibus, in quarum priore oſtenditur, Pontificios, Euangelicis formam dialecticam obiicientes, formam veram minime obſervaſſe, ſed turpiſſime violaſſe, longeque peiores Sophiſtis platonicis & iudaicis tandem iuſto Dei iudicio cauſſam perdidiſſe; in poſteriore de theſibus agitur Ieſuitarum, earumque defenſione, Seſſionibus ſex poſterioribus, nempe 9. 10. 11. 12. 13. & 14, inſtituta. Baſilius autem de Varna creditur eſſe Andr. *Libavius*. Vide *Placcium* de pſeudonymis p. 106. & *Præfationem* Gretſeri triumphati. Quid? ipſe *Libavius* nomen ſuum exprimit in fine utriusque Partis, poſt Indices.

Andr. *Libavius*, Hala-ſaxo, philoſ. ac medicinæ doctor, in academia ienenſi hiſtoriæ & poëſeos profeſſor, deinde Rotenburgi ad Tubarum gymnaſiarcha & poliater, tandemque primus Gymnaſii caſimiriani, quod Coburgi eſt, director, omnes iſtas ſpartas egregie ornavit: erat enim hiſtoricus, poëta, orator, phyſicus & medicus præſtantiſſimus. Poſteritati reliquit ſcripta quædam chemica, & unum ex iis contra *Riolanum*, Commentationes metallicas, Artem probandi mineralia, Librum de analogia Philoſophorum, contra *Goclenium*, de impoſtura unguenti armarii, deque univerſitate & origine rerum, Qq. phyſicas, controverſas inter *Peripateticos* & *Ramaos*, ac Defenſionem pro Ariſto-

Digitized by Google

riſtotele adverſus *Ramiſtas*, vitamque pia morte finiit anno 1616. *Witte* Diar. biograph. N. 3. & *Zeumer* in Vitis philoſophor. ienenſium p. 51.

Georgii ZEÆMANNI Theologica & ſcholaſtica tractatio de Colloquio ratisbonenſi. Witebergæ 1603. In qua Relationis & Notationum D. Æg. *Hunnii* veritas, Examinis vero *Tanneriani*, Notarumque *anonymi* cuiusdam papicolæ vanitas demonſtratur. Ad hanc Confutationem Examinis Relationis hunnianæ, a Tannero editi, *Hunnius*, quemadmodum ipſe in Præfatione huius tractatus teſtatur, Zeæmannum hortatus eſt, atque hic operam illam, Hunnii iudicio, præſtitit laudabiliter atque feliciter.

Georgius *Zeæmannus*, natus Hornbachii in Ducatu bipontino, Phil. *Heilbronneri*, & poſt laudabiliter impetratum Magiſterii in Philoſophia honorem (neque enim tunc inſidebat in animis ſtudioſorum faſtuoſa & ſtulta opinio, philoſophiæ magiſtris nefas eſſe collegia, ſive publica, ſive privata, frequentare theologica) *Hunnii*, *Hutteri*, *Geſneri* & *Rungii* diſcipulus, tanti ab ipſis amatus & æſtimatus, ut eum frequentiſſime ad diſputationes invitarent, & *Hunnius* comitem itineris ad Colloquium ratisbonenſe adſciſceret, notariique in eo partes obire ſineret, primum theologiæ profeſſor in Gymnaſio lauingiano, deinde, cum diu ante doctor renunciatus eſſet, paſtor primarius campidonenſis, ad extremum, poſt liberationem e carcere plus quam annuo, ephorus ſtralſundenſis, multas cum Pontificiis, atque in primis cum Ieſuitis *Gretſero*, *Kellero*, *Grafio*, *Bidermanno*, (eius enim ſunt Ieſuita revapulans, ſeu Refutatio Apologetici de flagellatione *Gretſeriani*, Athleta larvatus ſeu ſtramenticius, id eſt, Pſeudathleticæ *Gretſeriana* contuſio, Gretſerus triumphatus, ſeu Defenſio illius Refutationis, Conciones de magno antichriſto, Novum ſpeculum miraculoſum contra miracula & peregrinationes Pontificiorum, eiusque Apologia Eliæ *Grafio* & Iac. *Bidermanno* oppoſita) & Calvinianis pugnas inivit, Commentarium dedit in Epiſtolas Pauli ad Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, & Theſſalonicenſes, totumque N. Ttum Commentario illuſtrare voluiſſet, niſi præmatura impeditus fuiſſet morte: hæc namque eum oppreſſit anno 1638. cum annos ætatis expleviſſet 58. *Witte* Memor. theologor. p. 447.

p. 447. *Theologi ſaxonici* pro liberatione D. Krumbholzii p. 54. 56. *Arnold* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. I. 445. & P. IV. 465. Magnum laudum eius cumulum complexus eſt *Thummius*, quando in laudatione Iac. Heilbrunneri, ſoceri eius, apud Wittium in Memor. theologor. p. 135. fidenter pronunciat, *virum eſſe non virtutis tantum & innocentiæ, ſed ſumma eruditionis nomine valde commendandum, & in veſtigia ſoceri natum factumque.*

XLIIX.

Gewiſſens-frage, Caſus conſcientiæ, An quis defunctæ uxoris ſororem, ſine violatione divinæ & naturalis legis ducere poſſit? Francofurti & Lipſiæ 1682. Ventilatus Oettingæ in Colloquio VI. Politicorum, totidemque Theologorum A. 1681. d. 10. Octobr. Cui acceſſerunt varia cum indigenarum, tum exterorum iudicia. Et omnia quidem collegit, in ordinem redegit, ediditque Iac. Bernh. MVLZ. Suntque XX. ſcripta, quæ hic continentur, nominibus auctorum ſuppreſſis. Sed quis non aveat illa ſcire? Agedum, amice Lector, placet nobis eſſe liberales, & tradere tibi clavem, quam non facile aliunde accepturus eſſes. Audi. I. eſt Io. Bernh. *Mulzii.* II. Benedicti *Bockii*, generalis ſuperintendentis œttingenſis. III. *Mulzii.* IV. *Bockii.* V. *Mulzii.* VI. *Bockii.* VII. & IIX. *Mulzii.* IX. Io. Georg. *Holli*, paſtoris aufhuſani in Principatu œttingenſi. X. M. Davidis *Nerreteri*, illo tempore diaconi eccleſiæ œttingenſis. XI. Acta colloquii œttingenſis, (in quo IIX. exſtant vota, quorum primum eſt D. Laurent. *Rhemi*, conſiliarii intimi œttingenſis; ſecundum *Bockii*; tertium Io. Henr. *Gœlnitzii*, conſiliarii aulici; quartum Io. *Narzii*, conſiſtorialis, & ſuperintendentis apenhofenſis; quintum Iac. Eberh. *Heberlini*, conſiliarii aulici; ſextum Georgii *Ruef*, ſuperintendentis harburgenſis; ſeptimum D. Io. El. *Keleri*, conſiliarii aulici; octavum Io. Chriſtoph. *Zilgeri*, ſuperintendentis trochtelfingenſis; nonum D. Ægid. Adami *Zeuckii*, conſiliarii aulici; decimum D. Io. Wolfg. *Heinoldi*, concionatoris aulici; undecimum *Nerreteri*; duodecimum *Mulzii*) XII. Facultatis theologicæ *regiomontanæ*, auctore Melch. *Zeidlero*; quod plenius exſtat in eiusdem Tractatu de polygamia. XIII. Facultatis theol. *helmſtadienſis.* XIV. Facultatis theolog. *altorfinæ*, me tunc temporis decano, & auctore. XV. Georg. Phil.

Phil. *Fabricii*, conſiliarii & legati œttingenſis. XVI. Chriſtoph. Gottlieb *Dilherri*, conſiliarii Reipubl. noribergenſis. XVII. Dan. *Wülferi*, paſtoris ac profeſſoris noribergenſis. XIIX. Mart. *Beerii*, paſtoris & profeſſoris noribergenſis. XIX. Io. *Sauberti*, doctoris, profeſſoris atque antiſtitis altorfini. XX. M. Conradi *Feuerlini*, paſtoris ad D. Mariæ in civitate noribergenſi. XXI. Andreæ *Muhldorferi*, qui poſtea dici voluit *Myldorf*, paſtoris in eadem ægidiani. XX. Io. Henr. *Herbii*, paſtoris windshemienſis.

Iac. Bernh. *Mulz*, ab Ober-Schœnfeld, noribergenſis, ſereniſſimi Principis œttingenſis conſiliarius intimus & primus Status miniſter, ac poſtea S. rom. Imperii conſiliarius aulicus, edidit Diſſertationem de libertate omnimoda, quatenus ea cumprimis Germaniæ competit, contra *Auberinon*, A. 1668. & Repræſentationem Maieſtatis imperatoriæ, A. 1690. obiitque Viennæ in Auſtria A. 1713. ſenex annorum 76. *Sarckmaſius* in Continuat. iudiciorum p. 38. *Bilderbeck* Biblioth. Iuris publ. german. 39. & *Zſchackwiz* Introduct. in Ius publ. 57.

Hieron. BRUCKNERI Deciſiones iuris matrimonialis controverſi. Francofurti & Lipſiæ 1692. iterum editæ Gothæ 1705. Quibus tam ea, quæ per proximos XXX. & amplius annos de cauſis matrimonialibus inter eruditos variis ſcriptis in utramque partem diſputata ſunt, quam aliæ communiter receptæ opiniones & ſententiæ, ſecundum normam Scripturæ ſacræ, principia Iuris naturalis & poſitivi, atque Regum, Electorum, Principum & Statuum euangelicorum Conſtitutiones matrimoniales, examinantur, deciduntur, & Lectorum quorumvis iudicio ſubmittuntur. Conſtat hoc opus II. Partibus, in quarum priore, poſt Prooemium de differentia legum, agitur de ſponſalibus, computatione graduum, gradibus prohibitis, & diſpenſatione circa eos, coniugio eunuchi & hermaphroditi, atque polygamia ſimultanea & ſucceſſiva; poſteriore de variis divortiorum cauſis, ſeparatione ad thorum & menſam, prohibitione matrimoniali pœnali, concurſu matrimoniorum, copula ſacerdotali, legitimatione, & matrimonio putativo. In Præfatione auctor occaſionem huius ſcripti enarrat, & tertiam eius Partem promittit; ſed quæ non eſt ſecuta. Vide *Acta erudit.* A. 1692. 255. Notandum autem, ſicut hic li-

ber multa præclara habet, ita illuſtrem *Thomaſium* in ſcriptis parvis german. p. 340. b. & in Cautelis circa præcognita iurisprudentiæ eccleſiaſticæ p. 302. obſervare, multa ei infarta eſſe præiudicia, & hic illic retentas reliquias papatus ſatis craſſas.

Hieron. *Bruckner*, erfurtenſis, ad pietatem a teneris unguiculis informatus, *Schraderi*, *Conringii*, *Eiſebelii*, *Binii*, & *Werneri diſcipulus*, viſis pluribus Germaniæ urbibus, Hollandia, Londino, Brabantia, Flandria, Helvetia, & Aurelia Allebrogum, ac poſtea Dania Sueciaque, I. V. D. & conſiliarius aulicus & conſiſtorialis, primum Saxo-meinungenſis, deinde Saxo-gothanus, diſtinguendus a patre & avo eiusdem nominis, quorum ille erat conſiliarius ſaxonicus & primo ſyndicus, deinde conſul apud Erfurtenſes primarius, hic Erneſti Pii Principis gothani conſiliarius aulicus, laudatur a Caſp. *Sagittario* Præfat. in Antiqq. thuring. b 2. quod non tantum iurium, ſed aliarum quoque amœnarum ſcientiarum, atque in his hiſtoriæ, in primis thuringicæ, bene peritus fuerit, atque a *Schmidio* in Comment. de vita Caſp. Sagittarii p. 87. vir dicitur ſingulari & exquiſita doctrina præditus, nec ipſe eius frater, *Guil. Hieronymus*, anteceſſor ienenſis celeberrimus, diffiteri poteſt, theologicis pariter & iuridicis, itemque hiſtoricis ſcriptis clarum adeptum eſſe nomen, & inter iuridica celebrari Notas ad *Schutzii* Manuale pacificum, ſub nomine Heydeni *Borromæi*, Ricrunti, nec non Tractatum huc uſque ineditum de polygamia Chriſtianis ſub certis conditionibus licita. Tandem obiit A. 1693. ætatis 54. Vide *Sagittarium* Hiſtor. gothan. p. 285. Bruckneri noſtri *fratrem* Præfat. in *Lipenii* Biblioth. iuridicam, & *Placcium* de pſeudon. 138.

XLIX.

Io. Henr. FEVSTKINGII Hiſtoria colloquii ieverenſis, cum ipſius colloquii Actis. Serveſtæ 1707. Habitum fuit hoc Colloquium inter Lutheranos & Reformatos A. 1576. Et in eius Hiſtoria quidem tractatur capite I. de colloquii auctore. II. de occaſione & cauſſa inſtituti colloquii. III. de loco, ubi colloquium habitum, urbe Ievera. IV. de iis, qui colloquio interfuerunt. V. de argumento & proceſſu colloquii. VI. de fine & fructu colloquii. VII. de poſtcolloquio ieuerenſi. VIII. de conſenſu recentiſſimorum

rum

rum Reformatorum cum Sacramentariis ieverenſibus. Ex quibus, ut & ipſo Colloquio conſtat, diſputaſſe Cryptocalvinianos, ut vocantur, *Iapetum*, *Quantium*, & *Meppelenſem* cum Herm. *Hamelmanno*, de exorciſmo, ſacramento altaris & ordinatione eccleſiaſtica. *Schmidius* in Continuatione Sagittarianæ Introductionis p. 1552.

Pag. 17. Quid in Principibus manebit reliquum, quod eorum autoritatem commendet, ſi *omnium*, quantumvis diſcrepantium opinionum liberam profeſſionem ſubditis concedant?	Is, quem auctor refutatum it, loquitur tantum *de iure Principis*, quo gaudeat circa ſacra.
57. Bartholomæus *Gerike*, Cancellarius Serveſtanus.	*Gœriz*.
66. Theologi *ὑδέτεροι*, *Doctores Laodiceiſta*, e. r.	Qui fidem *calumniis* præbet, & *cæco agitatur zelo*, facile in transverſum abripitur, & ſtilo abutitur.

Io. Henr. *Fenſtking*, natus Stellaviæ in Holſatia, *Varenii*, *Corbabi*, *Schomeri*, *Rœſchelii*, C. S. *Schurzfleiſchii*, *Waltheri*, *Læſcheri*, *Deutſchmanni*, & *Neumanni* diſcipulus, primum paſtor ac ſuperintendens in diœceſi ieſſenenſi, deinde, impetratis prius doctoris honoribus, præpoſitus & ſuperintendens kembergenſis, tum concionator aulicus, conſiliarius eccleſiaſticus & ſuperintendens ſerveſtanus, inde profeſſor theologiæ & conſiſtorii aſſeſſor apud vitembergenſes, pariterque concionator aulicus auguſtiſſimæ Polonorum Reginæ & Electricis Saxoniæ, ac tandem ſereniſſimi Ducis ſaxo-Gothani a ſupremis concionibus aulicis, confeſſionibus, & conſiliis conſiſtorialibus atque eccleſiaſticis, gravi hydrope exſtinctus eſt A. 1713. ætatis 41. Scripta eius ſunt Exegeſis poſterioris epiſtolæ ad Timotheum, primæ & ſecundæ Iohannis, & epiſtolæ Iudæ, earum videlicet, quæ ab Aeg. *Hunnio* prætermiſſæ fuerant, Hiſtoria clerogamiæ euangelicæ, Hodegeticum concordantiale, Sylloge Præpoſitorum kembergenſium, Præfatio elenctica in Nicol. *Hunnii* Mataeologiam fanaticam, Hyperaſpiſtes *Lutheri* contra auctorem Aeterni euangelii, Palinodia ſacra, Orthodoxia *Menzeriana* in doctrina de S. cœna, & Diſſertationes

Digitized by Google

de ſynuſia Eccleſiis noſtris perquam inique imputata, de Philippiſmo henoticorum, de præpoſtera in rebus fidei moralitate, de præſidiis veritatis euangelicæ in Iure canonico occurrentibus, de ſymbibaſmo biblico, de cuſtodia mentis & voluntatis in praxi aſſidue coniungenda; ut de philoſophicis nihil dicam. *Acta erudit.* A. 1713. 284. & *Nova bibliotheca* T. V 58. Nec reticendum, auctorem noſtrum, IX. annos natum, quum parens eius ægrotaret, ac per iocum diceret, ipſum præparare ſe debere ad concionem proxima dominica pro ſe habendam, ex animo ſerioque hoc dictum interpretantem abiviſſe, & ſermonem ex *Dilberri* Poſtilla memoriæ mandatum promte ac feliciter recitaſſe. De quo vide *Muſeum novum* T. V. 322.

Thomæ ITTIGII Hiſtoria concilii nicæni, cum Chriſtiani *Ludovici* Præfatione & Annotationibus. Lipſiæ 1712. Hiſtoria iſthæc obſervationibus maxime recentiorum ſcriptorum illuſtrata eſt, eiusque recenſionem reperies in *Actis eruditor.* ad A 1712. p. 330. & *Narrat. innoc.* A. 1712. 651. In Præfatione autem diſputat contra Ioſephum Saënz *de Aguirre*, Cardinalem, probare conatum, plures quam XX. canones in Synodo nicæna ſancitos eſſe.

Thomas *Ittig*, lipſienſis, Ioannis medici filius, & Gottfridi Nicolai ICti frater, Val. *Alberti*, Iac. *Thomaſii*, *Kortholti*, *Mauritii*, *Dannhaueri*, Seb. *Schmidii*, & *Scherzeri* diſcipulus, a poſtremo fere loco ad primum miniſterii eccleſiaſtici in urbe patria aſcendit; fuit enim tandem, præterquam quod theologiam, cuius lauream acceperat, magno cum honore & fructu profiteretur, paſtor in templo Nicolaitano, ſuperintendens, aſſeſſor in Conſiſtorio, & canonicus miſnenſis, vir de eccleſia & academia bene meritus, atque iccirco a præſtantibus viris laudatus: *Strimeſius* enim in Brevi delineat. chriſtianæ concordiæ p. 73. eum vocat excellentem ſcrutatorem antiquitatum eccleſiaſticarum, longeque doctiſſimum, & *Crenius* Animadverſ. P. XIX. 36. theologum eruditione varia, lectione multa, animi candore, morum gravitate nemini ſecundum, amicorum eximium. Laboravit morbo chronico, in eoque calculus ſeſe manifeſtavit: ad quem cum crucians accederet dyſuria ſive urinæ difficultas, fieri aliter non poterat, quin ſenile corpus admodum debilitaretur; cumque data medicina malum ingra-

ingraveſcens ſolvere non valeret, ægrotus prorſus defecit, leniſſimo reſolutus obitu anno 1710. ætatis 66. Vide *Acta eruditorum* A. 1710. 221. E ſcriptis eius eminent Diſſertatio de hæreſiarchis, eiusque Appendix I. Prolegomena ad Ioſephi opera, Bibliotheca Patrum apoſtolicorum, Hiſtoria Synodorum nationalium in Gallia a Reformatis habitarum, Liber de bibliothecis & catenis Patrum, Exercitationes theologicæ. De ineditis conſule, ſi placet, Tomum IV. *Muſei novi* p. 254. & *Narrat. innoc.* A. 1714. 161.

Chriſtianus *Ludovici*, natus Landshutæ in Sileſia A. 1663. profeſſor Organi ariſtotelici & Talmudices in academia lipſienſi extraordinarius, pariterque ſubſtitutus conrectori in ſchola Thomaniana, vir linguis & litteris clarus, edidit Hebraiſmum, Chaldaiſmum targumico-talmudico-rabbinicum, & Syriaſmum: Iſagogen in accentuationem utramque, proſaicam & metricam, Diſpp. aliquot in Talmud, aliasque in R. *Levi* benGerſon, Commentarium in Hiobum cum verſione latina & annotionibus, & Opuſcula varia D. Thomæ *Ittigii*, (quo nomine laude dignus iudicatur ab auctoribus *Narrat. innoc.* ad A. 1714. p. 160.) iamque in eo eſt, ut in publicum emittat Lexicon arabico-alcoranicum.

Ioannis BERENTII Regius Euangelicorum philadelphianiſmus. Regiomonti 1711. Eſt autem hic tractatus, auſpiciis & iuſſu auguſtiſſimi Boruſſorum Regis primi ſcriptus, regiisque impenſis editus amica, ut in fronte libri dicitur, invitatio ad ineundum religioſæ pacis & concordiæ Euangelicorum fœdus, & conſequenda communia mutuæ dilectionis fraternæ & arctioris concordiæ iura & emolumenta. In Dedicatione ad Regem Boruſſiæ ſatis longa idem fere argumentum tractat, concordiam, aut ſaltem tolerantiam commendans, rerum ſacrarum curam Principibus aſſerens, Regem a loco nativitatis, qui erat Regiomontum, atque a ſtudio concordiæ laudans, impoſſibilitatemque pii religionis negotii ad concordiam perducendi negans pernegansque. Sed & ipſe expertus eſt, quod hæc ipſius concordia, eiusque ſtudium, aliis ingratum atque ſuſpectum fuerit. Vide *Narrat. innoc.* A. 1711. 541. Hinc biennio poſt Vitembergæ emiſſum fuit Chriſtophori Ludovici *Stigizii* Examen Philadelphiſmi Berentiani. At vero Theodorus *Pauli*, inſignis & princeps ICtus in academia Alberti-

 na,

na, in Epiſtola, Dedicationi ſubiuncta, melius de eo ſentit, ſcribens, eum de pace, eiusque conciliatione egregie & erudite, ſine tamen veritatis præiudicio commentatum eſſe. Ceterum in eadem Epiſtola momentum librat controverſiarum de cœna Domini, & neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, eamque his claudit verbis: *Interea dum lis pendet, longe tutius erit, cum Pacificis ſenſim* philadelphiam *petere, quam cum rixoſis, mentis quodam impetu,* Haderianopolim *contendere.*

Io. *Berent*, Inſterburgo-boruſſus, utriusque *Dreieri*, *Zeidleri* & Bern. *a Sanden*, in iuridicis autem Theodori *Pauli Matthæi*, & *Vitriarii* diſcipulus, ſalutatis Belgio, Anglia & Gallia V. I. doctor, & primum in academia regiomontana profeſſor Iuris extraordinarius, deinde Regis Boruſſiæ in illuſtri Iudicio aulico conſiliarius, a prædicto Theodoro *Pauli* laudem nactus eſt inſignis eruditionis, & quod in lectione tam veterum, quam recentiorum Eccleſiæ ſcriptorum egregie verſatus ſit. Edidit Diſpp. de iure illuſtrium & privatorum circa veniam ætatis, deque iure ſimulationis & diſſimulationis in cauſis eccleſiaſticis, ac Diſſertationes de inſignioribus iuris matrimonialis capitibus, de ſpadonum eunuchorumve coniugio, deque eorundem iuribus circa munera eccleſiaſtica & civilia, & quamvis animo magis, quam corpore eſſet vegetus, indefeſſam tamen in muneris partibus explendis adhibuit diligentiam, ſeque in iure dicendo integrum, & morum ſanctitate venerabilem exhibuit, donec apoplexia correptus A. 1712. pie placideque obdormiſceret, annos natus LIV. Vide *Prorectoris & Senatus academiæ regiomont.* Programma funebre d. 5. Maii A. 1712. publice poſitum.

Phil. Iac. SPENERI Geminum de athei converſione iudicium. Halæ Saxonum 1703. Prius agit de hominis in atheiſmum prolapſi reductione; eum videlicet ex ratione convincendum, neceſſario exiſtere debere ſupremum Ens, quod omnia condiderit, quodque homini viam ad ſalutem revelaverit, & inter omnes religiones chriſtianam eſſe rectam, eandemque habere revelationem certiſſimam: poſterius de eo, quid ad veram requiratur converſionem hominis, iam ex longo tempore athei, Deumque ac eius veritatem abnegantis, nec non craſſis peccatis aliis immerſi.

Vtrum,

Vtrumque exſtat in Conſiliis Speneri germanicis, hic autem in latinum tranſtulit D. Ioachimus *Langius*, qui, ut in Præfatione indicat, conſilium cepit integrum Spenerianorum conſiliorum opus latine reddendi.

L.

Theodori GAILFINKII Neue Poſtillenpoſt ſive Collegium concionatorium. Lipſiæ 1668. In quo agitur de hodierno modo concionandi, de bono ordine & inventione, de formatione diſpoſitionum artificialium, quibus Poſtillis ſit utendum, de clara pronunciatione & aptis geſtibus, de tempore concioni impendendo, deque imitatione optimorum oratorum. Revelantur etiam ſecreta, quî iuvenis paſtor facile concionem ſuam memoriæ mandare, memoriam ſibi localem formare, cum fiducia eloqui, & unam atque eandem rem ſecundum diſpoſitiones artificiales variare poſſit. *Crenius* tractatum hunc in Animadverſ. P. II. 38. vocat elegantiſſimum, & Exercit. II. de libris ſcriptor. opt. pag. 48. eruditiorem, quam ut in ipſo Io. Balthaſ. *Schuppium* agnoſcere poſſit. Sed quia auctor lit. D oſtendit, I. M. *Dilherrum* in Sancto ſuo labore dominicali & feſtali exſcripſiſſe conciones Balth. Meiſneri in Aug. Confeſſionem, multi revelationem huius myſterii ægre tulerunt, atque auctor Hodierni miſerabilis chriſtianiſmi, editi A. 1669. 8. Dilherrum defendere ſuſtinuit p. 36.

Theodorus *Gailfink*, vero nomine & reſoluto anagrammate Gothofredus KILIAN, paſtor ac præpoſitus fuit gluckſtadianus, a Dorotheo *Sicuro* de Prudentia theologica p. 79. ſcriptor non indoctus appellatus.

Chriſtiani THOMASII & Ennonis Rudolphi BRENNEYSENII Ius euangelicorum Principum in controverſiis theologicis. Halæ 1696. Ex fundamento demonſtratum, & contra dogmata papiſtica cuiusdam theologi lipſienſis (qui erat D. Io. Bened. *Carpzovius* cum ſua diſputatione de iure decidendi controverſias theologicas) defenſum. Materiæ huius ſcripti petitæ ſunt ex illuſtris *Thomaſii* prælectionibus publicis de iſto iure Principum; ſtilum vero adhibuit, illo aliis negotiis impedito, *Brenneyſenius*. Pag. 241. incipit *Thomaſii* Summarius index & brevis apologia adverſus multas inculpationes & perſecutiones, quibus nonnulli Theologi electo-

Digitized by Google

electorales ſaxonici Dresdæ, Vitembergæ & Lipſiæ ipſum oneraverint, eiusque famam læſerint.

Enno Rudolphus *Brenneyſen*, Eſena-friſius, natus A. 1670. Io. *Schnellii* I. V. D. & Rectoris ſcholæ in Friſia nordanæ, & ICtorum bremenſium Io. a *Rhedtn*, Conr. *Ikenii*, & Eberh. *Schvvelingii*, nec non *Strykii* & *Thomaſii* diſcipulus, I. V. Licentiatus, magna apud ſereniſſimum Oſtfriſiæ Principem gratia fruitur, eique conſiliis ſanctioribus, & adminiſtratione tabularii rerumque graviſſimarum, utilem præſtat operam, celeberrimi nominis famam, quam accuratiore iurisprudentiæ peritia ſibi paravit, indeſinenter conſervans, atque in dies augens.

Io. Gottfriedi ZEIDLERI Triplex defenſio iuris Principum euangelicorum in rebus eccleſiaſticis. Francofurti 1701. Videlicet 1) Chriſt. *Thomaſii* Vindiciæ Iuris Principum in rebus eccleſiaſticis, ſive Diſputatio *Rieſii*, habita A. 1699. præſide Thomaſio, germanice reddita a *Zeid'ero*. 2) Vlterius examen Simplicis oſtenſionis, quo modo Proteſtantes eccleſiæ ſint conciliandæ. Auctor vero illius Simplicis oſtenſionis eſt Io. *Welmer*, paſtor ſchermekenſis. 3) *Thomaſii* Annotationes ad *Welmeri* Defenſionem regiminis eccleſiæ Ieſu Chriſti, quæ & ipſa pariter integra exhibetur. Vlterius illud examen, nec non Annotationes prædictas ex publicis Thomaſii lectionibus concinnavit *Zeidlerus*, atque ea, quæ ipſe addidit, binis in margine uncinulis notavit, atque ita, in gratiam lectorum, a Thomaſianis diſtinxit.

Io. Gottfried *Zeidler*, in Comitatu mansfeldenſi quondam paſtor, & poſt remotionem auctionarius halenſis in Saxonia, edidit ſcripta ſatyrica de Pl. reverenda Metaphyſica, Gnoſtologia, & Nologia, & Schediaſma de virga divinatoria, atque in paupertate exſpiravit octo aut novem abhinc annis. Scribo autem hæc anno 1720.

Iuſtiniani CLEMENTIS Animadverſiones de officio chriſtiani magiſtratus, in primis circa ſupplicia ſive pœnas capitales. 1698. Auctor quidem eſt pſeudonymus, atque hoc agit, ut ſuadeat, ſceleſtos ac facinoroſos aliis modis, quam pœnis capitalibus, coërcendos & corrigendos eſſe.

Heinrici ELMENHORSTII Dramatologia antiquo-hodierna. Hamburgi 1688. Qua oſtenditur, quid dramata, quæ Italis

lis Opere dicuntur, apud Ethnicos fuerint, & quod propter actus idololatricos & vitioſos a SS Patribus & doctoribus eccleſiæ fuerint damnata, quid e contrario ſint moderna, quod nempe non in gratiam inhoneſti, & excitandæ cupiditatis carnalis, ſed licitæ delectationis & promovendæ virtutis cauſſa exhibeantur, adeoque, ut res adiaphora, a chriſtiano Magiſtratu permitti, & citra læſionem conſcientiæ ſpectari poſſint.

Henr. *Elmenhorſt*, hamburgenſis, in urbe patria verbi divini miniſter ad S. Catharinæ, ſcripſit etiam Defenſionem doctrinæ fidei & Annotationes ad V. quæſtiones, quæ exſtant Tomo II. *Actorum hamburgenſ.* p. 1480. 1544. eique familiæ, quæ multis iuvenem beneficiis affecerat, ſed ipſa poſtea in paupertatem incidit, grati animi teſtandi cauſſa 8000. legavit thaleros, atque ita diem ſuum obiit A. 1703. ætatis ſuæ 71. cum dimidio.

Domini DE CHANTERESNE Perſpicua demonſtratio, quod non ſit adiaphorum operas & comœdias exhibere ac ſpectare, ſed affectata libertas, quæ regulis veri chriſtianiſmi adverſetur; ſimulque cenſentur atque improbantur fabuloſæ narrationes, ſeu fabulæ romanenſes, quæ Italis Romanzi, Germanis *Romanen* appellantur. Et p. 33. Appendix additur, ſive excerptum ex libro quodam gallicano de chriſtiana liberorum educatione, A. 1666. 9. Lutetiæ Pariſiorum edito, in quo comœdiæ & operæ æque, ac choreæ & ſaltationes reiiciuntur. *Spenerus* Conſilior. theolog. latin. P. II. 113. ſcribit: *Ipſe vanitatem comicorum noſtrorum abominor; non quod non aliqua dramata utiliter inſtitui poſſe cenſeam, ſed quod ea, quæ exhiberi ſolent, nullius uſus, multorum vero peccatorum cauſam agnoſco; nec modum video, quo intra cancellos laudabiles redigerentur.*

Illuſtris SENATVS NORIBERGENSIS Edictum pro defenſione reverendi ſui Miniſterii, contra eos, qui illud heterodoxiæ & novationis in rebus religionis ſive accuſaverant, ſive ſuſpectum habuerant; poſt diligentem enim, & rigoroſam inquiſitionem nihil ſe in Paſtoribus & Diaconis ſuis heterodoxi... iunt reperiſſe. Noribergæ 1652.

Potentiſſimi ELECTORIS BRANDENBVRGICI Deciſum de libertate confeſſionis privatæ in ipſius, qua ſedet, urbe pri-

be primaria. Coloniæ ad Spream 1698. Seren. Elector. FRIDERICVS improbat *Schadii* libellum contra privatam confeſſionem, eiusque venditionem prohibet, & ſicut privatam confeſſionem nemini interdicit, ita iis, qui ad eam accedere nolunt, libertatem indulget, ut & ſine illa, ſi octiduo ante miniſtro eccleſiæ propoſitum ſuum indicaverint, ad uſum S. cœnæ admitti poſſint; & ne paſtores lutherani reſpectu nummi confeſſionarii damnum patiantur, conſtituit, ut ſingulis ad S. Nicolai, S. Petri & S. Mariæ, qui confeſſiones privatas audiunt, ſalarium annuum 200. ioachimicis ſive thaleris augeatur. Qua de re etiam legi poteſt *Spenerus* Conſilior. theolog. latin. p. 790.

Chriſtophori RICHTERI Iudicium de quæſtione: An maritus cum uxore ſua iam gravida, citra læſionem conſcientiæ, cohabitare & rem habere poſſit? 1701. ſine loci expreſſione. Auctor affirmat, hac addita limitatione: ſi abſtinentia ſive utrique ſive alterutri parti plane intolerabilis ſit, niſi ut vel uſtionem patiatur, vel adulterium, minimum ſuo in animo, faciat, vel corpus ſuum polluat, vel nefandum naturæque adverſum committat peccatum. At longe aliter & caſtius hac de re iudicat Nicol. *Venette* de la generation de l' homme p. 133.

Chriſtoph. *Richter*, hæc cum ederet, paſtor erat hirſchfeldenſis in Haſſia.

Samuel poſt obitum ſuum prophetans. Francofurti & Lipſiæ 1698. Auctor hiſtoriam 1. Sam. 28, 7. traditam exponit, ſtatuens, Samuelem, cum quo poſt eius obitum rex Saul Endoræ locutus eſt, verum fuiſſe Samuelem, quem Deus ſine mulieris præſtigiatricis cooperatione excitaverit, atque ex inferis produxerit. Atque inter alia narrat, etiam M. C. S. (an M. Io. Caſp. *Schadeo*?) paſtori inter Brandenburgicos pio, ſcriptisque ſpiritualibus inclyto, ſed propter uxoris ſuæ obitum valde afflicto, ipſam illam apparuiſſe, eumque bono animo eſſe, ac Deo confidere iuſſiſſe.

Io. Conr. FEVERLINI Renovatio gymnaſii ægidiani noribergenſis. Noribergæ 1699. Qua multis deſcribitur modus informandi, qui nunc tenetur in prædicto gymnaſio, quod poſt exuſtionem longe nobilius & ſplendidius ab inclyto Senatu exſtructum eſt. Multa eruditione refertum eſt hoc ſcriptum, aliisque

que, qui vel informare iuventutem, vel præceptoribus domeſticis filios ſuos tradere volunt, multis modis prodeſſe poteſt.

Io. Ioach. WOLFII Vetus Magdeburgum feliciter repertum. Helmſtadii 1701. Eſt ſcriptum germanicum trium quaternionum, ſub titulo Verſuch und Handlung, Cauſa & actus in civitate magdeburgenſi de chriſtiana doctrina & vita A. 1524. in eccleſiis S. Ioannis & S. Vlrici; adeoque eſt vetuſtiſſimum omnium, quæ de reformatione agunt. Neque Dedicatio pauciora habet folia, ſed totidem omnino. Pag. 49. annectitur Hiſtorica declaratio præſentis ſcripti ex *Dreſſeri* Chronico ſaxonico. Eius etiam meminit Herm. *Von der Hardt* in Antiquis litterar. monumentis, quæ ſunt in bibliotheca manuali ſereniſſ. Ducis Rudolphi Auguſti, T. I. 191.

Io. Ioach. *Wolfius*, Parkimo-meklenburgicus, S. theol. licentiatus, & diaconus ad S. Vlrici in civitate magdeburgenſi, ſcripſit ediditque Breves annotationes ad quæſtionem, An poſt hanc vitam univerſalis reſtitutio omnium creaturarum ſperanda, atque adeo lapſi & condemnati, cum angeli, tum homines, ad vitam æternam perventuri ſint, contra Aeternum euangelium *Peterſenii*: cumque calendis Ianuarii A. 1706. ſtaret in cathedra, atque felicem auditoribus ſuis annum adprecaretur, apoplexia percuſſus obriguit, conticuit, & animam efflavit, ætatem producens ad annos 50.

Auguſti Hermanni FRANCKII Narratio de orphanotropheo halenſi, pauperum ſcholis & reliquorum ſuſtentatione egenorum. Halæ 1701. atque auctior A. 1710. 8. Hic habes 1) cauſſas huius narrationis, quas inter præcipue ſunt Regia & commiſſio, & remotio calumniarum. 2) narrationem de origine, occaſione & progreſſu totius operis. 3) de admirabili Dei providentia circa hanc pauperum curam. 4) de variis, gravibusque tentationibus, quibus auctor fuit probatus. 5) de adminiſtratione huius operis. 6) de fructu eius. Adduntur variæ appendices, & deſcriptio ædificii, in quo orphani nutriuntur. Sed ab eo tempore, quo hæc ſcripta ſunt, varia ſplendidaquæ ædificia, immo palatia ſunt exſtructa, ita ut nemo totum hoc opus ſine magna admiratione, tacitaque potentiæ divinæ, quæ manifeſte in eo ſe ſe exſerit, celebratione ſpectare poſſit.

LI.

Bernardini OCHINI XX. conciones, in quibus præcipui articuli fidei pertractantur, nempe de iuſtificatione per Chriſtum, eique annexis. Neuburgi ad Danubium 1545. Auctor illos habuit in Italia, hic autem verſæ ſunt in germanicum a Ioſ. *Höchſtetero.* Sunt breves, ſed nervoſæ, & ſatis orthodoxæ; ita ut, qui eas legit, longe aliter de auctore iudicaturus ſit, quam illi, qui eum in numerum blasphemorum atque atheorum referunt, & cœlum terra miſcentes, ex pio viro impium audent procudere.

Bernardinus *Ochinus*, (latine *Ocellus*) ſenenſis, Pontificis, ut aiunt, a ſacris confeſſionibus & concionibus, tertiusque Generalis Capucinorum, pro optimo habitus fuit concionatore in Italia. Liberius autem aliquando loquens contra faſtum Pontificis, atque ita eius iram contra ſe provocans, in magnum incidiſſet periculum, niſi monitus a Cardinale quodam ipſi favente, fuga ſibimet conſuluiſſet. Abiit igitur, exceſſit, aufugit, & reliquum vitæ tempus in Germania, Anglia Helvetia, & Polonia conſumſit, mortuus tandem Slavcoviæ in Moravia apud Fratres bohemos A. 1564. ætatis 87. poſtquam e variis locis ſubinde expulſus fuerat. Cetera eius ſcripta ſunt ſequentia: Concionum Tomi II. Sermones III. de officio Principis, C. Apologi ſacri, Dialogus de purgatorio, de cœna Domini contra Ioach. *Weſtphalum*, Homiliæ de cœna Domini, Expoſitio epiſtolæ Pauli ad Romanos & Corinthios, Dialogi XXX. Labyrinthi de prædeſtinatione & libero arbitrio, & Catechiſmus. Vide *Sandium* Biblioth. antitrinit. p. 2. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. IV. 55. *Placcium* de pſeudon. 509. *Lubienicium* Hiſtor. reformationis polon. 109. *Arnoldum* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. II. 319. 408. *Cyprianum* Pentade diſſertationum academic. 94. *Adamum* in Vitis theol. p. 497. *Palearium* lib. IV. epiſt. 2. p. 505. *Simonium* Hiſtor. crit. N. T. Part. III. c. 55. Auctorem *Conlect. libror. rarior.* in Præfat. p. 17. *Wendlerum* diſp. de Auguſta litterata p. 22. *Struvium* Introd. in notit. rei lit. 449. & *Heumannum* Program. II. ad Bœcleri Hiſtor. literat. ſeculi XVI.

EIVSDEM Conciones in epiſtolam Pauli ad Galat. Auguſtæ Vindelicorum 1546. Etiam germanice; ſed italice tamen ſcriptæ habitæque in illa urbe.

Ib.

LII.

Io. MATHESII Hiſtoria de D. Mart. *Lutheri* ortu, doctrina, vita, conſtanti confeſſione fidei, & morte, XVII. concionibus comprehenſa. Germanice. Noribergæ 1573. Antea 1568. atque iteratis typis Guſtroviæ 1715. 8. De qua editione vide *Narrationes innoc.* prædicti anni p. 740. & *Bibliothecam novam* T. V. 371.

Pag. 5. Hoc tempore (A. 1508) *ex Magiſtro Sententiarum, iuxta Thomam* aquinatem, *Scotum*, *Albertum*, in omnibus ſcholis, cœnobiis & ſuggeſtibus eccleſiaſticis, *fundamentum chriſtianiſmi ponebatur*.	Scholaſtici Doctores nunquam aliud quid pro fundamento chriſtianiſmi agnoverunt, quam *ſacram ſcripturam & traditionem Patrum eccleſiæ*. G. C. F. *von Raſevviz* Oſtenſ. conſiderationum A. V. D. B. L. p. 60.
6. D. *Mellerſtedt* hoc tempore *Lux mundi*.	*Quando* ille mundum illuminavit, & *a quo ita vocatus eſt? Idem* p. 53.
8. Lutherus perrexit, & in omnibus ſuis lectionibus ac diſputationibus hanc ventilavit quæſtionem, ſive articulum: An vera fides chriſtiane vivendi, beateque moriendi ex ſacra ſcriptura petenda ſit, *an ex impio ethnico Ariſtotele, e quo Doctores ſcholaſtici* Romanam eccleſiam, & doctrinam monaſticam petere ſolebant.	*Quis unquam dubitavit*, fidem illam e ſacra ſcriptura hauriendam? *& quando Scholaſtici ex Ariſtotele* romanam eccleſiam probare ſuſtinuerunt? Idem p. 65.

Io. *Matheſius*, Rochlicio-miſnicus, *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Bugenhagii*, Iuſti *Ionæ*, & *Crucigeri* diſcipulus, primum ſcholaſtico, deinde eccleſiaſtico muneri præfuit in Valle ioachimica, atque in utroque ea fide, induſtria ac prudentia verſatus eſt, ea etiam pietate, eruditione ac facundia floruit, ut nominis ſui memoriam non ſolum apud cives ſuos, ſed finitimos etiam, imo & remotiores, quotquot veram & piam eruditionem æſtimant, reliquerit ſempiternam. Inter ſcripta eius eminent Sarepta, Vita Chriſti, Expli-

Digitized by Google

cationes euangeliorum, atque Chronicon Vallis ioachimicæ, & dominica, qua euangelium de filio viduæ unico explicabat, ac de morte & reſurrectione flexanime diſſerebat, apoplexia infeſtatus eſt, ita ut domum deportandus eſſet, ubi id agens, quod auditores ſuos docuerat, tribus poſt horis in Chriſto obdormivit A. 1566. ætatis 62. M. *Adamus* in Vitis theol. 403. *Magirus* 571. *Micralius* 767. *Fecht* Supplem. hiſt. eccleſ. ſec. XVI. 59. A *Conringio* Ep. gratulat. ad Auguſtum Duc. Brunſv. ac Lun. p. 64. vocatur vir pietate & ſtudio bene de eccleſia merendi longe præſtantiſſimus.

EIVSDEM Sarepta, ſive Conciones, in quibus exponuntur loca ſcripturæ, ubi de re agitur metallica. Cum concione in *pſalmum* 133. & Chronico vallis ioachimicæ. Omnia germanice. Freybergæ 1619. Prodierunt etiam Noribergæ A. 1562. 1564. 1587. f. ac Lipſiæ 1619. 4. Præmiſſa eſt Præfatio, in qua de perſona *Matheſii*, eiusque ſcriptis, & obitu. CL. V. Ioach. *Fellerus* apud Struvium in Actis literar. T. I. Faſc. IV. 66. lectu eas iudicat dignas: Io. *Webſterus* in Morhofii Polyhiſt. Tomo II. 434. inter obſervatores rerum metallicarum experimentales Matheſio proximum a Georg. *Agricola* locum tribuit: & *Crenius* Diſſert. II. de libris ſcriptor. optimis p. 42. non tantum Sareptam, ſed omnia Matheſii ſcripta ſibi a puero placuiſſe teſtatur, ut non cara fuerint auro contra.

LIII.

Io. MATHESII Hochzeitpredigten, Conciones nuptiales. Noribergæ 1584. In quibus ſermo fit de coniugio & œconomia, ac docetur, coniugium pie ineundum, & ſalutariter conſummandum, in quibusvis calamitatibus ſolatium e verbo Dei petendum, & in conviviis nuptialibus modeſtiam ac timorem Dei obſervandam eſſe. Textus depromti ſunt ex *Gen.* 2. & 26. *Ex.* 31. *Ezech.* 24. *Mal.* 2. *Pſalmo* 128. & *Io.* 2. Subiungitur 1) Cantio nuptialis, auctore Nic. *Hermanno*, qua utendum erga ſponſos, cubitum euntes. 2) *Matheſii* Oeconomia, rhythmis conſtans germanicis.

Godeſchalci BVNTINGII Grundliche erklærung, Solida expoſitio VII. ultimorum verborum Chriſti, in cruce emiſſorum. Francofurti ad Viadrum 1598.

Godeſchalcus *Bünting*, brunsvicenſis, philoſ. magiſter, eo tem-

tempore, quo Expoſitionem ſuam edebat, non erat muneri admotus eccleſiaſtico, ſed in academia vivebat francofurtana, ſeque ad munus aliquod inclyto Senatui in Dedicatione offert humiliter.

Aeg. HVNNII Beweiſung, Demonſtratio, Zvinglianos & Calviniſtas veræ Confeſſioni auguſtanæ, CAROLO V. oblatæ nunquam addictos fuiſſe, adeoque eam falſo ſibi arrogare. Francofurti 1596. Hæc Demonſtratio eſt Præfatio in Hunnii Tractatum de ſacramentis, germanice reddita a D. Ier. *Victore*.

Ieremias *Victor* S. theol. D. & profeſſor ac paſtor gieſſenſis, variis clarus ſcriptis, inter quæ eſt Iudicium de fractione panis calviniana, ob quod nactus eſt adverſarium Dan. *Angelocratorem*, vivere deſiit A. 1609.

LIV.

Io. SCHMIDII Gewiſſenspredigten, Conciones de conſcientia. Argentorati 1654. Sunt conciones XL. in verſus 4. 5. 6. pſalmi VII. in quibus agit de vocabulo *conſcientia*, eiusque natura & ſede, de rebus, circa quas conſcientia verſatur, quomodo conſcientia in homine ſit teſtis pariter & iudex, de erronea, dubitante & recta conſcientia, huiusque fructibus, de mala conſcientia & eius effectibus, de cura & ſanatione pravæ conſcientiæ, de virtute & fructu ſpiritualis medicinæ, denique de conſervanda ſanitate bonæ conſcientiæ. In dedicatione diſputat auctor de ſatisfactione, ut tertia parte poenitentiæ, contra *Cotonii* Inſtitut. cathol. lib. 3 cap. 12. Sed collatio inſtituenda eſt utriusque ſcripti, ne aberres a ſtatu controverſiæ.

Ioannes *Schmidius*, Budiſſina-luſatus, *Tanfereri* ac *Thummii* diſcipulus, informationibus adoleſcentum multas in re tenui horas impendere coactus, incredibili autem ſtudio detrimentum illud compenſans, abſoluto per Germaniam ſuperiorem & inferiorem, Galliamque & Angliam itinere, tam faventem apud Argentinenſes fortunam habuit, ut per varios honoris gradus aſcendens, eccleſiæ pariter atque academiæ utilem præſtare potuerit operam: fuit enim S. theol. doctor, & profeſſor, Conventus eccleſiaſtici præſes, Capituli thomani præpoſitus, tantique apud omnes ob pietatem & eloquentiam æſtimatus, ut D. Io. Rudolph.

Salz.

Digitized by Google

Salzmannus in Programmate funebri non dubitaverit ſcribere, grande eum eccleſiæ atque academiæ columen & ornamentum fuiſſe, immo, ſi humana conditio ullam admitteret, immortalitate digniſſimum. Scripta eius maximam partem conſiſtunt in varii generis concionibus: multas etiam edidit diſputationes, unicum conſignavit libellum polemicum adverſus Calvinianos, orationem recitavit in honorem ac memoriam D. Thomæ *Wegelini*, ipſe autem poſt fata ſui laudatores habuit D. Sebaſt. *Schmidtium*, & D. Caſp. *Lilium*. *Spizelius* Templ. honor. reſer. 251. & *Reiſer* in Ep. ad auctorem p. 410. *Witte* Memor. theol. 1266. *Magirus* 737. Io. Bened. *Carpzovius* Theol. exeget. 98. 288. Car. *Arnd* Continuat. Biblioth. bibl. Mayer. 84. & *Bibliotheca Schrader.* P. I. C 3.

LV.

Balth. MEISNERI Conciones in Auguſtanam confeſſionem. Wittebergæ 1630. Non ipſe eas edidit auctor, ſed ex ipſius ſchedis collegit, & in III. Partes diſtributas publicavit Io. *Lucius*; non tamen contra auctoris deſiderium: quippe qui morti proximus heredes ſuos iuſſit eas in lucem producere. In Dedicatione I. Partis loquuntur heredes de ſcriptis canonicis & ſymbolicis, eorumque differentia & auctoritate, de ratione appellationis Auguſtanæ confeſſionis, ſive cur Proteſtantium Confeſſio dicatur Auguſtana: In II. Partis Dedicatione diſputant contra Georg. *Landherrum*, Auguſtanam confeſſionem multis conviciis atque iniuriis onerantem. In III. Partis Dedicatione diſſeritur de tintinnabulis aureis, ſummi ſacerdotis pallio affixis, eorumque varia ſignificatione. *Exod* 28, 34.

Balth. *Meiſnerus*, dreſdenſis, XVII. annorum adoleſcens ſummum in philoſophia honorem, qui *Magiſterii* dicitur, Wittebergæ conſecutus, & mox inclytæ Facultati philoſophicæ adiunctus, atque ab academiis argentoratenſi, tubingenſi & giſſenſi, in quarum ultima *Mentzerus* tunc regnabat, reverſus, primum ethices, deinde impetratis honoribus doctoralibus, S. theol. profeſſor, & Conſiſtorii aſſeſſor eccleſiaſtici, vir magna pietate, nec non dulciſſima morum ſuavitate & incredibili lepore, qui non ſine iucundæ gravitatis temperamento omnia eius dicta & facta commendabat,

dabat, denique ſingulari animi lenitate, quam & eius Symbolum, *Beati mites*, exprimebat, inſignis, maximeque celebris, quum non modo academiam wittebergenſem, ſed univerſum pæne orbem chriſtianum in ſui amorem ac admirationem convertiſſet, vitæ ſuæ curriculum cito, immo præpropere abſolvit, videlicet in fine anni 1626. cum nondum plane annum ætatis abſolviſſet quadrageſimum. Neque tamen brevis ætas obſtitit, quo minus multa conſignaret ederetque ſcripta, inter quæ ſunt Diſputatio de religione lutherana capeſſenda & romano-papiſtica deſerenda contra Leon. *Leſſium*, Apologia pro Conſultatione catholica de religione lutherana capeſſenda contra Herm. *Hugonem*, Excubiarum papiſticarum depulſio contra Iacob. *Reihingium*, Prælectiones de Eccleſia contra *Bellarminum*, Gregorium *de Valentia*, *Stapletonum* & alios, Collegium de ſacramentis adverſus *Calvinianos*, Brevis conſideratio theologiæ *Photinianæ*, Admonitio de M. Corn. *Martini* maledicentia, iniquitate, & in logicis ſuis legibus obſervandis negligentia, Commentarius in *Hoſeam*, Philoſophia ſobria, Anthropologia ſacra, Conſilia de ſtudio theologico & lectione biblica recte inſtituendis, & Quæſtiones aliquot vexatæ. *Witte* Memor. theol. 215. *Spizel* Templo honor. reſer. 60. *Kœnigio* p. 526. dicitur magnæ famæ theologus.

LVI.

Io. FABRICII Conciones in Auguſtanam confeſſionem, cum Annotationibus latinis. Noribergæ 1652. Annotationes illæ magnam partem hauſtæ ſunt ex auctoris Prælectionibus altorfinis, ſive Syſtemate theologico, atque a D. Ger. *Titio*, qui iis ad lectiones ſuas frequenter utebatur, vocantur eruditiſſimæ, laudanturque a D. Sal. *Glaſſio* hic in Præfatione, & D. M. S. *Grabio* in Vrb. Regii Formulas caute loq. p. 44. 95. 106. & 113. Relatum eſt etiam a viro illuſtri, ac fide digno, celſiſſimum Electorem moguntinum, Ioannem Philippum DE SCHOENBORN librum hunc ad manus habuiſſe, crebroque eum legiſſe. Nec mirum: quia ille æque, ut auctor, veritatis & moderationis erat ſtudioſiſſimus. Præmittuntur 1) Præfatio, qua oſtenditur differentia inter Symbola antiqua & recentiora. 2) FERDINANDI Regis Romanorum, CAROLI V. Imperatoris fratris, Epiſtola

Digitized by Google

ad Lutherum, Oeniponte anno 1537. d. 1. Februarii ſcripta, qua refert, Franciſcanum illum, qui ſui fuerit a confeſſionibus ſacris, morti proximum veritatem Auguſtanæ confeſſionis agnoviſſe, ſeque ad eam recipiendam hortatum eſſe. Quam quidem Epiſtolam auctor ex Iohannis *Donneri* Monacho diſarmato petiit, notumque eſt, exſtare etiam in Melch. *Goldaſti* Reichsſatzungen P. I. 274. ſed non poſſe ei ſimpliciter fidem præberi, neque etiam in Archivo dresdenſi, quo Donnerus provocaverat, poſt diligentem inquiſitionem reperiri, ingenue fatetur illuſtris *Seckendorfius* Lutheraniſmi libro III. ad A. 1537. pag. 1641. remque hanc, ut dubiam & incertam, ſuo in loco relinquit venerandus D. Polyc. *Lyſerus*, pronepos, in Officio pietatis p. 153.

Pag. 183. *Peucerum decebat, pari fide iſtum libellum* (Sententiarum veteris eccleſiæ Doctorum de S. cœna) IV. Philippi (Melanchthonis) Tomis *inſerere.*	*Non decebat*, quia Melanchthon Epiſtolarum P. I. 147. quæ epiſtola Præfationis locum & nomen nacta eſt in Tomo III. Operum illius, A. 1542. agnovit, & confeſſus eſt, *aliquas earum* in illis auctoribus, quæ citantur, *eſſe ſuppoſititias*; addens: Hæc & ſimilia quædam *mallem omiſſa eſſe.*

EIVSDEM Concio in funere Georgii Abrahami *Poemeri*, Senatorum noribergenſium principis, ex Gen. 32, 26. Noribergæ 1655.

III. conciones, una in fine anni & duæ reliquæ in principio ſequentis anni, ex Luc. 2, 33. & 21. ad Hebr. 12, 24. Noribergæ 1661.

Concio in funere Georg. *Wælckeri*, ICti, & Senatus noriberg. conſiliarii, ex pſ. 71, 20. 21.

Concio in funere perilluſtris Dominæ Reginæ Sibyllæ *Stubenbergiæ*, natæ Khevenhulleriæ, ex pſ. 126, 5. 6. Noribergæ 1666.

Conciones II. ultimæ, ex Io. 16, 5. & Sir. 37, 28. Noribergæ 1676. Poſteriorem vero non potuit auctor abſolvere in ſuggeſtu: nam quum ad tractationem textus accederet, apoplexia correptus obmutuit, & VII. poſt horis eopſe die exſpiravit.

Conr.

Conr. FEVERLINI Concio in funere Io. *Fabricii*, ex Sir. 14, 18. Noribergæ 1676. Cum multis Miniſtrorum verbi divini apud Noribergenſes egregiis teſtimoniis.

Conr. *Feuerlein*, Suobaco-francus, Erhardi *Weigelii*, Io. *Muſei*, *Hülſemanni*, *Geieri*, *Calixtorum*, Balth. *Cellarii* & *Conringii* diſcipulus, primum eſchenauienſis paſtor, deinde in urbe noribergenſi diaconus ægidianus, inde ad S. Iacobi, poſtea ad D. Mariæ, tandemque ad S. Sebaldi paſtor, Miniſterii antiſtes, & Bibliothecæ publicæ præfectus, vir facundus, urbanus, & ingenio pollens parato, atque in quibusvis caſibus ſemper præſente, qui, ut ipſe in Epitaphio ſuo poni voluit, aliquibus fuit aliquid, ſibi nihil, reliquit Tractatus exegetico-homileticos & Conciones caſuales ac miſcellaneas, nec non funebres, & Præfationes in Biblia *Endteriana*, Cantica Pauli *Gerhardi*, & Cantionale *noribergenſe*, placidiſſimeque exſpiravit A. 1704. ætatis 75. *Pipping* Memor. theol. 1534.

Chriſtoph. ARNOLDI Concio, in memoriam & honorem Io. *Fabricii*, ex Io. 16, 28. Noribergæ 1676.

Io. Conr. DVRRII Memoria Io. *Fabricii*, Paſtoris noriberg. ad D. Mariæ Altorfii 1676. Quæ & Syſtemati huius theologico præmiſſa eſt, & a *Wittio* repetitur in Memoriis theologorum p. 1901.

LVII.

Io FABRICII Conciones in librum Iobi, & XXIII. aliæ, in quibus textus 4. verborum, ſecundum ordinem alphabeticum explicantur. Noribergæ 1681. Mirum, quam clare & perſpicue auctor librum Iobi difficillimum interpretari, quantaque cum efficacia corda legentium, ut quondam audientium, flectere & commovere ſciat. Quamquam utrumque hoc donum divinæ potiſſimum gratiæ adſcribendum ſit.

Pag. 231. Qui in *ſepulcrum* (quod hic & alibi redditur per infernum) deſcendit, non inde revertitur. Iob. 7, 9.

Qui in *infernum* deſcendit. Exſtat enim hic vocabulum שאול, quod non ſepulcrum, ſed infernum ſignificat, locum videlicet animarum ſeparatarum. *Lutherus* Enarrat. in Gen. 42. Tomo VI. vvittenberg. f. 630.

Digitized by Google

612. Sam. *Bochartus*, inſignis ſcriptor *anglicanus*.

643. Iudæorum ſententia de Behemoth & Leviathane *tota ſtolida & fabuloſa eſt*.

Gallicanus. Vide Partem II. huius operis, p. 47.

Neque vero ſecundum literam & proprie, ſed *allegorice* interpretanda eſt. *Hackſpan*. ad Nizzachon Lipmanni p. 345. *Carpzov*. Præfat. in Martini Pugionem fidei c. 8. *Scherzer* Specim. theol. myſt. Ebr. 155. Io. *Wulfer* Ther. 370. *Deſpagne* T. II. 115. 120. *Grellotus* Præf. in Prodromum in Apocal. 21.

LIIX.

Georgii MYLII Leichpredigt, Concio in funere Chriſtophori, Comitis a Solms, Domini in Munzenberg, Sonnenwald, c. r. Ienæ 1596. In pſalmum IV, 9.

Georg. *Mylius*, ſive *Muller*, alias *Giring*, auguſtanus, fabri lignarii filius, molitoris, cui ex opificio cognomen adhæſit, nepos, e ſcholis philoſophicis, ubi Magiſterii honores acceperat, ad theologicas progreſſus, lectiones theologorum quadriennium & amplius diligenter audivit, & in patriam revocatus locum inter miniſtros eccleſiæ tenuit extremum. Poſtea, de conſenſu & voluntate Eccleſiæ ſuæ Tubingam rediit, & legendo ac diſputando ad altiora ſe paravit: impetratis enim honoribus doctoralibus, ab Auguſtanis Paſtor ad S. Annæ, brevique poſt ſuperintendens Miniſterii generalis & rector Collegii euangelici conſtitutus eſt. Sed conflata ei invidia ob denegatam receptionem calendarii gregoriani, quaſi ipſe fax & auctor eſſet turbatæ Reip. auguſtanæ, ægre ſe excuſare valuit in Camera imperiali, atque apud Imperatorem auguſtiſſimum. Sed cum feſtum aſcenſionis Chriſti tardius denunciaſſet, adeo illud Senatum auguſtanum offendit, ut eum a munere removeret, & urbe iuberet exire. Conceſſit igitur Vlmam, uſque dum ab AVGVSTO Electore ſaxonico vocaretur Vitembergam ad profeſſionem theologicam, cancellarii dignitatem, & templi arcis præpoſituram. Sed nec hic diu ſubſiſtere potuit: cum enim, exacto quadriennio, inaugurandum ad nomen

Corporis doctrinæ *Philippi* adſtringere detrectaret, iram Electoris CHRISTIANI I. & remotionem a dignitate cancellariatus ſibi attraxit. Atque ita factum, ut facile poſtea, a Ducibus ſaxoniæ pro ienenſi academia expetitus, abeundi poteſtatem impetraret. Ienam igitur migravit, primum inter theologos locum, pariterque paſtoris ac ſuperintendentis munus occupans. Sed nec dum finis eſt mutationum. Nam ſub CHRISTIANO II. Electore revocatus eſt Vitembergam, & inſpectio ei ſive ſuperintendentia eccleſiæ, quam *Hunnius* reliquerat, concredita. Quam quidem cum laude geſſit uſque ad finem vitæ, qui ex febri maligna natus contigit A. 1607. cum annos ætatis numeraret 59. Laudatur inprimis ob eloquentiam. Scripta ab eo edita ſunt ſequentia: Explicatio epiſtolarum S. Pauli ad Romanos & Corinthios, Synopſis analytica aliquot *Lutheri* librorum, Spongia abſterſoria pro Auguſtana confeſſione, Tractatus de regno Papæ, eiusque incrementis, Conciones de Turca, Forma confeſſionis, iuxta quam eccleſiæ in Ruſſia docentur, Defenſio Formulæ concordiæ, & Delineatio comœdiæ calviniſticæ in Miſnia. Melch. *Adamus* in Vitis theologorum p. 758. *Witte* Diar. biograph. E 4. *Zeumer* in Vitis theologor. ienenſ. 98. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuevor. 145. *Wendler* diſp. de Auguſta litterata 24. *Lexicon univ. hiſtor.* P. III. 587. & *Baillet* d' Anti T. II. 89.

Aeg. HVNNII Leichpredigt, Concio in funere D. Io. Georg. *Volckmari.* Wittebergæ 1596. In Dan. 12, 2. 3.

Nicolai OREM Concio, coram Papa VRBANO V. & Cardinalibus habita A. 1346. Wittebergæ 1604. Quæ etiam exſtat in Catalogo teſtium veritatis, lib. XIIX. p. 1776. Dicta in vigilia nativitatis Domini, in Eſa. 66, 1. *Iuxta eſt ſalus mea, ut veniat: & iuſtitia mea, ut reveletur.* Acris hæc eſt oratio, & duriter præſentes, aliosque Prælatos ac Sacerdotes reprehendit. Summa eius eſt, Papæ eiusque clero exitium prædicere: ſigna vero prædictionis ſumit ex eorum ſceleribus. Subiungitur Epiſtola *Luciferi* ad Clericos monitoria, ut ſtrenue in impietate ſua pergant, olim impreſſa A. 1507. ac denuo edita a *Flacio* A. 1549. quæ & ipſa Oremo, ſed neſcio quo fundamento, tribuitur.

Nicolaus *Orem*, magiſter, floruit circa medium ſæculi XIV.

& ultra, ſatisque oratione ſua prodidit, non deeſſe ſibi parrheſiam in taxandis ſui ordinis hominum, quin & Principum eccleſiæ, peccatis ac vitiis. Quod tamen non de toto ordine, ſed de multis eius membris intelligendum.

Chriſtoph. RAABII Wahres und falſches chriſtenthum, Chriſtianiſmus verus ac falſus, fidelium in ſpecie, & eccleſiæ in genere. Duisburgi 1714. Oſtenſus in concione paſchali, cum explicaretur dictum Matth. 7, 21. Cum annotationibus. Quo brevior eſt, eo longiores ſunt Annotationes. Patet autem exinde, auctorem cordatum eſſe theologum, & operi Domini peragendo ſingularem dare operam, nec ſuſpecti & heterodoxi (quod ſine calumnia tamen velim accipi) mereri titulum, ſive convicium. Et huc etiam tendit docta eius Præfatio. Potiora in Annotationibus capita ſunt hæc: 1. Myſterium Patris & Chriſti in ſcholis magis proponi terminis ab hominibus inventis, & rixas excitare ſolitis, quam verbis Spiritus ſancti, qui tamen optime id ſciverit exprimere. 2. Paſtorum eſſe, ut myſterium Chriſti ſincere doceant apud eccleſias ſuas, idque cordibus earum firmiter imprimant, non vero, ut ambiant magnas & numeroſas eccleſias, quaſi earum decus conſiſteret in conditione hominum, eorumque multitudine. 3. Studium bonorum operum requiri a Chriſtianis, non tantum gratitudinis, ſed etiam novi fœderis cauſa: ſub eo quippe nos manere, ut antea, obligatos ad obedientiam voluntati Dei præſtandam; ut ergo Ieſus perfectus eſſet redemtor & ſalvator noſter, oportuiſſe eum non tantum cruento ſacrificio divinam placare iuſtitiam, verum etiam ſpiritum nobis acquirere vivificum, quo ipſe, ut ſecundus Adam, in nobis ſit vis ad novam vitam, atque annatum nobis, perque propria peccata auctum venenum in nobis immediate & re vera conſumit, atque ita ex mortuis vivos, ex ſervis liberos nos reddit a lege peccati & mortis, quo is, qui hoc modo (in, & cum Chriſto) mortuus eſt, Deo autem in Chriſto Ieſu, domino noſtro, ſervit, iuſtificatus ſit a peccato, Rom. 6, 7. 11. 4 Verbum *Iuſtificare* in ſenſu forenſi ſumi de Deo patre. 5. Iuſtitiam Chriſti activam apud non nullos imprudenter diſtingui a paſſiva. 6. Doctrinam de imperfectione ſanctiſſimorum inter Chriſtianos, & impoſſibilitate implendi legem Dei, cautius tradendam eſſe: perfectionem namque partium

tium etiam a minimis fidelium requiri. 7. Proteſtantium non minus, quam Pontificiorum plurimos magis deditos eſſe externo, quam interno & ſalutari cultui. 8. Ieiunium eſſe interdum neceſſarium, tam pro anima, quam pro corpore. 9. Cogitationes malas, præter voluntatem noſtram ortas, & quibus illico reſiſtimus, non eſſe peccata. 10. Chriſtum a Maria corpus habentem, a peccato originali potuiſſe liberum eſſe, quia non ex ſanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri genitus ſit. 11. Aeque *Calvinum* ac *Lutherum* magis reformationem doctrinæ, quam vitæ urſiſſe; neque tamen credendum, vel doctrinam uſque adeo reformatam & omnibus numeris expolitam eſſe, ut nulla prorſus correctione opus habeat, vel veritatem niſi iuribus iurandis ad certos libros conſervari poſſe. 12 Nulla, niſi defenſiva bella inter Chriſtianos tolerari poſſe. 13. Abuſum euangelicæ libertatis occaſionem dare peſſimo atheiſmo. 14. Spiritum antichriſti in pluribus, quam in papatu, locum habere, & Babelem ubique reperiri, ibique abundantius, ubi maior lux affulget. 15. Gratiam Dei eſſe univerſalem, decretum vero reprobationis abſolutum nullum. 16. *Synodum dordracenam* non omni ex parte fuiſſe ſinceram & legitimam, quia iidem in ea iudices ſederint, ac ſuffragia tulerint, qui eſſent accuſatores: *Catechismum heidelbergenſem* bonum quidem eſſe librum, attrmen verbo Dei non æquandum, ac proinde ab eo licere interdum recedere. 17. Excommunicationem nec miniſtrorum eccleſiæ eſſe, nec Magiſtratus politici, ſed cuiusvis chriſtiani: Paſtores autem & Conſiſtoria illam declarare, non Chriſti nomine, ſed Eccleſiæ, cuius præcipua ſint membra, atque excommunicatos, poſt actam veram reſipiſcentiam, recte in eccleſiæ gremium recipere: erraſſe igitur *Sacheverellum*, qui eos, quos pro falſis fratribus agnovit, ita voluerit excommunicatos, ut venia ac reditus nullo iis modo concedi poſſet.

Chriſtoph. *Raabe*, S. theol. doctor, & prof. ordinarius in academia duisburgica, doctrinæ, pietatis & moderationis, quæ præcipua theologi ornamenta ſunt, laude floret, atque indefeſſam in munere ſuo adhibet operam.

Henr. SACHEVERELLI Triumph der Chriſten, Triumphus

umphus Chriſtianorum, ſive officium orandi pro hoſtibus. Brunsvigæ 1715. Eſt concio prima, quam habuit in æde S. Salvatoris in Soutwarck A. 1715. poſt reditum ſuum Londinum. Textus erat petitus ex *Luca* 23, 34.

Henricus *Sacheverell*, A. 1674. Marlebrigiæ in Anglia natus, S. theol. doctor, capellanus ad ædem Servatoris Sudovoerenſem, & ſocius Collegii magdalenæi, quod Oxonii eſt, forma & eruditione, atque in primis facundia clarus, amore ac fama apud plurimos floret civium ſuorum. Eius etiam ſunt Conciones de periculis a falſis fratribus imminentibus, & participatione peccati. *Acta erudit.* A. 1710. 516. Quibus ad nomen viri alludere placuit, vocarunt eum *Sage et variable:* & auctor *Clavis ad hodiernam hiſtoriam* T. I. 753. 757. 759. 1031. eundem turbarum anglicarum, quibus fœdus cum Cæſare violatum, & pax cum Galliæ Rege A. 1712. inita, auctorem & defenſorem facit. Sed nos id noſtrum non facimus.

Chriſtoph. SONNTAGII Leichpredigt, Concio in funere D. Chriſtoph. *Wegleiteri.* Altdorfii 1706. In *Matthæi* 5, 9. de beatitudine pacificorum.

Io. SPANGENBERGII Poſtilla, ſive Explicatio pericoparum Epiſtolarum & Euangeliorum, quæ in dominicis ac feſtis quovis anno in cœtu fidelium præleguntur. Luneburgi 1717. Editio longe præferenda prioribus. In ſingulis concionibus non eſt continua, uti alias fit, oratio, ſed omnia, in gratiam ſimpliciorum, proponuntur per quæſtiones & reſponſiones: nec certe negandum, hunc docendi modum pro rudibus ac ſimplicibus facere quam maxime. Hauſit vero ſua ex *Lutheri*, *Brentii*, Ant. *Corvini* aliorumque Poſtillis, primique Præfationem, qua Chriſtum eſſe myſterium docetur, atque ad aſſiduam Scripturæ S. lectionem ac meditationem Paſtores admonentur, præmiſit. Vide pl. rever. *Leuckfeldium* in Vita huius auctoris.

Ioannes *Spangenberg*, cuius maiores nomen *Erpſen* gerebant, uſque dum aliquis eorum ab inferioris Haſſiæ oppidulo Spangenberga, ubi opificio fabri ferrarii operam dederat, ita cognominari cœpit, herdeſſianus, pater *Cyriaci*, a ſcholaſticis laboribus (fuit enim rector ſcholæ gandersheimenſis, & ſtolbergenſis) tranſiit

ad

ad eccleſiaſticos, conſtitutus Stolbergæ archidiaconus, Nordhuſæ ad S. Blaſii primus paſtor euangelicus, & Islebiæ paſtor primarius ad S. Andreæ, eccleſiarumque vicinarum ſuperintendens generalis. Neque minus pro ſcholis, quam pro eccleſia libros edidit: pro illis quidem Erotemata Grammaticæ, Rhetoricæ & Dialecticæ, Libellum de muſica, Computum eccleſiaſticum, Pſalmos Davidis & Evangelia carminice in latino, ac Bellum grammaticale; pro hac, præter Poſtillam præſentem, Conciones funebres breves, Cantionale eccleſiaſticum, Margaritam theologicam, quæ erat epitome ex Locis Phil. *Melanchthonis*, & Tabulas analyticas textuum euangelicorum atque epiſtolicorum. Reſtitit etiam libro *Interim*, atque, ut contra eum ſcriberet, D. Io. *Wigando* auctor fuit, fatisque conceſſit A. 1550. ætatis 67. Melch. *Adamus* in Vitis theol. p. 202. & *Leuckfeld* in Vita auctoris noſtri, quæ adiuncta eſt eius Poſtillæ. Phil. *Melanchton* magna eum laude exornat, quando ad eccleſiam Comitatus mansfeldenſis ſcribit: *Etſi precipue Dei beneficium eſt, quod habetis multos viros honeſtos & concordes in eccleſia & ſcholis veſtris: tamen &* Spangenbergii *modeſtia multum ad concordiam proderat. Hic cum eruditione & multis virtutibus excelleret, tamen ab ambitione alieniſſimus erat. Et candor in eo erat eximius.*

Frid. WEISII Predigt, Concio de S. cœna. Helmſtadii 1710. In 1. *Cor.* 11, 23-33. Multas ob cauſas notabilis.

Io. Frid. L. B. a WERTHERN Predigt, Concio de Ieſu, curæ cordique habente animas hominum. Ienæ 1715. In *Marci* 8, 1-9. Erat concio inauguralis, habita a candidato honorum doctoralium, ſive, ut loquimur, doctorando, & quidem concio eius prima omnium.

Ioannes Fridericus, Liber Baro *a Werthern*, Neomarchii in Ducatu vinarienſi A. 1665. natus, Dynaſta wihenſis, & Cœnobii dondorfenſis dominus, ſacri romani Imperii, itemque Imperatoris romano-germanici cubiculi ianitor hereditarius, Caſp. *Sagittarii*, & *Schubarti* in academia ienenſi, *Schurzfleiſchii*, Io. Henr. *Bergeri*, Wilh. *Lyſeri*, *Suevi*, & *Ziegleri* in vitembergenſi diſcipulus, a Duce Saxo-merſeburgico inter Nobiles cubicularios cooptatus, regiminisque, quod ibidem eſt, adſeſſoribus adſcriptus, a poten-

tiſſimo Poloniæ Rege Circulo thuringico præfectus, atque a ſereniſſimo Duce Saxo-vinarienſi in numerum Conſiliariorum intimorum receptus, eam tamen cogitationem, quam a pientiſſima matre, ſacro ſe ordini ut conſecraret, impreſſam habebat, ex animo adeo eiicere non potuit, ut ſepoſitis commodis, deliciis & dignitatibus ſæcularibus, traditisque filio unico bonis, accedente vi voti, in clade naumburgenſi, a qua ipſe non multum aberat, concepti, A. 1715. in academia ienenſi honores peteret, riteque, poſt diſputationem de glorioſa filiorum Dei libertate, obtineret doctorales. Nunc autem in aula vinarienſi, quæ pietatis aliarumque ſedes eſt virtutum, ſupremi concionatoris & conſiſtorialis munus gerit, pariterque, ut diximus, conſiliarii intimi ſplendore fulget. Vide D. *Buddei* Commentationem theologicam de eo, quod in theologia pulchrum eſt; p. 33. & *Lexicon univ. hiſtor.* P. IV. 672.

LIX.

Barthol. NASSERI Klaghaus, ſive Conciones funebres, editæ a Dan. *Gottvvalt.* Argentorati 1623. Sunt LXXV. conciones, in hiſtorias aliquot, pſalmos & dicta ſcripturæ veteris & novi teſtamenti. In Dedicatione *Gottvvaltus* agit de IV. noviſſimis, docens, earum intuitu debere nos fugere peccata, ſedulamque pietati dare operam.

Bartholomæus *Naſſer*, argentoratenſis, philoſophiæ magiſter, primum in patria diaconus, deinde paſtor, demum theol. profeſſor, & præpoſitus Capituli thomani, reliquit etiam Conciones paſſionales & euangelicas, mortemque obivit anno 1614. ætatis 54. *Witte* Diar. biograph. L 3.

Dan. *Gottvvalt*, philoſ. magiſter, diaconus erat in æde principali urbis argentoratenſis.

EIVSDEM Geiſtlicher poſaunenſchall, Spiritualis ſonus tubæ, ſive XIX. partim elencticæ, partim pœnitentiales, totidemque autumnales, & XXIV. conciones in VII. pſalmos pœnitentiales. Argentorati 1623. In Præfatione exponit *Gottvvaltus* dictum Chriſti *Lucæ* 13, 1. & ſeqq. oſtendens, calamitates non caſu obvenire hominibus, ſed Dei ſapienti ac iuſta directione, mediumque evadendi eſſe veram ac ſinceram pœnitentiam. *Naſſerus* autem in

Con-

Concionibus elenčticis multum acriterque diſputat contra *Calviniſtas*, *Anabaptiſtas* & *Schvvenckfeldianos*.

LX.

Io. CROCII Landtagspredigten, Conciones comitiales IV. ex Phil. 2, 14. Gal. 5, 15. Matth. 2, 15-28. & c. 11, 2-6. Berolini 1617. In lit. L 4. compendioſe traditur doctrina Reformatorum.

Io. *Crocius*, Laſpea-witgenſteinenſis, diſtinguendus a Ludovico fratre, theologo bremenſi, S. theol. D. primum Electoris brandenburgici, dein Haſſiæ Landgravii eccleſiaſtes aulicus, tum profeſſor primarius marpurgenſis, luci expoſuit Commentarios in Ionam & Epiſtolas paulinas, Anti-*Becanum* & Anti-*Weigelium*, Reſponſum ad Epiſtolam *Erneſti* Haſſiæ Land-gravii, Converſationem prutenicam, & Diſſertationem de *Libertinorum* hæreſi, obiitque A. 1659. ætatis 69. *Witte* Diar. biograph. Nnn 4. *Cren.* Animadv. P. XV. 114. *Moller* de homon. 665.

EIVSDEM Conciones pœnitentiales. Grebenſteinii 1633. In *Ieſa.* 55, 7-11.

EIVSDEM Aqua ſanctuarii, ſive Conciones pentecoſtales. Caſſellis 1632. In *Ezech.* 47, 1-12.

EIVSDEM Summaria oſtenſio, Reformatos, qui odioſis *Zvvinglii* & *Calvini* nominibus infamantur, nunquam in Comitiis S. Rom. Imperii, aliisque conventibus, prævia legitima cauſſæ cognitione, ab univerſis Ordinibus Auguſtanæ confeſſionis unanimi conſenſu condemnatos, aut in Germania a communione Auguſtanæ Confeſſionis excluſos eſſe. Geiſmaræ 1635.

Conradi BERGII Fundamentum & ſumma veri chriſtianiſmi, expoſita II. concionibus in Eccleſ. 12, 11-14. 1. Tim. 1, 3-7. cum Nic. *Hunnii* Conſultationis ſive Iudicii, Concionibus hiſce oppoſiti, refutatione. Francofurti ad Viadrum 1633.

Conr. *Bergius*, ſtetinenſis, a fratre Ioanne in pueritia informatus, peractis per Germaniam, Italiam, Galliam, Belgium itineribus, S. theol. D. & profeſſor in academia viadrina, & verbi divini miniſter, anno 1629. quo urbs francofurtenſis, & tota Marchia bello, fame, peſte premebantur, vocationi Bremenſium morem geſſit, Bremæque paſtoratum in eccleſia collegiata S. Anſcharii,

 & pro-

& profeſſionem theol. in Gymnaſio imponi ſibi paſſus eſt, finemque vitæ attigit anno 1642. ætatis 50. In iuventute ſcripſit Artificium Ariſtotelico-Lullio-Rameum, & a Dieterico *Sagittario*, ac Ludov. *Crocio* magnis laudibus ornatur, quæ legi poſſunt apud Ioh. Chriſtoph. *Becmannum* in Notitia univerſitatis francofurt. p. 161. & *Crenium* Animadverſ. P. XIII. 70.

EIVSDEM Epiſtola de concordia & diſcordia Proteſtantium. Bremæ 1635. Cui adiungitur 1) Collatio marpurgenſis A. 1529. 2) lipſienſis A. 1631. 3) Teſtimonium Io. *Sleidani* ex eius libro VI. de Euangelicorum concordia. 4) Teſtimonium Petri *Suavis* de Proteſtantium diſcordia & concordia.

Ioan. BERGII Præparatio ad conciones paſſionales, ex Eph. 5, 12. Francofurti ad Viadrum 1621.

EIVSDEM II. Conciones gratiarum actoriæ propter infeudationem Ducatus Pruſſiæ, 1. Reg. 3, 4-15.

EIVSDEM Hypotypoſis ſalutaris doctrinæ, quæ in aula Brandenburgica Ducatus pruſſici huc uſque propoſita eſt. Luc. 11, 28. Berolini 1624. Ad refellendas calumnias, quibus eum aiebant in præcipuis articulis nunquam ex animi ſententia docuiſſe, ſed ſub verbis lutheranis venenum occultaſſe calviniſticum, in primis in doctrina de electione & vocatione ad ſalutem divina.

EIVSDEM Conciones comitiales, ex 2. Sam. 18, 1. Luc. 18, 31. 2. Chron. 29, 10-19. Berolini 1626.

EIVSDEM Concordia fraterna, ſive III. conciones ex Pſ. 133, habitæ in conventu lipſienſi A. 1631. Francofurti 1635.

EIVSDEM Voluntas Dei de omnium hominum ſalute, ex 1. Tim. 2, 4. Berolini 1653. Contra quasvis antiquas & novas heterodoxias explicata, & ad concordiam theologorum diſcrepantium adplicata. Singula igitur vocabula dicti explicantur, agiturque de voluntate ſigni & beneplaciti, de voluntate antecedente & conſequente, de voluntate abſoluta & conditionata, de mediis ſalutis, de Chriſti paſſione pro omnibus, de æterna prædeſtinatione & reprobatione, in quonam conſiſtat hodie diſputatio inter Euangelicos de æterna electione, de cauſſis maioris gratiæ Dei erga electos in ipſorum converſione, de IX. capite epiſtolæ ad Romanos, de gratia

aut

aut ira Dei erga Ethnicos non vocatos, de infantibus Chriſtianorum & Gentilium non baptizatis, de recto uſu huius doctrinæ de gratia Dei, tandemque adduntur teſtimonia Eccleſiarum & Theologorum reformatæ religionis. De quo opere *Crenius* Animadverſ. P. II. 37. ſic ſcribit: *Bergius edito de Voluntate Dei libro univerſalem quidem gratiam, ſpeciali erga electos contradiſtinctam, cum* Amyraldo, *contra Supralapſarios ſeu Gomariſtas, & Sublapſarios ſeu Dordracenos, ſtatuit; ſed eandem cum illo ad Paganos, quibus nunquam euangelium innotuit, non extendit, ſed ad ſolos eos reſtringit, quibus verbum gratia coram annunciatur, ſub hac tamen conditione, SI non reluctentur: quum tamen illis, qui inter vocatos, non ſunt electi, ſpecialem gratiam, per quam ſolam queant credere & regenerari, neget ſimpliciter. Quam ob cauſam & ipſe inter Hypotheticos, quamquam in peculiari factione, ut Amyraldiſtis, contradicit, referri poteſt.* Ceterum notandum, p. 296. per iudicioſiſſimum epiſcopum Norw. intelligi *Overallum*, & p. 302. argentoratenſem Cenſuræ auctorem I. G. D. eſſe Io. Georg. *Dorſcheum.*

Io. APELII Concio in Pericopen epiſtolicam feſti S. Trinitatis, Rom. 11, 33-36. Francofurti ad Viadrum. Cum Præfatione Civium berolinenſium & colonienſium ad Spream, teſtantium, propterea hanc Concionem in publicum edi, ut calumnia non neminis retundatur, qui, cum ſero veniſſet, & parum auſcultaſſet, nihilo tamen minus alibi dicere haud ſit veritus, concionem magno cum offendiculo auditorum habitam, & oratorem dignum eſſe, qui rogo imponeretur, & vivus cremaretur: blaſphemaſſe enim Spiritum S. dicendo, eum in creatione nudum fuiſſe inſtrumentum. Sed hoc nuſquam in concione extat.

Io. *Apelius*, Aurbaco-palatinus, vixit ſæculo XVII.

LXI.

Caſp. SIBELII Conciones ſacræ anniverſariæ in dies feſtos & dominicos. Daventriæ 1655. volumina II. Quorum priori præmiſſa ſunt Prolegomena de feſtis Chriſtianorum, in quibus ſtatuit atque affirmat, Eccleſias reformatas belgicas recte, prudenter, pieque iudicaſſe, feſtos dies (Nativitatis, Circumciſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Chriſti, itemque Pentecoſtes ſeu Miſ-

ſionis Spiritus ſancti) ad publicum Dei cultum, ſolemnemque beneficiorum a Deo per Chriſtum mediatorem acceptorum memoriam, agnitionem atque celebrationem inſtitutos, retinendos, obſervandos & celebrandos eſſe. Textus, qui explicantur in feſto nativitatis Chriſti, exſtant *Luc.* 2, 1. 8. 13. 14. 15. *Ezech.* 34, 23. 24. In feſto circumciſionis Chriſti, *Luc.* 2, 21. In feſto paſchatis, *Matth.* 28, 1-4. *Marc.* 16, 6-8. *Luc.* 24, 13-24. item v. 25-27. 1. *Cor.* 5, 7. In feſto aſcenſionis, *Act.* 1, 6. In feſto pentecoſtes, *Act.* 2, 1. 2. 3. v. 4-13. v. 28. 29. *Io.* 14, 23. & cap. 25, 26. 27.

Caſp. *Sibelius*, Elberfelda-montenſis, primum eccleſiaſtes leydenſis, deinde ratingenſis & iuliacus, demum daventrienſis, obiit A. 1658. ætatis 68. Opera eius omnia prodierunt V. Tomis A. 1644. *Witte* Diar. biograph. T. II. 78. A *Crenio* de Furib. librar. p. 132. accuſatur plagii, quod multa e *Bullingero* hauſerit.

Caſp. STRESONIS Conciones quædam miſcellaneæ. Amſterodami 1654. Editio ſecunda, ab auctore recognita, & aliquot concionibus aucta. In illis explicantur ſequentes textus: *Matth.* 5, 46. 47. 48. & ṽ 20. *Io.* 1, 12. *Rom.* 7, 18. *Act.* 2, 42. *Eph.* 4, 26. 27. 1. *Pet.* 5, 5. *Iac.* 2, 13. *Matth.* 16, 27. *Exod.* 17, 8-13. *Pſ.* 66, 18. *Eſa.* 26, 20. *Num.* 10, 35. *Pſ.* 52, 8. 9. 10. *Luc.* 2, 1-8. 1. *Cor.* 1, 9. *Gal.* 2, 20. *Io.* 16, 8-11. *Pſ.* 1. 2. 3. 4. 16. *Tit.* 3, 3-8. *Luc.* 21, 19. *Io* 3, 16. *Heb.* 11, 4. c. 4, 16. *Rom.* 2, 7. 8. 1. *Cor.* 4, 7. c. 11, 25. 26. *Rom.* 6, 8. 2. *Tim.* 1, 12. *Io.* 20, 29. *Luc.* 17, 18. 1. *Io.* 3, 9. Conciones appellat auctor, quæ verius, ipſiusmet iudicio & confeſſione, concionum & meditationum quædam ſemina ſunt, edita eum in finem, ut aliquid occaſionis ſuppeditent iis, qui vel excellentius quid meditaturi ſunt, vel ſaltem in concionibus formandis ſuopte utuntur ingenio.

Caſpar *Streſon*, anhaltinus, eccleſiæ hagienſis miniſter, latine commentatus eſt in Acta Apoſtolorum, & in Epiſtolam ad Romanos, ediditque Technologiam theologicam, Fundamenta patientiæ & ſanctitatis, Reſponſionem ad Appellationem innocentiæ lutheranæ, i. e. ad diſputationem Io. *Botſacci* contra Ameſium, dieſque vitæ ſuæ clauſit anno Chriſti 1664. *Witte* Diar. biograph. T tt 2.

LXII.

Ieremiæ DYKE Opera omnia, ex anglicano belgice reddita, cum ab aliis, tum a Io. *Ubelmano*. Amſtelodami 1670. II. volumina.

Sunt

Sunt maximam partem conciones, quas ille habuit. Et in primo quidem volumine continentur 1) Dignus communicans, ex 1.*Chron.* 15, 13. interprete Nic. *Arnoldo* 2) Recta acceptio ſacramenti in S. cœna, *Col.* 2, 6. 7. 3) Bona conſcientia, *Act.* 23, 5. 4) Fortitudo iuſtificati, *Prov.* 18, 10. interprete Io. *Vbelmano.* 5) Gloria iuſtificati, *Iac.* 2, 3. 6) Perverſio iuſtificati. *Phil.* 3, 20. 7) In die ieiunii & precum, *Heb.* 11, 7. 8) Abſtinentia ab avaritia, *Luc.* 12, 15. 9) Officii obſervatio, *Col.* 4, 17. 10) Encænia eccleſiæ eppingenſis in Eſſexia, *Exod.* 20, 24. 11) Damnum & miſeria ſcandali, *Matth.* 18, 7. 12) Exſtinctio ſpiritus, 1. *Theſſ.* 5, 19. 13) Peccatoris petitio remiſſionis, 2. *Sam.* 24, 7. In ſecundo 1) VI euangelicæ hiſtoriæ, in *Io.* 2, 1. 2) Cor humanum ſe ipſum decipiens, *Ier.* 17, 9. 10. 3) Tractatus de converſione. 4) Michaël & draco, *Matth.* 4, 1. 5) Schola crucis, *Pſ.* 94, 12. 6) Explicatio *Pſalmi* 124. 7) Explicatio epiſtolæ ad *Philemonem.*

Ieremias *Dyke*, miniſter verbi divini Eppingæ in Eſſexia, floruit initio ſæculi XVII. teſtaturque de eo Nicol. *Arnoldus* in Præfatione, ſicut in omnibus ſuis ſcriptis excellat, ita in Digno communicante ſe ipſum ſuperare: præterea fatetur, ſe lectione & interpretatione huius libri adeo captum & commotum eſſe, ac ſi extra ſe raptus foret; nec dubitare ſe, quin & alii lectores eandem ſint vim ſenſuri & experturi.

LXIII.

Vytgeleeſen Engelſche BOET-PREDICATIEN voor 't Parlament van Engellant gedaen, Selectæ anglicanæ conciones pœnitentiales coram Parlamento anglicano a variis excellentibus theologis habitæ. Bolswerdæ 1666. IV. Partes, II. volumina. Auctores concionum, & textus, quos expoſuere, in prima Parte (cuius interpres eſt Sam. *de Haringhouk*) ſunt: Corn. *Burges*, Ier. 4, 14. Carol. *Herle*, Pſ. 95, 1. Edmund *Staunton*, Deut. 32, 31. Matth. *Neucomen*, Hebr. 4, 13. Thom. *Hodges*, Pſ. 113, 5. 6. Edm. *Calamy*, Ioſ. 24, 15. Io. *Whincop*, Pſ. 137. Wilh. *Greenhil*, Matth. 3, 10. Rob. *Harris*, Luc. 18, 6. 7. 8. Wilh. *Strong*, 2. Corinth. 5, 10. Iac. *Nalton*, Ier. 13, 27. In ſecunda, (interprete Nollio *Haionide*) Edm. *Calamy*, Ezech. 36. 32. Act. 17, 30. Ier. *Whitaker*, Hagg. 2, 8. 1. Cor. 15, 19. Thom. *Temple*, Pſ. 2, 6. Thom. *Hill*, Apoc. 12, 11. Thom. *Watſon*, Heb. 4, 13. Wilh. *Ienkyn*, Pſal. 2, 12. Georg. *Swinocke*, Pſ. 82, 6. 7. Rob. *Iohnſon*, Eſ. 2, 5. Dan. *Clavvdrey*, Prov. 29, 8. Edw. *Rernolds*, Pſ. 122, 6-9. In

tertia

tertia (interpretibus Regn. *Rheenio*, Sam *Haringhoukio*, & T. *Paludano*) Sim. *Aſh*, Eſ. 63, 5. Theod. *Paludanus*, Pſ. 122, 6. Edm. *Calamy*, Act. 21, 39. Obad. *Sedgvvicke*, Ier. 4, 3. Dan. *Evance*, 1. Sam. 2, 30. Rob. *Wilde*, Rom. 1, 32. Thom. *Manton*, Zach. 14, 9. Wilh. *Ienkyn*, Hag. 1, 1.2. Ioſ. *Caryl*, Luc. 10, 20. Io. *White*, Dan. 9, 25. Ant. *Burges*, Marc. 1, 2. 3. Io. *Whincop*, Eſa. 22, 12. In quarta Thom. *Carter*, Exod. 32, 9. 10. Sam. *Gibſon*, 2. Sam. 17, 14. Pet. *Smith*, Pſ. 107, 6. Sam. *Rutherfurd*, Luc. 8, 22-25. Corn. *Burges*, Pſ. 76, 11. Rich. *Heyricke*, Eſth. 4, 16. Wilh. *Carter*, Iud. 20, 26-28. T. A. Iud. 5, 8. 9. Nic. *Proffet*, Eſ. 9, 11. 12. Matth. *Nevvcomen*, Ioſ. 7, 10. 11. Wilh. *Sedgvvicke*, Eſa. 62, 7. Edm. *Calamy*, Ier. 18, 7-10

LXIV.

Simonis EPISCOPII Vytlegginge over het vijfde Capitel des H. Euangeliſten Mattheus, Explicatio capitis V. ſancti euangeliſtæ Matthæi, comprehenſa XXIV. in cœtu Remonſtrantium habitis concionibus. Franekeræ 1666. Eam vero edidit, teſte *Clerico* Tomo XXIV. de la Bibliotheque choiſie p. 354. & in orat. funebri in obitum Limborchii p. 15. 17. Philippus *a Limborch*, cuius fortaſſe etiam eſt Præfatio, in qua docet, ſacram Scripturam V. & N. Tti eſſe pretioſiſſimum & incomparabilem animarum humanarum theſaurum, quippe quo informentur in cognitione Dei, ſui ipſarum, & Ieſu Chriſti, ad impetrandam ſalutem æternam: religionem ſeu cultum Dei conſiſtere in credendis & agendis: credenda comprehendi in Symbolo, ut vocatur, apoſtolico; ſingulos autem eius articulos non tradi ad nudam cognitionem, ſed etiam ad praxin eſſe transferendos: inter agenda, tanquam adamantem in auro, fulgere concionem, a Chriſto domino habitam in monte, & deſcriptam a *Matthao* cap. 5, 6. 7. *Epiſcopii* has conciones non uno fuiſſe habitas tempore & loco: nam VI. priores Hagæ Comitis propoſitas eſſe A. 1618. ſequentes Roterodami A. 1632. 1633. 1634. eique animum fuiſſe in hoc negotio pergere, & explicare ſextum etiam, & ſeptimum caput, ſed aliis occupationibus impeditum non potuiſſe id perficere: cumque aliquot ante annis in publicum emiſſæ fuerint eius Homiliæ in *Ioannis* caput 17, 3. ad articulos fidei pertinentes, iuſto ordine nunc produci eas, quæ agunt de hominis chriſtiani debito in obſervandis Dei præceptis, & exercen-

ercendis virtutibus chriſtianis. Quique legit hos ſermones, fatebitur, vere ſcripſiſſe *Conringium*, in Conringianis p. 72. Epiſcopium, quem Amſtelodami declarantem audiverit, hominem eſſe miræ facundiæ, & acutiſſimi ingenii diſputatorem.

LXV.

CHRONICA, a nativitate Chriſti uſque ad annum 1531. Germanice. Auguſtæ Vindelicorum, ut videtur, anno 1531. Antea frequens inter Germanos erat Chronica, res trium ſæculorum complectens, eaque hoc in libro emendata, multumque aucta exhibetur.

Fl. Creſconii CORIPPI de laudibus Iuſtini auguſti, minoris, Libri IV. Altorfii 1664. Multis in locis emendatiores opera & ſtudio Nicolai *Rittershuſii*, qui & parentis ſui, *Cunradi*, & Mich. *Ruizii* Aſſagrii Notas adiecit. Atque hi libri IV. ſunt carmen heroicum, ſive Panegyricus, quo Imperatoris laudes canuntur: & auctor eos dicavit Anaſtaſio, Quæſtori & Magiſtro.

Fl. Creſconius *Corippus* Africanus, grammaticus & poëta chriſtianus, tempore IVSTINI II. Imp. poſt medium ſeculi VI. claruit, &, ſi *Barthio* Adverſar. 55, 2. credendum, opus quoque ſcripſit Iohannidos, quod, ut ipſi videtur, Viennæ aſſervatur. Neque vero vilis fuit poëta, ſed talis, ut idem Barthius exiſtimet, regnum ei poëticum conferendum eſſe. *Olearius*, Biblioth. ſcriptor. eccleſ. T. I. 184. *Kœnig* 213. & *Neu* in Acceſſion. ad Whearum 158.

Mich. *Ruizius*, Aſſagrius celtiber, primus *Corippum* edidit, notisque illuſtravit, clarus verſus finem ſæculi XVI.

Io. Ioach. FRANTZII Vita Caroli M. Imperatoris romani. Argentinæ 1644. Cum *Eginhardi* Carolo, & Io. Henr. *Bœcleri* Præfatione. In hac teſtatur vir clariſſimus, ſe ſe auctorem fuiſſe *Frantzio*, ut ſcriptionis argumentum ſive ab Auguſto, ſive a Conſtantino M. ſive a Carolo M. peteret: in horum enim tempora confluere maximarum rerum fata, eventus, conſilia, mutationes publicas, imperiorum translationes, denique quandam quaſi ſummam, quendam orbem civilis obſervationis ac prudentiæ: illum autem delegiſſe ſibi Caroli M. Hiſtoriam, quam ex diverſis monumentis in unum corpus coactam, ſpeciminis hiſtorici cauſſa concin-

naret, atque ita imitationem quandam eorum, quæ legerat in bonis auctoribus, auſpicaretur; neque ineleganter adornaſſe. Hanc Præfationem altera excipit, quæ ipſius eſt auctoris: in qua ille indicat ſcriptores vitæ Caroli, quibus ipſe, velut inſtrumentis, in hoc labore uſus eſt. Præcipui eorum ſunt *Eginhartus*, *Ganguinus*, *Acciaiolus*, *Cuſpinianus*: hiſce ſuccedunt *Adelmus* benedictinus, *Aventinus*, *Sabellicus*, *Sigonius*, Paulus *Aemilius*: & agmen cladunt *Baronius* ac *Turpinus*. Et quia horum omnium princeps eſt *Eginhartus*, eoque lectoris gratiam auctor ſibi conciliare poſſe videbatur, ideo ſuæ hunc deſcriptioni adiunxit, eoque tanquam unione librum ſuum ornavit. Poſtea hæc Eginharti Deſcriptio edita fuit Helmſtadii A. 1667. & Traiecti ad Rhen. A. 1711. cum Notis *Beſſelii*, *Pollandi*, *Goldaſti*, *Schminckii* & aliorum, ſicut prius ab *Hermanno* Comite Nuenario, qui a quibusdam creditur interpolaſſe Eginhartum, Coloniæ 1521. Baſileæ 1532. Lipſiæ 1616. & in Iuſti *Reuberi* Tomo ſcriptorum rerum germanicarum, Marq. *Freheri* Corpore hiſtoriæ francicæ, atque Andr. *Du Cheſne* Tom. II. ſcriptorum hiſtoriæ Francorum.

Io. Ioachimus *Frantzius*, argentoratenſis, *Bacleri* diſcipulus, erat tunc, cum Vitam Caroli adornaret, ac publicaret, humaniorum ac Iurium ſtudioſus, rectiſſimeque ita perſuaſus, nefas eſſe, ampliſſimæ diſciplinæ penetralia illotis manibus, & ſine ſcriptione alicuius commentarii, quo ingenii vires tentaret, accedere; adeoque diverſus erat a pravo illorum exemplo, qui e ſcholis in academias delati, neglectis philologiæ & philoſophiæ lyceis, illico in altiorum ſtudiorum ſacraria irrumpere, nullumque ordinem obſervare audent.

Eginhartus, aliis *Einardus* aut *Eynhardus* dictus, ex Ottoniano nemore oriundus, CAROLI Magni Scriba, Sacellanus, & Archicapellanus, id eſt, ſecretarius Status & cancellarius, nec non inſpector ædificiorum Palatii aquisgranenſis exſtruendorum, adeoque ſumma Imperatoris gratia florens, & omnium Germaniæ Hiſtoricorum vetuſtiſſimus, proque ætate ſua, immo ſupra ætatem ſuam eleganter, atque ad modum Suetonii ſcribens, ſæcularem ac ſplendidam vitam cum monaſtica & humili tandem commutavit, monachus factus benedictinus, & abbas primus Cœnobii muhlenheimenſis, ab ipſomet ædificati,

quod

Digitized by Google

quod poſtea Seligenſtadienſe dictum. Atque in eo etiam vivere deſiit anno 843. vel ſequente. Idem ſcripſit Epiſtolas LXII. quas *Du Chneſne* collegit ediditque, &, qui perierunt, libros de bello ſaxonico. *Voſſius* de Hiſtor. lat. l. 2. c. 33. p. 96. *Olearius* Biblioth. Scriptor. eccleſ. T. I. 216. *Nova biblioth.* T. IV. 339. & *Neu* Acceſſion. ad Whear. 216.

Marq. FREHERI φιλοποιημα de ſtatura Caroli Magni. In quo ex *Eginharto* refertur, Auguſtum illum corpore fuiſſe amplo, atque robuſto, ſtaturaque eminenti, quæ tamen iuſtam non excederet: nam ſeptem ſuorum (puta, Caroli) fuiſſe pedum. Barbæ Caroli *Eginhartus* non meminit: unde Mar. *Welſerus* in litteris ad Freherum ſcribit, ſe in ea eſſe hæreſi, Carolum barbam non paviſſe; ſaltem prolixam illam, qua plerumque exornatur, ad eum nihil pertinere: & eſſe apud ſe monetam Carolinam veterem, niſi fallatur, puro mento.

Iac. STRVCKHVSII Syntagma hiſtoriæ ſarraceno-turcicæ. Helmſtadii 1664. Quo a Muhammede I. uſque ad Muhammedem IV. Turcorum Imperatorem univerſæ propemodum Muſlimicæ gentis origines, imperia, horumque vices, res item vario Marte geſtæ, & quæ a 1042. inde annis in ſarracenicis turcicisque regnis memoratu præcipue digna contigere, ſecundum optimorum huius argumenti Scriptorum ductum, præſertim vero Arabum Turcorumque annalium fidem, methodo ſuccincta & perſpicua traduntur. In Præfatione dicit auctor, neminem uſque ad præſens tempus fuiſſe, qui peculiari volumine utriusque gentis (ſarracenicæ videlicet, & turcicæ) hiſtoriam tradiderit, Reinerum *Reineccium* in Appendice ad Haythonum intra compendii limites ſe ſe continuiſſe, Petrum *Bizarum* Cœlium Auguſt. Curivaem ſecure deſcripſiſſe, ſe autem in ſarracenicis ſecutum eſſe *Carionem*, *Cedrenum* & *Zonaram*, & in turcicis *Nicephorum* Gregoram, *Nicetam* Choniatem, *Laonicum* Chalcocondylam, & Io. *Leunclavium*.

Iac. *Struckhuſen*, hildesheimenſis, tunc temporis, cum Syntagma hoc concinnaret atque ederet, erat in numero ſtudioſorum helmſtadienſium, e ienenſi academia reverſus. Cumque ampliſſimus Ordo philoſophicus, ſingulari plane indultu, priva-

 tim

tim docendi poteſtatem ipſi faceret, temporis illius, quo in Hungaria cædibus & rapinis Turci omnia miſcebant, rationem habens, ea, quæ ad ſarracenicum & turcicum Imperium ſpectant, compendio enarranda in ſe ſuſcepit.

Georgii TRINCKHVSII Diſſertatiuncula de cæcis ſapientia ac eruditione claris, mirisque cæcorum quorundam actionibus. Geræ 1672. Commemorat autem 1) ex Ethnicis *Tireſiam*, *Democritum*, qui tamen ſe ipſe oculorum luminibus ultro privavit, *Appium*, *Paullum* ſenatorem, Pontium *Lupum*, *Xenarchum*, Caſſium *Longinum*, Aſconium *Pedianum*, Mamertum *Herophilum*. 2) ex viris ſanctis, *Iſaacum*, *Iacobum*, *Ahiam*, *Eli*. 3) ex Chriſtianis *Didymum* alexandrinum, *Pygmenium*, *Abigaum*, *Ferdinandum* flandrum, *Nicaſium* de Werda, *Muleaſſem* regem tunetanum, Rob. *Mancopium*, Lud. *Broomanum*, Galilæum *de Galilaeis*, Lippum *Brandolinum*, Io. *Paſſeratium*, Guil. *Gripium*, Iac. *Gutherium*, Ant. *Bonciarium*, Lud. *Groto*, Vdalr. *Schœnbergerum*, Io. *Smidium*, Innocencentium *ab Einſidel* equitem miſnicum, Io. Burckard. *Grieſingerum*, & Philippum *Boone*.

Georg. *Trinckhuſius*, Ohrdruffio-thuringus, philoſ. magiſter, Gymnaſii Rutheno-gerani conrector, obiit A. 1673. æt. 30. & multa ſcripſit Programmata, nimirum A. 1668. de *σφάλμασι μνημονικοῖς*, ſeu de lapſibus memoriæ doctorum virorum, de ineptis librorum titulis, de contumelioſis cognominibus: A. 1669. diſcurſum ad L. II. ff. Mandati: *Nemo ex conſilio obligetur, etiamſi non expediat, cui dabitur*: A. 1670. de Notis & picturis, memoriæ ac melioris intelligentiæ cauſa inventis, de Pictorum erroribus: A. 1672. Diſſ. I. de Philoſophorum hortis, in quibus docuerunt olim, & philoſophati ſunt. II. de Lyceo & hortis ariſtotelicis. III. de Academico, & hortis platonicis: A. 1673. Diſſ. IV. de hortis ac villis Ciceronis.

Ahasveri FRITSCHII Tractatus de mendicantibus validis. Jenæ 1659. In quo de officio Magiſtratuum circa pauperes, eorum cura & ſuſtentatione, eleemoſynarum diſtributione, exulantibus Lutheranis, vagantibus Scholaribus, eorumque ſtudiis & ſtipendiis, otio & mendicitate licita & illicita, Ordinibus Mendicantium religioſorum, Zigenis, erronibus aliisque impoſtoribus, variis illo-

Digitized by Google

illorum fraudibus ac technis: item de modis coërcendi, cenſura publica, operis publicis, ergaſteriis, & pœnis falſariorum ac ſtellionum diſſeritur, inque fine additur Andr. *Dinneri* Commentatiuncula de iuſto rerum pretio. Atque in hac enodantur quæſtiones: 1. quomodo accipiendum ſit, quod a JCtis dicitur, Licere naturaliter contrahentibus in emtione & venditione ſe invicem circumſcribere? 2. quodnam iuſtum ac verum pretium dicatur in Iure? 3. a quibusnam pretium iuſtum definiri debeat? 4. quarum rerum definiri pretium debeat?

Ahasverus *Fritſchius*, Mugelna-miſnicus, V. I. doctor, & illuſtriſſimi Comitis Schwarzburgici primum in rebus Aulæ & Iuſtitiæ conſiliarius, deinde a conſiliis ſanctioribus, Cancellariæ director & Conſiſtorii præſes, nec non Comes palatinus cæſareus, vir pius, recti iuſtique amans, veri chriſtianiſmi auctor & commendator, conſtans in ſtatione ſua, variasque vocationes declinans, perque multas graviſſimasque calamitates glorioſam in ſenectutem penetrans, undique præclariſſime meritus eſt. Nihil in eo culpandum, quam ſtudiorum & laborum intemperantia, quæ corpori plurima attraxit mala, ut, ſtomachi infirmitatem, paſſiones hypochondriacas, affectum podagricum, & invaſiones arthriticas, donec animo prorſus imperterrito mortem intuitus, & annorum ſatur, æternitatemque anhelans, anno 1701. ætatis fere 73. ad quietem perveniret. Mirum eſt, ae fere incredibile, quot libros & tractatus non in Iure tantum, ſed etiam in ſacris ſcripſerit; eorumque Catalogum editum habemus Lipſiæ apud Io. Heinichen A. 1692. in 12. & quidem bipartitum: latinum, qui ſcripta continet iuridico-politica, & germanicum, ſcripta theologica recenſentem. Inter hæc præcipua ſunt Praxis chriſtianiſmi, Academia piorum ſermonum D. *Lutheri*, Impius chriſtianiſmus, Dormitor eccleſiaſticus, Nugator eccleſiaſticus, Impius frequentator ſacrarum ædium, Analecta ſacra, Pietas *Tauleriana*, Iudicium & conſilium de iuventute a præceptoribus ad pietatem maiori niſu adducenda, Adhortatio ad parentes, ut liberos ſuos probiores, quam ditiores reddere allaborent, Oſtenſio modi, quem academicus ſive ſtudioſus in vita, moribus ac ſtudiis tenere debeat, Diſcuſſio quæſtionis, utrum chriſtianiſmus ſit appellandus Non-ens? Judicium de duellis academicis,

quomodo ſint tollenda? Chriſtianiſmus a Turcis in ruborem datus, Tractatus de viſitationibus amicorum, Manuale pietatis chriſtianæ, Notæ ad *Comenii* Vnum neceſſarium, Suſpiria devotiſſima ſuper euangelia dominicalia, & feſtorum dierum, & Paræneſis ad viros politicos, ut, ſepoſitis interdum negotiis civilibus, ſacris meditationibus dent operam. *Pippingii* Memor. theolog. p. 1105. *Eccard.* Extract menſtr. A. 1702. m. Ian. p. 57. Non accumulabo teſtimonia & laudes, quibus vir optimus a piis & laudatiſſimis viris ornatur: inſtar enim omnium nobis eſto *Spenerianum* hoc Conſilior. & iudicior. latin. P. I. 289. & P. III. 537. quo vir ſalutatur celeberrimus, deque pietate non minus, quam iurisprudentia optime meritus.

Andr. *Dinnerus*, Herbipoli-francus, Conr. *Rittershuſii*, Andr. *Fachinæi* & Huberti *Giphanii* diſcipulus, finita per Galliam, Britanniam, Italiam & Germaniam peregrinatione, & impetratis Tubingæ anno ætatis 22. honoribus doctoralibus, ab illuſtri Senatu noribergenſi ad munus conſiliarii vocatus eſt, & paullo poſt ad profeſſionem Iuris in academia altorfina. Sicut igitur illic, ita & hic eam adhibuit fidem & induſtriam, ut ſpem Patronorum non æquaret duntaxat, ſed longiſſime ſuperaret. Audiebatur magna frequentia a ſtudioſis, ipſe vero lætabatur, ſibique gratulabatur maiorem in modum, quod collega eſſet ſummorum virorum, Scipionis *Gentilis* & Conradi *Rittershuſii* in quorum loca etiam poſtea ſucceſſit. Erat ICtus acris iudicii, & in praxi magnæ dexteritatis, ac velut alter Papinianus; ad hæc orator dicendi peritus, hiſtoricus & philologus excellens, nec minus humanus, quam pius: quæ quidem virtus maximo eum opere & ornabat, & ab ipſo colebatur, utpote ad omnia utilis, & promiſſionem habens huius & futuræ vitæ. Sed ut nihil in humanis firmum ac ſtabile eſt, ita & Dinnerus noſter, quamvis temperanter viveret, & Zenonis exemplo conviviis fere prorſus abſtineret, a phtiſi tamen, tanquam a verme, corroſus, conſumtus, & enectus ex hac vita abiit A. 1633. cum vixiſſet ac laboraſſet annos 54. Sed famam reliquit eruditionis columinis, ſummi litterati, & litteratorum decoris, abyſſi eruditionis, ſcientiarum quaſi maris, & doctorum ſolis. *Witte* Memor. ICtor. p. 145. Ex ingenii monumentis, quæ edidit, habemus Diſpp. de monetæ mutatione, de venatione, ad legem Diffamari, de

de academiis, de Maieſtatis iure ac privilegiis, Orationem de natali altero Academiæ altorfinæ, & aliam de milite veſpertilione, Famam altorfinam, ne dicam de Epiſtolis, in volumine Richterianarum exſtantibus. Ceterum vide, ſis, *Omeiſium* Glor. acad. altorf. p. 52. & Epp. Georgii *Richteri* p. 642.

Ahasveri FRITSCHII Diſſertationes II. de abuſibus typographiæ tollendis, & Zigenorum origine, vita ac moribus. Ienæ 1664. Editio altera. In illa auctor loquitur de abuſibus typographiæ in genere, & in ſpecie, deque remediis illos tollendi: in hac de variis Zigenorum nominibus, de eorundem gente & origine, nec non vita & moribus, eosque in Rep. tolerandos eſſe negat.

EIVSDEM Tractatio de viſitationibus provincialibus utiliter inſtituendis, Von Landviſitationen. Geræ 1671. Atque illa V. abſolvitur capitibus, 1) de viſitationum provincialium antiqua origine. 2) de inſigni earum utilitate. 3) de viſitatorum perſonis. 4) de viſitationis provincialis obiecto. 5) de forma ac modo viſitationis provincialis.

EIVSDEM Diatribe iuridica de iure ac privilegiis hoſpitalium. Ienæ 1672. Quæ quidem IIX. conſtat capitibus: in quorum 1. agitur de Hoſpitalis nomine, definitione ac diviſione. 2. de hoſpitalium prima fundatione & origine. 3. quis hoſpitalia fundare poſſit. 4. de perſonis, quæ hoſpitalium beneficiis gaudere poſſunt. 5. de iurisdictione, inſpectione, & viſitatione hoſpitalium. 6. de cura adminiſtrationis. 7. de privilegiis & immunitatibus hoſpitalium ac cœnobiorum pro exulantibus ac virginibus pauperibus. Et hiſce additur, mantiſſæ loco, deſcriptio Hoſpitalis noribergenſis ad S. Spiritus.

LXVI.

Io. Iodoci BECKII Vollſtændiges und nach dem Curial ſtylo eingerichtetes Formular, Perfectum & ad ſtilum Curiæ compoſitum Formulare. Noribergæ 1718. In quo varia Inſtrumenta, prout a Notariis formantur, obligationes, litteræ commodati & depoſiti, emtionis ac venditionis, locationis & conductionis, emphyteuſeos & feudi, conſociationis & mercaturæ, commutationis & cambii, Inventaria & portionum hereditatis libelli, tutoris & curatoria, donationes inter vivos, pacta ſponſalitia, contractu, &

& compromiſſa, ceſſiones, dationes in ſolutum, novationes, delegationes, aſſignationes, acceptilationes, renunciationes, & mortificatoriæ, teſtamenta, codicilli, chartæ legatorum, appendices teſtamentorum, caſſationes teſtamentorum & legatorum, cautiones, indemniſationes, reverſales, teſtimonia de peractis nuptiis, nativitate, & informatione, atteſtata, litteræ dimiſſionis, ſalvi conductus, tutelæ, defenſionis, & retentionis, vocationes, conſenſus, proteſtationes & reproteſtationes, retorſiones, litteræ mutui compaſſus & liberationis a ſubiectione, recepiſſe, requiſitionis, interceſſionales, & libelli ſupplices varii generis reperiuntur: cum ſolida declaratione & brevi inſtructione, quo modo hæc omnia ſint formanda, quæ cautelæ obſervandæ, & quem in his huiusque generis negotiis uſitatæ exceptiones, beneficia & clauſulæ effectum & vim habeant.

Io. Iodocus *Beck*, natus Noribergæ d. 2. Nov. 1680. I. V. doctor, illuſtriſſimorum Comitum de Hohenloë-Neuſtein, & de Giech conſiliarius, ac Reip. patriæ advocatus ordinarius, nunc profeſſor iuris in academia altorfina extraordinarius, edidit Animadverſiones ad *Hoppii* Comment. in Inſtitut. Iuſtinianeas, Prolegomena Iuris univerſi, Annotationes ad *Struvii* Iurisprudentiam rom. german. forenſem, Praxin auream de iurisdictione ſuperiore, criminali & centena, Tractatum de limitibus, ac Diſputationes de coniugalis debiti præſtatione, de deſponſationibus liberorum neglecto conſenſu Parentum initis, de fatali interponendæ appellationis, deque probatione per teſtes de auditu alieno deponentes.

LXVII.

Io. Paulli KRESSII. Commentatio ſuccincta in Conſtitutionem criminalem Caroli V. Imperatoris. Hanoveræ 1721. In qua non ſolum de Conſtitutionis & Ordinationis ipſius origine, Maximiliano I. veriſimiliter a Goldaſto adſcripta, atque Goldaſtiana, pluribus agitur, Proiectaque comitialia de anno 1521. Wormatiæ, & 1529. Spiræ, hactenus inedita, ex Archivis producta ſedulo cum ſingulis Articulis Ordinationis in Comitiis ratisponenſibus A. 1532. publicatæ, conferuntur, verum etiam ipſius textus ratio ita habetur, ut nihil ad iurisprudentiam criminalem pertinens iudiciariam omiſſum, ſed univerſa doctrina & praxis rerum

cri-

criminalium perſpicue tradita & abſoluta ſit, in uſum tam academicum, quam forenſem. Ipſa etiam Conſtitutio criminalis germanico idiomate hic exhibetur, ſingulisque articulis luculentæ annotationes ſubiunguntur. Libro præmiſit auctor bene longam & eruditam Præfationem, in qua de variis prædictæ Conſtitutionis editionibus, de diligentia & ſtudio ſuo in indaganda eius origine, de lingua, qua illa conſcripta fuit, de eius valore & auctoritate, de variis auctorum iudiciis circa eandem, deque inſtituti ſui ratione diſſerit. In eadem depromit rationes ſuas, cur MAXIMILIANO I. originem Conſtitutionis criminalis adſcripſerit, & cur addiderit vocabulum, *veroſimiliter*, nimirum quia Moguntia aliter atque aliter reſcriptum fuit. Talis liber, ut alios præteream, eſt etiam D. Georg. *Bayeri* Delineatio Iuris criminalis ſecundum Conſtitutionem Carolinam, denuo edita Lipſiæ 1722. 4.

Io. Paullus *Kreß*, Hummelshayna-variſcus, natus A. 1678. die 22. Februarii, humaniora in Gymnaſio gerano, Iuris autem & philoſophiæ ſtudia Ienæ & Halæ excoluit, & in priorem locum reverſus poſt impetratos honores doctorales, magno cum adplauſu iura prælegit, donec A. 1712. Helmſtadium in academiam Iuliam vocaretur, ubi prælectionibus tam privatis, qum publicis, nec non reſponſis ad implorationes aliorum dandis tam ſe præſtat ſedulum, tam induſtrium, tamque accuratum, ut ſpem de ſe conceptam non tantum impleverit, ſed etiam ſuperaverit. Ienæ edidit Diſſertationes de Crimine abactus, de Procuratore fines mandati excedente in proceſſu ſubhaſtationis, de Dardanariatu Ioſephi, de Iure agriculturæ, de paroemia, *Unter dem krumſtab iſt gut vvohnen*; Helmſtadii autem, de Rationibus decidendi, de Iure ſummo iniuria ſumma, de Aequitate ſucceſſionis coniugum. Præterea edidit Specimen iurisprudentiæ forenſis, Commentarium in librum *Pufendorfii* de habitu religionis, *Thummermuthii* tractatum de paroemia, *Krummſtab ſchleuſſet niemand aus*, eique præmiſit Diſſertationem de feudis eccleſiaſticis, cum variis rarioribus annexis.

LXIIX.

Chriſtiani THOMASII Kurzē lehrſætze, Breves poſitiones de crimine magiæ, germanice redditæ, & ex Meyfarti, Naudæi, aliorumque eruditorum ſcriptis illuſtratæ a Io. *Reichio*. Halæ

magdeburgicæ 1704. Suntque duæ huius operis partes, Prior varia ſiſtit ſcripta de ineptiis & iniuſtitia (vom unfug) proceſſus magici, 1) Malleum iudicum. Qui liber videtur ſcriptus eſſe ſæculo XVI. a quodam Proteſtantium. 2) Cautionem criminalem erga magos & ſagas. Quæ auctorem habet Fridericum *Spee*, ieſuitam. Vide Gottfr. *Wahrliebii* Nichtigkeit, Vanitatem actuum magicorum p. 157. 3. Io. Matth. *Meyfarti* Chriſtianam admonitionem ad Magiſtratus & Paſtores, quomodo crimen magiæ ſerio eradicandum, at in perſecutione eius tamen caute procedendum ſit. 4) Varias ſpecies Actorum in cauſſa magiæ, e quibus tam creditorum magorum fraus & dolus, quam inſufficientia & puerilia magiæ iudicia, per torturam expreſſæ confeſſiones, aliæque proceſſus contra magos inſtituti corruptelæ manifeſtantur. Poſterior, titulum habens Vlterioris ineptiarum magiæ, exhibet 1) Gabr. *Naudæi* Apologiam pro celebribus viris, qui magiæ falſo accuſati fuerant. Quæ quidem verſio errores non parvos habet, ob hoc tamen laudanda eſt, quod in capita & numeros diſtincta, & ſummariis eſt inſtructa. 2) Acta diabolorum in urbe Galliæ Lodunenſi. 3) Hiſtoriam de magia Lud. Godofredi. 4) Chriſt. *Thomaſii* poſitiones de crimine magiæ. Quibus adiuncta ſunt Additamenta, 1. Hieronymi a *Sancta fide* Refutatio Cogitationum anonymi cuiusdam contra Thomaſii doctrinam de crimine magiæ. 2. G. B. M. D. Philoſophica inveſtigatio vis & operationis diaboli in corporibus naturalibus. Auctor eſt *Buchingius*. 3. *Thomaſii* Reſponſum iuridicum de quæſtione, num quis propter metum a ſpectris conductioni domus renuntiare poſſit. 4) *Eiusdem* Examen hiſtoricum originis & progreſſus inquiſitionis contra ſagas. In quo clare oſtenditur, diabolum, qui ſecundum vulgarem opinionem pacta cum iis init, venerem cum iisdem exercet, atque in montem Melibocum eas ducit dicam? an abripit, ante unum duntaxat ſæculum cum dimidio natum eſſe. Omnia hæc ſcripta eo collineant, ut præiudicia & ſuperſtitiones, quibus maxima pars hominum in hac materia inde uſque a puero vexatur, eximantur, & horribilibus atque inhumanis proceſſibus inquiſitionis peſſulus obdatur. Sed & hinc factum, ut multi ſurrexerint, qui arma arriperent, & pro vulgari opinione, tanquam pro ara & foco, decertarent, donec ſæpius repulſi, nec minus delaſſati, arma poſuerunt, ſuavique ſe dederunt quieti. Io.

Digitized by Google

Io. *Reiche*, derenburgenſis, natus A. 1674. primum theologiæ, deinde Iurium ſtudioſus, ac *Stryckiorum*, *Bodini*, & *Thomaſii* diſcipulus, Philoſ. & Iurium doctor minime vulgaris, ſed exquiſita doctrina, verique & iuſti ſtudio ut qui maxime ornatus, propterque ea celebritatem in orbe erudito conſecutus maximam, atque hinc conſiliarius aulicus apud ſereniſſimum Principem Haſſiæ homburgicum, & rever. Capituli cathedralis ædis magdeburgenſis ſyndicus conſtitutus, divitias eruditionis & prudentiæ ſuæ non in illorum duntaxat commodum diſpenſat, ſed etiam ſatis oſtendit & comprobavit Diſputationibus de coloſſis, & iure coloſſorum.

LXIX.

Chriſtiani THOMASII Ernſthaffte, aber doch mundere Gedancken, Seriæ, at liberales tamen & experrectæ Cogitationes atque animadverſiones in varios actus iuridicos. Halæ Magdeburgicæ 1720. & 1721. Partes IV. vol. II. In quarum prima agitur 1. de muliere infanticidii ſuſpecta. 2. de clavigero, ſive frumentorum receptore & adnotatore, (vom Kornſchreiber) qui ex odio a ſuo monaſterii adminiſtratore accuſatus eſt. 3. de abſolutis ab inquiſitione, quod non ſemper iis liceat vindictam ſumere a denunciantibus. 4. de inferiore magiſtratu, an & quatenus cæſionem virgarum aut proſcriptionem in mitiorem poſſit mutare pœnam? 5. de rudi præfecto, qui læſionem aliquam illegitime voluit vindicare. 6. de muliere avara, quæ maritum ſuum ſponſalibus ad lucrum directis circumvenire ac defraudare voluit, ſed ipſa ſe poſtea defraudatam vidit. 7. quid faciendum, ſi quis iniuriam paſſus eſt, nec ſcit, a quo. 8. de informi, quamquam ab excelſa manu ſcripto, atteſtato. 9. Originale inepti alicuius rabulæ. 10. de informi regiſtratura, atque intempeſtivo ſuper illam ſtrepitu. 11. an, & in quantum conceſſio privilegii pro coquo pertineat ad regalia, nec ne 12. de clandeſtinis litteris Magiſtratus, in transmiſſione Actorum. 13. de ſacerdote, qui in concione ſua alios lædit. 14. de fraudulenta transactione cum ſacerdote. 15. de tribuum ſive ſocietatum urbicarum uſurpatione iuriſdictionis. 16. de duobus liberis, qui ſuſpecti erant, quod ſororem ſuam ſuſpenderint. 17. de Collegio SS. Simonis & Iudæ goslarienſi, an immediatum & liberum

berum ſit Collegium. 18. abſolutio feminæ cuiusdam, quæ illegitime criminis magiæ accuſata fuerat. 19. de partialitate Iudicum, qui in rebus inquiſitionis ſententias ſibi diſplicentes ab Actis removent. 20. de periculo corporis & animæ, nec non amiſſione honoris ac reputationis, qui ex abuſu indifferentium, vel etiam alias utilium rerum oriuntur. 21. de pœna ſenis alicuius, qui filiolum ſuum recutito alicui vendere voluit. 22. de ſalvo conductu, eique annexis conviciis. 23. de prudentia iudicum in dimiſſione delinquentium, cum horum cautione. 24. de miſerabili ſtatu alicuius in atheiſmum prolapſi eruditi. In ſecunda 1. de præſente ſtatu adminiſtrationis iuſtitiæ, eiusque futura correctione. 2. de differentia inter vim publicam, & alias in via publica actiones frivolas. 3. de imparibus Principum S. Rom. Imperii & feminarum tenuis ſortis ſponſalibus. 4. de novo tentamine tollendi longitudinem proceſſuum in foro. 5. de ſignis & prudentia medici politici, qui forte ad contrahendum diuturnos proceſſus poteſt adhiberi. 6. Politici cuiusdam halenſis Iudicium A. 1614. conſcriptum, cur Formulæ concordiæ non poſſit ſubſcribere. 7. Annotationes ad præcedens Iudicium. 8. de coniugio ſacerdotis cum defunctæ uxoris ſorore, & num Dominus territorii id poſſit permittere. 9. de iure feudali longobardico & germanico, atque utrum ſit præ altero attendendum. 10. de exemplis inſulſorum atque abſonorum proceſſuum contra magos & ſagas. 11. Ioannis *Schvvarzkopfii*, cancellarii wolfenbuttelenſis, Iudicium de ordinatione iuris circa ſacra: huc uſque valde rarum. In tertia 1. de reliquiis papatus politici in inquiſitione adverſus innocentes homines. 2. de comicis, morionibus, carnificum filiis, & chartæ confectoribus, an, & in quantum ad dignitates academicas poſſint admitti? 3. de ſtatu & iure impari in coniugio procreatorum liberorum, deque concubinis Principum. 4. de proceſſibus contra ſagas, nullum habentibus fundamentum. 5. de miniſtro, qui cavet, ne odioſis ſe ſe negotiis immiſceat, an puniri poſſit? 6. de collegarum odio & invidia, larva iuſtitiæ obtectis. 7. de tali ſtatu inter Iudicia & advocatos. 8. de affectibus Superiorum erga inferiores. 9. de affectibus inter Eccleſiaſticos & Civiles regnantibus. 10. de concubinatus ſine fundamento accuſatione. 11. de hypocriticis prætextibus violenter defendendi antiquas & fundamento

to deſtitutas doctrinas in rebus matrimonialibus. 12. de variis quæſtionibus & controverſiis circa ius patronatus eccleſiaſtici. 13. de homine duabus feminis fidem matrimonii pollicente, nuptiasque cum ea celebrante, quam poſtremo ſibi deſponſavit. 14. de diſſolutione ſponſalium per fraudem factorum, ſi fraus ſit demonſtrata. 15. de diſſolutione ſponſalium & coniugii, propter enatum odium. 16. de diſſolutione matrimonii ob incurabilem & contagioſum morbum alterius coniugum. 17. de iure eruditorum exterminandi e vicinia opifices ſtrepitoſos. In quarta denique 1. de lutherano, qui ad romanam ſive catholicam tranſit eccleſiam, utrum ſalutem amittat? Vbi Iudicia adducit non tantum Theologorum helmſtadienſium, ſed etiam aliorum cum Theologorum, tum Politicorum, inter quæ tamen quædam omiſſa ſunt. Indicat autem initialibus litteris 1) Chriſtian. Henr *Behmium*, ſuperintendentem tunc general. gandersheimenſem. 2) Caſp. *Calvoerium*, ſuperintend. zellerfeldenſem. 3) Io. *Fabricium*, prof. helmſtad. 4) Herm. *von der Hardt*, prof. helmſtad. 5) Io. Barthold. *Niemeierum*, prof. helmſtad. 6) Adamum *Rechenbergium*, prof. lipſienſem. 7) Chriſtianum *Spechtium*, abbatem riddageshuſanum, 8) Io. Andr. *Schmidtium*, prof. helmſtad. 9) Frid. *Weiſium*, prof. helmſtad. 10) Chriſtoph. Tob. *Wideburgium*, prof. helmſtadienſem. Hoc tamen reſcivit illuſtris auctor, Iudicia illa non expetita fuiſſe ante, ſed poſt ſententiam ſponſalium; nec informationis, ſed curioſitatis cauſſa: quamquam hoc nemini tunc, niſi uni notum erat. 2. de crimine læſæ maieſtatis, ſi euangelici ſacerdotes Principi ſuo abſolutionem & uſum S. cœnæ denegare audent. Quod reſponſum iam plenum & integrum in lucem producitur. 3. de prudenti circumſpectione Principum euangelicorum in punitione papizantibus Vniverſitatum doctrinis ſeductorum, quamvis enormiter aberrantium ſacerdotum. 4) de aliquibus quæſtionibus circa codicillum aliquem. 5. de V. quæſtionibus circa fideicommiſſum. 6) de politico inter Sacerdotes euangelicos papatu in puncto, ut ita loquar, hæretificationis. 7. de papizante renitentia aliquot Sacerdotum contra ipſorum Magiſtratum. 8. de valore teſtamenti, editione inventarii, & legato pro teſtamenti ſcriba. 9. de ſenſu Conſtitutionis electoralis ſaxonici de ſervitiis quæ ruſtici Nobilibus præſtare debent. 10. de iuramento purgato-

gatorio, ad denunciationem diſſolutarum feminarum non facile adiudicando. II. Exemplum cœptæ accuſationis de læſione ultra dimidium. Et hiſce IV. Partibus totidem præmittuntur Præfationes, in quarum prima excellentiſſimus auctor loquitur de ſuis fatis, quæ inde iam a pluribus annis expertus eſt, de ſcriptis ſuis, eorumque adverſariis, item de propoſito ſuo edendi Reſponſa iuridica; in ſecunda iudicium ſuum promit de ſingulis hac in Parte contentis Reſponſis, dubitans, an primum ſit Io. Reinholdi *a Patkul*, Legati ruſſici, & Regis Poloniæ conſiliarii intimi; tertia de inquiſitione contra ſe inſtituta, de qua primum ſcriptum agit, idque verboſius, verba facit, ſe ſe excuſans, quod Annotationes ſuas in primum Iudicium Partis II. de correctione iuſtitiæ adminiſtrandæ nec dum producat; in quarta iudicium ſuum de tranſitu ab eccleſia Proteſtantium ad Romanam contra auctorem *Non conducti agentis* defendit, ac denuo ſpem facit edendorum Tentaminis hiſtoriæ contentionis inter Magiſtratum & Sacerdotium de iure eccleſiaſtico, & Cogitationum ſuarum in primum ſcriptum Partis II. de correctione emendationis rerum ad Iuſtitiam pertinentium, cuius iam verum auctorem ait ſe ſcire. Sed an otium ſibi futurum ſit, Brunſvicenſis etiam Iudicii, quod ultimum eſt in II. Parte, illuſtrationi operam dare, dicere non audet.

Bedencken uber II. Fragen, Iudicia de II. quæſtionibus, collecta & edita a Chriſtiano IRENOPHILO. A. 1721. Quæſtiones ſunt hæ, 1. propoſitæ a sereniſſ. Principe: 1. An quivis, lutheranæ aut catholicæ religioni addictus, ſi Ieſum Chriſtum pro medio ſalutis agnoſcat, eiusque meritum & iuſtitiam vera fide apprehendat, ſalutem conſequatur æternam. 2. An princeps in religione Proteſtantium educata, ſi ei offeratur coniugium cum Principe romano-catholico, ſub hac conditione, ut ipſa ad eius ſacra ſe recipiat, ſine diſpendio ſalutis æternæ hoc facere poſſit, præſertim, ſi ex concurrentibus circumſtantiis providentia animadverti & ſpectari poſſit divina? Atque ad has quæſtiones VI. hic dantur Iudicia ſive Reſponſa: quorum primum eſt Hermanni Chriſtiani *Spechtii*; ſecundum Io. Andr. *Schmidtii*; tertium Io. *Fabricii*; quartum Chriſtoph. Tob. *Wideburgii*; V. Hermanni *von der Hardt*; ſextum Godofredi Guilielmi *Leibnitii*. Quis autem Chriſtianus ſit *Irenophilus*, qui Præfatiunculam & Epilogum addidit, fateor me neſcire.

LXX.

LXX.

Io. Philippi ODELEMII Expoſitio panegyrica numiſmatis argentei in memoriam ducalis palatii Salzthalenſis terræ Brunsvico-Luneburgicæ. Wolfenbuttelii 1708. Ab illo igitur numiſmate occaſionem ſumit loquendi de perſona ſereniſſimi Ducis ANTONII VLRICI, eiusque celſiſſima familia, de pileo ſeu corona ducali, Principum in Imperio romano-germanico auctoritate & poteſtate, de antiquitate & præeminentia Ducum Brunsvicenſium & Luneburgenſium, de differentia inter ipſos ſecundum duplicem lineam, de cœnobio, horto & palatio Salzthalenſi, eiusque picturis, ſtatuis & aliis admirandis. Expoſitionem ſequitur Monumentum cœnobii Salzthalenſis ſive Diſſertatio de primitivæ eccleſiæ monialibus.

EIVSDEM Catechetiſche vertheidigung, Catechetica defenſio quæſtionis, An Princeps lutheranus, propter impetrationem ſpiritualis officii, ſine offenſione conſcientiæ ſuæ & æternæ ſalutis amiſſione, a ſua religione ad romanam tranſire poſſit? Coloniæ 1712. contra Mich. *Treguenii* Prufung ſive Examen. Ipſe quidem adfirmat, & rationem rubri ſui reddit, ex Catechiſmo Petri *Caniſii* ieſuitæ maiori oſtendens, Romanam eccleſiam non prohibere lectionem S. ſcripturæ, nec reiicere fiduciam fidei, nec in operibus ponere iuſtificationem, nec fiduciam collocare in hominibus, nec adorare imagines & reliquias Sanctorum, nec laicos calice privare, nec miſſæ incruento ſacrificio violare cruentum ſacrificium Chriſti, nec Papam pro Chriſti vicario agnoſcere contra Domini noſtri mandatum, nec prohibere coniugium, & uſum ciborum.

EIVSDEM Diſſertatio de reliquiis Conſiſtoriorum Proteſtantium romano-catholicis, 1713. Qua ex divini, canonici ac civilis Iuris, nec non Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ac politicæ principiis oſtenditur, Proteſtantes quidem in eccleſiaſticis iurisdictionem papalem recte abieciſſe, pleroſque tamen eiusdem concluſiones in Conſiſtoriis retinere ſuis. Editio ſecunda

EIVSDEM Reſponſio ad Chriſt. Frid. *Plathneri*, ICti & ſyndici goslarienſis, Quæſtionem I. Centuriæ I. An pactum inter coniuges, quo maritus ſuo in uxorem imperio renuntiat, atque in illam

lam reſignat, valorem habeat? Sed auctor præiudicialem hanc ponit quæſtionem: An detur quoddam in uxorem imperium maritale? pluribusque eam rationibus negat, ac tandem concludit, inter coniuges eſſe ſocietatem, imperium vero nullum.

EIVSDEM Apologia Diſſertationis inauguralis de Relis quiiſ ſacramenti in matrimonialibus. Brunsvigæ 1716. Qua D. Valent. Ern. *Læſcheri* Narrationes innocuæ (Vnſchuldige Nachrichten) de A. 1705. p. 118. & ſeqq. nec non D. Mich. Henr. *Gribneri* Diſſertatio de his, quæ ex Iure Proteſtantium matrimoniali ad reliquias ſacramenti perperam referuntur, ad modum promulſidis examinantur ac diſcutiuntur,. Cum Epilogo, in quo de ſacramento coniugii, de antichriſto, de Papæ romani primatu & infallibilitate, de ſcripturæ S. obſcuritate, de traditionibus, de fide carbonaria, de cærimoniarum multitudine, de abſolutione ſacerdotali diſputat, atque in ſingulis aliquid fermenti pontificii ad noperveniſſe autumat: ſtatuit quoque, Romanenſes nobiſcum conſentire in articulis fidei eſſentialibus, & reformandos eſſe proceſſus iuris æternos nimisque ſumtuoſos.

EIVSDEM (qui quidem, ſicut in tribus ſcriptis ſequentibus, ſub *Chriſtiani Anonymi* nomine latere voluit,) Ammerckungen, Annotationes in D. Val. Ern. *Læſcheri* Demam refutatum, eiusque IV. Quæſtionem, An S. ſcriptura ab omnibus legi poſſit? 1716. Vbi quidem Odelemius putat, non eſſe promiſcue ab omnibus legendam, ſed ab illis, qui ſine offenſione id facere queant.

EIVSDEM Anmerckungen, Annotationes in M. Io. Chriſtiani *Kochii* Indifferentiſtam refutatum, & D. Valent. Ern. *Læſcheri* Narrationes innocuas de A. 1716. pag. 1054. & A. 1717. 225. Francofurti & Lipſiæ 1719. Ad eas reſpondet *Kochius* in Narrationib. innoc. A. 1719. 842.

EIVSDEM Beantwortung, Reſponſio ad D. Io. Gottlob *Stolzii* ſic dictam Merito reiectam theologicam & politicam neutralitatem religionis, cum Admonitione ad tollendam & abſcindendam ſectariam vim conſcientiarum, auctoritatis humanæ idololatriam, & controverſiarum non neceſſariarum gangrænam, e contrario ad ſectandam veram fidei communionem. Francofurti & Lipſiæ 1719. Recenſita in *Nova bibliotheca* T. IX. 905.

EIVS-

EIVSDEM Papiſtiſche herrſchafft der lutheriſchen Prediger, Reliquiæ papo-cæſariæ romanæ in diſciplina eccleſiaſtica apud Lutheranos. 1722. Loquitur nimirum de illa vi ac poteſtate, quam non nulli Eccleſiæ miniſtri uſurpare audent in denegando certis hominibus, quos pro reis habent, acceſſu ad confeſſionem & S. cœnam, atque in reſiſtentia erga Magiſtratum, meliora ac moderatiora præſcribentem. Tale quid contigit Brunsvici, unde magni motus & turbæ ſecuti ſunt. Collidebantur tunc temporis Magiſtratus una cum Capitaneis civitatis & Miniſterium, & ab utraque parte petebantur Reſponſa a diverſis exteris Miniſteriis & Facultatibus academicis, & quamvis Miniſterii auſibus faverent Miniſteria *ſtralſundenſe*, *lubecenſe*, *hamburgenſe*, *luneburgenſe*, *cellenſe*, *hanoveranum*, & *hildesheimenſe*, omnibus tamen id modis improbarunt Facultas theologica *vitembergenſis*, Iudicium eccleſiaſticum *roſtochienſe*, & Facultas ICtorum *marpurgenſis*. Atque omnia hæc Reſponſa, quæ huc uſque perrara atque ignota erant, ac ne quidem in reverendi *Rehtmeyeri* Hiſtoriæ eccleſiaſt. brunſvic. Parte IV. c. 4. ubi de his motibus ſermo eſt, reperiuntur, collegit, & collecta exhibet auctor noſter, atque ideo laudatur ab illuſtri *Thomaſio* in Præfatione in IV. Partem Conſiliorum iuridicorum. Vitam & ſcripta eius aliqua recenſuimus P. IV. huius operis, p. 482. illis autem addenda ſunt ſequentia: Victorini *Severi* Literæ amicæ ad Io. *Schmidelium*, prof. erfurtenſem, de transmiſſione Actorum. A. 1706. Chriſtiani *Anonymi* Literæ theologico-politicæ de sereniſſimi ANTONII VLRICI, qua religioni reformatæ addictos ad iura civitatis brunſvicenſis invitavit. A. 1708. & Epiſtola reſponſoria de tolerantia omnium in Imperio romano-germanico receptarum religionum. A. 1709. Neque etiam elaboratis, ſed hoc quidem tempore ineditis deſtituitur: audivi enim, in MSStis apud eum quieſcere Obſervata practica ad Receſſum Imperii noviſſimum, de anno 1654. Tractatum de furto, eiusque pœnis: Obſervationes ad Hug. *Grotii* definitionem Iuris naturæ: Diſquiſitionem de tribus Parcis: Hiſtoriam *Ioſephi* ex Alcorano deſcriptam, cum Notis: Animadverſiones ad Sam. *Pufendorfii* Ius feciale: Conſiſtorialia brunſvicenſia: Iure defenſam theologicam & iuridicam religionis neutralitatem: Iudicium de expreſſo pacto ad venditionem in ſcriptis celebrandam neceſſario,

per ſententias & reſponſa *Lipſienſium*, *Helmſtadienſium*, *Roſtochienſium*, *Kilonienſium*, *Vitembergenſium*, *Gieſſenſium*, *Francofurtenſium*, *Ienenſium* & *Halenſium*, contra ICtos altdorfinos: & Schediaſma de reliquiis papatus in diſpenſatione graduum matrimonii prohibitorum.

LXXI.

Hermanni Adolphi MEINDERSII Antiquitates ſaxonicæ & francicæ, ſacræ & profanæ. Lemgoviæ 1711. Specialis titulus hic eſt: Tractatus-hiſtorico-politico-iuridicus de ſtatu religionis & reip. ſub Carolo M. & Ludovico Pio; isque IV. Diſſertationibus abſolvitur, quarum prima Commentarium ad Capitularia II. CAROLI M. de partibus Saxoniæ continet: ſecunda religionem Gentilium & ſtatum religionis chriſtianæ, aliasque res & ritus eccleſiaſticos veteris Saxoniæ & Weſtphaliæ ſub CAROLO & LVDOVICO Pio explicat, & fundamenti loco Indiculum ſuperſtitionum & paganiarum ſaxonicarum, in concilio liſtinenſi A. 743. promulgatum exhibet, Profeſſionemque fidei vetuſtam ſaxonicam cum abrenunciationis Formula proponit: quarta de collegiis & monaſteriis antiquis veteris Saxoniæ agit. Eique adduntur 1) Diſſertatio de origine ac iure decimarum in antiqua Saxonia ſive Weſtphalia. 2) Statuta Capituli bilefeldenſis correcta, & Papæ ac Guilielmi, Iuliacenſium, Clivorum & Montium Ducis auctoritate confirmata. Atque hæ Diſſertationes, iudicio doctiſſimorum virorum, qui *Acta eruditorum* colligunt, Supplement. T. VI. 217. ſummo ſtudio ab auctore noſtro elaboratæ ſunt, & ſalivam movent ad reliquas, quas promiſit, lucubrationes expetendas. Vide modo memorata *Supplementa* Actorum erudit. & *Ingenuas cogitationes* ſuper Diariis, Extractis & Scriptis menſtruis, T. I. 936. Neque ſilentio a nobis prætereundum, præter generalem, fere ſingulis Diſſertationibus præfixas eſſe eruditas Præfationes, & lectu dignisſimas: nam in prima docet, Saxoniam olim diviſam fuiſſe in Weſtfaliam, Angariam & Oſtfaliam; Capitulationem CAROLI M. de partibus Saxoniæ deberi eruditæ diligentiæ Ferdinandi a *Furſtenberg*, qui poſtea evectus eſt ad Epiſcopatum & Principatum monaſterienſem ac paderbornenſem, multaque ex ea licere diſcere, denique Weſtfaliam nomen ſuum ſortitam eſſe a plaga ſive

ve agris occidentalibus: in ſecunda, *Indiculum* ſuperſtitionum & paganiarum ſaxonicarum, cum *abrenuntiatione diaboli, & Profesſione fidei ſaxonica*, a prædicto *Ferdinando*, tanquam prædives ſpolium, e bibliotheca vaticana in Germaniam allatum, vetuſtiſſimum eſſe antiquitatis ſaxonicæ monumentum, e quo, quantis in tenebris ſuperſtitionis & idololatriæ verſati ſint Germaniæ populi, cognoſcere liceat: in tertia de occaſione & ſcopo Diſſertationis ſuæ agit, nempe cum promiſerit Cl. Henr. *Meibomius* iunior Tractatum de veritate vel falſitate carolinorum diplomatum, & *Goldaſtus* libellum de venditatis Cæſarum Regumve donationibus, ſe ſe eorum monitis inſtinctum materiam illam voluiſſe tractare; neque vero hac diſputatione ſibi conſtitutum ullius iuribus aut privilegiis præiudicium facere: certe Principum, Epiſcoporum atque Abbatum privilegia & iura regalia melius in conceſſione poſteriorum Cæſarum, donationibus Regum, ut & longi temporis præſcriptione, & bona fide, quam in fictitiis atque adulterinis, aut ſaltem dubiæ fidei & ſuſpectis tabulis fictisque diplomatibus fundata eſſe. In generali autem præfatione ægre fert, non exſtare, ſi Io. *Gryphiandrum* & Io. Iuſtum *Winckelmannum* excipias, ſcriptorem commodum & eruditum, qui de rebus weſtfalicis vetuſtis & recentioribus aliquid memoriæ & litterarum monumentis commendaverit; ſe præſenti opere hiſtoriam criticam & politicam Weſtfaliæ, non per annorum ſeriem, quod Annales faciant, ſed per ſumma rerum capita, & veluti in univerſum dare; & IV. iſtas Diſſertationes debere quaſi eſſe prodromum X. aliarum, quas ad publicandum in parato habeat. Quænam vero illæ 1. de ſtatu chriſtianæ religionis & rituum eccleſiaſticorum in veteri Saxonia ſive Weſtfalia, tempore CAROLI M. & LVDOVICI Pii. 2. de forma & regimine Reipublicæ ſaxonicæ antiquæ & modernæ. 3. de re militari veterum Francorum & Saxonum. 4. de origine, progreſſu & moderno ſtatu, item præſtantia & antiquitate nobilitatis weſtfalicæ. 5. de origine ſervitutis & decimarum in antiqua Saxonia ſive Weſtfalia. 6. de iudiciis criminalibus veterum Francorum & Saxonum; ubi de origine *Iudicii occulti vveſtfalici* curioſe inquiritur. 7. de re nummaria Francorum & Saxonum. 8. de re domeſtica, ſive œconomia veterum Francorum & Saxonum. 9. de lingua veterum Francorum & Saxonum, eorum-

 que

que veſtitu & habitu. 10. de eorundem legibus. Exſtant etiam apud eundem MSS. opuſcula ſequentia: 1. Bibliotheca curioſa weſtfalica, ſive recenſio auctorum, qui de rebus weſtfalicis & ſaxonicis ſcripſerunt. 2. Introductio ad hiſtoriam Weſtfaliæ. 3. Ius publicum ravensbergenſe. 4. Series Comitum ravensbergenſium hiſtorica, genealogica & politica. 5. Antiquitates bilfeldienſes. 6. Antiqq. Schildeſienſes. 7. Antiqq. & origines hervordienſes. 8. Antiqq. & origines angarienſes.

Herm. Adolph. *Meinders*, weſtfalus, conſiliarius regius, gogravius ſive director Dicaſterii ravensbergenſis, & ICtus bilfeldienſis, immortaliter meritus eſt de patria ſua, immo de univerſa Germania, quod tantum temporis & laboris rebus Teutoniæ perſcrutandis impendere, multaque, quæ in tenebris iacebant, aut falſorum nebulis obducta erant, in lucem proferre & repurgare voluerit. Hac profecto ratione lucidiſſime demonſtravit, verum ſe eſſe Saxonem, qui & viribus corporis valeat & ingenio ad tantos labores ſubeundos ac perficiendos. Vnde & elogium viri eruendis patriæ antiquitatibus diligenter incumbentis, in Tomo VI. *Supplem.* Actorum erudit. p. 212. iure meritoque nactus eſt.

EIVSDEM Theſaurus antiquitatum francicarum & ſaxonicarum, tam ſacrarum, quam profanarum. Lemgoviæ 1710. Qui quidem eſt catalogus MSStorum, quæ auctor ad edendum habet parata: de quibus iam ſupra dictum.

EIVSDEM Diſſertatio de iudiciis centenariis & centumviralibus, ſive criminalibus & civilibus veterum Germanorum, in primis Francorum & Saxonum. Lemgoviæ 1715. Oppoſita Io. Laur. *Fleiſcheri* Diſſertationi inaugurali, ſubque præſidio illuſtris Thomaſii habitæ, de vera origine, natura, progreſſu & interitu iudiciorum weſtfalicorum.

EIVSDEM Tractatus de origine, progreſſu, natura ac moderno ſtatu nobilitatis & ſervitutis in Weſtfalia. Cum Commentario ad Ordinationem provincialem ravensburgenſem de hominibus propriis, ſive de iure colonario, vulgo, *Vom eigenthums-recht in Weſtphalen.* Lemgoviæ 1713. Hanc materiam ita tractat auctor, ut, ſicut in Præfatione exponit, tribus hominum

inter

Digitized by Google

inter eruditos, ac præcipue Iuris ſtudioſos, generibus ſatisfeciſſe ſibi videatur: alii enim in ſtudiis curioſitatem & animi oblectationem ſectantur, alii humaniorum & hiſtoriarum atque antiquitatum tractationem ſtudio iuris iungunt, alii denique de pane lucrando cogitant. In illorum gratiam latiſſime explicat, quænam libertatis ac ſervitutis fuerit antiquiſſima ratio, natura ac conditio apud vetuſtiſſimos Germanos: ad iſtorum palatum ſunt ea, quæ in prima & ſecunda Parte ſpeciali, nec non in Appendice afferuntur: & pro hiſce faciunt Præiudicia & Iudicata ſingularia, item Deciſiones & Concluſiones, ex ICtis celeberrimis petitæ, quæ in utroque Commentario, theoretico, puta, & practico, immiſcentur. Ceterum ſcripſiſſe quidem & *Stammium*, *Huſanum* ac *Mevium* ait de ſervitutibus, ſed perperam ex Iure civili omnia iudicare ac decidere auſos eſſe; meliusque rem tractaſſe *Pottgieſſerum* in elegantiſſimo atque eruditiſſimo libello de ſtatu ac conditione ſervorum, tam antiquo, quam hodierno, in Germania noſtra.

EIVSDEM Vindiciæ libertatis antiquæ ſaxonicæ ſive weſtfalicæ, & iuſta explicatio Diplomatis *Carolini* Trutmanno Comiti prætenſe dati A. 779. Lemgoviæ (1713) Putat autem, Formulam iſtam non eſſe ſpecialem, uni homini vel viro illuſtri, cui *Trutmanni* nomen fuerit, ſed generalem atque univerſalem, omnibus fidelibus Saxonibus, (quippe qui Trutmanni, quaſi Treue mænner appellati fuerint) ſaltem primi ordinis, ſive ex primaria nobilitate, ob iuratam fidelitatem, a CAROLO M. conceſſam. Atque hic multis diſputat contra *Rhetium* & *Cocceium*.

EIVSDEM Bedencken und Monita, Cogitationes & monita, quomodo ſine cœco zelo & præcipitantia in proceſſu ſagarum & inquiſitione magica, a parte tam iudicis, quam regii fiſcalis & defenſoris in terris regiis pruſſicis & electoralibus brandenburgicis agendum ſit. Lemgoviæ 1716. Vbi auctoris ſententia hæc eſt, proceſſus ſagarum, inquiſitorium videlicet & accuſatorium, reſtringendos potius, quam extendendos, neque alterutrum inſtituendum, donec adſit corpus delicti & rei exiſtentia ſive evidentia, nec non cauſſa proxima cauſſati: neque vero tunc ſtatim ad capturam & torturam progrediendum, ſed caſum dubium, vel ſpeciem facti, & ſtatum controverſiæ cum omnibus circumſtan-

tiis ad Facultatem aliquam iuridicam, immo, pro facti qualitate & rerum circumſtantiis, ad theologicam vel medicam, & porro Reſponſum ex academia acceptum ad Aulam, ut ab ea vel confirmetur, vel reformetur, transmittendum; ſique huic placet, ut proceſſus inſtituatur, eum advocato fiſci committendum, pariterque defenſori iniungendum, ſuas ut partes, ſecundum conſcientiam & ſanam rationem, probe accurratiſſimeque obſervet. Praeterea ſi corpus delicti & cauſſa proxima in aprico, & ſatis probatum, hinc inde deductum, ſubmiſſum, & ſententia lata eſt, Acta iterum ad iuridicam aliquam, aut, ſecundum rationem circumſtantiarum, ad aliam Facultatem, ut ea ſententiam formet iudicialem cum rationibus dubitandi & decidendi, & hanc rurſus ad Aulam, ſiye ad confirmandum ſive ad reformandum, ire iubendam.

LXXII.

CAROLI VI. Imp. Wahl-Capitulation, Capitulatio. Lipſiæ 1712. Cum neceſſariis Annotationibus, ex hiſtoria, fundamentalibus Imperii legibus & Actis publicis, ubi pariter diſcrimen oſtenditur Delineationis capitulationis perpetuæ. Ex Præfatione notandum: Capitulationem eſſe pactum, certis capitibus & articulis comprehenſum: CAROLI V. Capitulationem eſſe primam, CAROLI autem VI. excellentiſſimam: eandemque primam, ad quam concurrit Legatio regia Bohemica; neque in ea nude ac ſimpliciter reſpectum fuiſſe ad præcedentes Capitulationes, ſed in primis ad Delineationem perpetuæ capitulationis; atque adeo, ſecundum illam, cuncta elegantiori proponi ordine: ſpemque ali poſſe, hoc ſyſtema capitulationis multum collaturum ad Perpetuæ partum capitulationis: ſicut non crude adfirmandum, Capitulatione reſtringi poteſtatem Imperatoris, ita certum eſſe, quod Imperator in gubernatione Imperii non maiorem poſſideat poteſtatem, quam quæ ipſi datur per Capitulationem: veram totius ſtatus in S. rom. Imperio ſub quovis Imperatore formam ſive faciem non poſſe melius, quam ex Capitulatione iureiurando confirmata cognoſci: hiſtoriam Capitulationum petendam ex *Conringio*, *Rachelio*, & *Limnæo*: denique commentatorem nulli ſe parti addixiſſe, ſed rem tractaſſe ſimpliciter, & citra cuiusquam præiudi-

iudicium, quaſi medium inter Cæſareanos, Electorales & Principales.

Carolus, natus A. 1685. Kalendis Octobris, LEOPOLDI magni filius, poſt obitum CAROLI II. a Patre cum conſenſu IOSEPHI Romanorum Regis declaratus Rex Hiſpaniarum, ut ius ſuum perſequeretur, per Hollandiam, Angliam & Portugalliam in Hiſpaniam abiit, & ope Fœderatorum Barcellonam occupavit, ac fortem in aliquot expeditionibus ſe ſe exhibuit; totamque ſibi ſubieciſſet Hiſpaniam, niſi redeundum ipſi in Germaniam, ut fratri IOSEPHO in faſtigio Imperiali ſuccederet, & conditiones fœderum, miris hominum artibus, poſtea perforatæ ac violatæ fuiſſent. Interim Imperium romano-germanicum, & Regna, Principatus ac Provinciæ inclytiſſimæ Domus Habsburgicæ gaudent iam CAROLO, Imperatorum Romanorum huius nominis VI. & Regum Hiſpanorum III. faxitque Deus, ut eo diu, atque ad extremam eius ſenectutem gaudeant, quoniam omnibus illis ſcientiis ac virtutibus ornatus atque inſtructus eſt, quæ in tali ac tanto Monarcha ſunt neceſſariæ. Plura non addo, ne Panegyricum eius videar ſcribere velle: quin lubentiſſime fateor, me illas dotes, quibus divina eum gratia beavit, vix ſatis animo concipere, nedum aptis verbis, condignisque modis eloqui atque exprimere poſſe. Videantur illi, qui auguſtiſſimi Herois Vitam & geſta deſcripſerunt, interque eos Io. Iac. *Schmauſii* Staats- und Helden-Cabinet, & huius quidem Apertionem I. p. 1. & ſeqq.

Sr. Zariſchen Maieſtæt, S. ZARIAE MAIESTATIS Manifeſtum de iudiciali inquiſitione & ſententia contra Alexium, ipſius filium, inſtituta & dicta Petriburgi d. 25. Iunii A. 1718. Francofurti & Lipſiæ 1710. Ex originali ruſſico in germanicam linguam tranſlatum. Sententia hæc erat: Alexium propter inobedientiam, & conatum excitandæ contra S. Zariam Maieſtatem rebellionis, reum eſſe mortis. Qua etiam mox ſublatus fuit.

Petrus, ALEXII filius, natus in Moſcovia d. 1. ſive 11. Iunii A. 1672. cum fratre IVAN regimen Imperii aggreſſus eſt A. 1682. eo autem mortuo, inde ab anno 1696. ut Pantocrator Ruſſiæ, ſolus imperat. Atque ita imperat, ut ob egregia, quæ geſſit atque ordinavit, opera laudari ſatis nequeat, omnibusque anteceſſoribus

bus ſuis præferendus ſit. Rem enim civilem, navalem ac militarem in meliorem ſtatum convertit, atque ut artem naves exſtruendi ipſe addiſceret, in Hollandiam & Angliam profectus eſt, multoque tempore manum operi admovit, ſicut & rudimenta militiæ poſuit, & ab infimo ad ſupremum gradum aſcendit, barbariem in terris ſuis ſuſtulit, litteris, ſcientiisque honorem & cultum reſtituit, commerciis vitam ac ſpiritum reddidit, Petropolim alieno in ſolo condidit, conditamque ſervavit & admirabilem reddidit, bella prudenter magnoque cum commodo ſuo compoſuit, Imperium præclaris auxit provinciis & urbibus, &, quod caput rei eſt, pietatis, earumque virtutum, quæ Principem ornant, immo quæ ipſi neceſſariæ ſunt, ſtudioſus eſt quam maxime. Sacris eam exhibet reverentiam, ut non tantum lectionem verbi divini, ſed ipſas etiam conciones ſtans audiat, & ne ſubditis pietatis exemplum deſit, ipſe ſæpius, inter ſacerdotes medius, in publico templo S. Patris alicuius, aut capita non nulla S. ſcripturæ, alta voce populo prælegit; omnibus in Imperio romano-germanico toleratis religionibus publicum exercitium permittit, atque ut exteros ad terras ditionis ſuæ alliciat, ad ædificanda nova templa pecunias omnibus & ligna liberali manu donat; aliorum calumnias generoſo contemtu proſequitur; æque clementem ac iuſtum ſe ſe exhibet, prout res fert; ut ipſe ſui ſit corporis medicus, ſobrietatem ac temperantiam colit; quantamque maieſtatis ſuæ rationem habet, tantam etiam humanitatem ſæpe vel erga inferiores & tenuis ſortis homines exercet: & dies me deficeret, ſi Monarchæ huius laudes pluribus vellem perſequi. Vide *Deſcriptionem vitæ Zarii*, *Orbem illuſtrem* (die Durchl. welt) P. II. 283. *Acta erudit.* A. 1706. 413.

Grundliche vorſtellung, Solida demonſtratio, Iudicium cæſareæ & imperialis Cameræ in cauſſis eccleſiaſticis Euangelicorum ſive Proteſtantium nullam habere iurisdictionem. 1714. Et hoc probatur ex binis illuſtrium Cameræ Aſſeſſorum, occaſione litis Magiſtratum wezlarienſem inter & eiusdem loci paſtorem Aegid. Gunther. *Hellmund*, ad Corpus euangelicum ratisbonenſe transmiſſis Memorialibus ſive libellis, eorumque Appendicibus.

Vom unterſcheid, De diſcrimine inter Vexillum Imperii, & Vexil-

Vexillum conflictus wurtenbergenſe. 1692. Illud ait appellari Reichs-feld-pannier, hoc Reichs-ſturm-fahne: illud in præſentia Imperatoris ſerviiſſe, hoc in conflictu. Vnde colligit, Wurtenbergenſi nullum fieri præiudicium, ſi Imperator Vexillum Imperii, quod non modo in expeditionibus, ſed etiam in ſolemni actu, ut eſt coronatio Imperatoris, geſtetur, alicui conferat Principi, eique annectat archiofficium, qualia habent S. R. Imp. Electores, & ius hereditarium. Mirum, ni hoc ſcriptum eſt God. Guil. LEIBNITII, quippe qui hac de re cum I. G. *Kulpiſio* publicis ſchedis decertavit.

Die Immediatæt, Immediatas ſaxonicorum Capitulorum, miſnenſis, merſeburgenſis & naumburgenſis, ex ore Miniſterii electoralis ſaxonici adſtructa. Friburgi 1720. Cum Brevi narratione, quæ ſcripta, Capituli naumburgenſis cauſſa, in publicum edita ſint, & quorſum auctor Conſiderationis nulli parti faventis reſpexerit, atque in quo eius argumenta proprie conſiſtant. Auctor præſentis huius ſcripti eſt D. Io. Wilh. GOEBELIVS. Probatio autem ex ore Miniſterii electoralis ſaxonici nihil eſt aliud, quam Iudicium Collegii ſanctiorum Conſiliariorum electoralium ſaxonicorum ad Electorem IOANNEM GEORGIVM I. qui quidem Capitula illa terris hereditariis poſſe inſeri pernegarunt.

Io. Wilh. *Gœbel*, natus Huxariæ in Weſtphalia A. 1683. Ienæ *Schubarti*, *Hebenſtreitii*, *Trenneri*, *Lynckeri*, *Wildvogelii* & *Friſii*, Regiomonti *Bolzii* & *Pauli*, & Lugduni Batavorum, *Voetii*, *Vitriarii* & *Noodtii* diſcipulus, iam nunc ICtus & anteceſſor helmſtadienſis, vir gravis, prudens, ſolidæque eruditionis laude florens, ſicut ſpolia philoſophiæ ad culturam iuridici attulit ſtudii, ita utriusque lauream cum adplauſu obtinuit. Teſtantur etiam de eius præſtantia Tractatus & Diſſertationes varii generis; Tractatus quidem de archiofficiis Imperii, Notæ ad Inſtrumentum pacis: Diſſertationes vero de Principe virtuoſo, de mutationibus Rerumpublicarum, de origine iuris venandi, de iuribus Procerum Imperii maieſtaticis, de ſtatu Nobilitatis germanicæ, de hereditate eiusque petitione, de iure ſereniſſimæ Domus brunsvicenſis in Comitatum peinenſem, de tutela, de iure & iudicio ruſticorum fori germanici, ac de advocatia armata, ſive von der ſchutz- und ſchirmgerech-

Digitized by Google

rechtigkeit: item Oratio de cauſſis corruptæ iurisprudentiæ, & Programma de hiſtoria Iuris civilis recte conſtituenda.

Nicolai Hieronymi GVNDLINGII Diatribe de feudis vexilli, vom Fahn-lehn. Halæ magdeburgicæ 1715. In qua multa nova deteguntur, errores virorum clariſſimorum oſtenduntur, haud pauca vero diſtinctius ac copioſius proponuntur.

Nicol. Hieron. *Gundling*, noribergenſis, Wolfgangi filius, vividi & capacis a puero fuit ingenii; atque hinc non tantum in litteris, philoſophia, & theologiæ cultura eos progreſſus fecit, ut in numero Candidatorum ſacri Miniſterii patrii eſſet, ſed etiam poſtea, ſub informatione illuſtris *Thomaſii*, tantum in Iure brevi tempore profecit, ut eius laurea rite coronaretur, & ſtudioſam iuventutem præclare informare valeret. Atque has eius dotes reſpiciens, magisque & magis excitaturus, aut potius foturus auguſtiſſimus ſapientiſſimusque Pruſſorum Rex, non ſolum ad eloquentiæ & antiquitatum, & poſtea iuris profeſſionem in academia halenſi obeundam eum vocavit, ſed ſacri etiam tribunalis, quod in Ducatu eſt magdeburgico, conſiliarium conſtituit: immo filius illius, hodiernus Rex potentiſſimus, viri merita liberaliter magnificeque remunerans, ad eam ipſum evexit dignitatem, ut ſanctioris conſiliarii titulo & munere iam fulgeat. Quanto cum adplauſu doceat, Hala teſtatur. Scripta eius magni æſtimantur ab eruditis, ſuntque Delineatio hiſtoriæ litterariæ, Delineatio hiſtoriæ Imperii romano-germanici, Schediaſma de Trebatio Teſta, aliudque de Iure oppignorati territorii, Obſervationes ſelectæ ad rem litterariam ſpectantes, Otia, Commentarius de HENRICO aucupe, Franciæ orientalis & Saxonum rege, Via ad veritatem, Liber de efficientia metus, Gundlingiana: nec minus aliorum utiliſſimos ac fere rariores libros in lucem revocavit, additisque egregiis Præfationibus nitidiores exhibuit, ut, Nicol. *Burgundi* Hiſtoriam belgicam, Io. *Caſa* Monumenta latina, & Io. *Aventini* Annales Boiorum.

Cornelii Dieterici KOCHII Diſquiſitio coniecturalis, qua Lex LIIX. duodecim Tabularum de furto per lancem liciumve concepto explicatur. Helmſtadii 1721. Nec tantum explicatur, ſed a depravatione *Triboniani* & ceterorum interpretum vindicatur,

Digitized by Google

tur, legibusque divinis confertur. Ipſius autem ſententia & conjectura fert, in Lege illa *furtum per lancem & licium conceptum* eſſe illud fraudis aut furti genus, quod falſa ſtatera falſave menſura committitur a mercatoribus: *Lancem* enim hoc loco eſſe bilancem vel ſtateram; *Licium*, funiculum vel filum, quo res menſurantur; *Conceptum*, perpetratum, admiſſum vel factum.

Cornelius Dietericus *Koch*, Quakenbrugi Weſtphalorum, quod eſt ditionis osnabrugenſis oppidum, natus a. 1676. d. 2. Iunii, uſus eſt magiſtris philologiae Esdra *Edzardo*, & Hermanno *Von der Hardt*, philoſophiæ Chriſtophoro Tobia *Wideburgio*, & Friderico *Schradero*; theologiæ Henrico *Wideburgio*, & Io. Andrea *Schmidio*. Anno 1701. magiſter philoſophiæ renunciatus, in Belgium abiit, & cum præſtantioribus philoſophis ac theologis amicitiam contraxit; nominatim cum Campegio *Vitringa*, Io. *Meyero*, Iac. *Perizonio*, Gerardo *Van der Vries*, Caſimiro *Oudino*. Anno 1711. m. Aug. Societatem conantium inſtituit; de qua *Acta erudit.* lipſienſ. an. 1712. m. Iun. p. 288. & Eucharius Gottlieb *Rinck* in chronologiſchen Anhang, oder ſummariſcher Vortſezung des hiſtoriſchen bilderſaals part. 2. c. 7. pag. 246.; atque eandem adhuc conſervat. Scripſit Invitationes ad deambulationes philoſophicas, Proluſiones antiperaltinas, Præfationes, Orationes, cet. tum Diſputationes philologicas de eloquentia & poëſi Moſis, de nummis ſamaritanis, cet. philoſophicas de moribus poëtarum contra *Clericum* & *Santevermontium*, Emendationes philoſophicas octo; Initia, & incrementa Polyhiſtoris logici, de ſententia media in A. *Collinium*; inde doctor theologiæ, theologicas in *Harduinum*, *Marcam*, *Henſchenium*, de anno natali I. C. de Felice & Elipando. Nuper Annales academiae Iuliae publicare cœpit, eosdemque per ſemeſtria producere perget. Adverſarium, quod ſciam, expertus eſt neminem, niſi quod auctor *Notarum* ad Acta erud. teut. part. 20. p. 722. nummos ſamaritanos parum fructuoſos eſſe aſſeveravit, auctor *Diarii litt. hag. gall.* tom 6. p. 47. diſputationem anti-collinianam verbo impetiit, & nuperrime vir cel. Io. Georg. *Walchius* prof. eloq. ienenſis, in Parergis ipſi imputavit opinionem Thomæ Hyde prof. oxon. de angelis etiamnum inter ſe diſceptantibus, quam ipſe quidem Kochius ſuo auctori nominatim acceptam retulit in Polyhiſtore logico. Laudavit eundem poſt auctores *lipſ. Actor. erudit.* & *Rin-*

chium iam memoratos, A. *Diarii hag. gall.* tom. 6. p. 247. *Kœnigsmannus*, auctor der *Gelehrten fama* paſſim, der *Vnpartheiiſche bibliothecarius* part. 1. p. 65. ſq. Io. Henricus *Acker* in Scrutinio opinionis & ſcientiæ paſſim, Auctor des *Neuen der welt*, a. 1710. Io. *Hubner* Supplem. 3. hiſt. geneal. geogr. p. 160. Gottlieb *Wernsdorf* in Vindiciis Chryſoſtomi contra Harduinum p. 63. Chriſtianus Sigismundus *Liebe* in Roma Babylone ex nummis p. 2. 24. Io. Frid. *Reimmann* Introduct. in hiſt. literar. lib. 2. ſect. 3. §. 266. p. 400. & Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. Supplem. l. 1. c. 8. p. 34.

LXXIII.

Ioannis BOTERI Relationi univerſali, Relationes univerſales. Venetiis 1600. Ex bibliotheca Erneſti *Soneri*, qui & nomen ſuum inſcripſit. Editæ quoque ſunt A. 1596. 1605. 1640. cum X. de Ratione ſtatus libris, & 1662. cumque Notis Iuſti *Reiſenbergii*, Marpurgi A. 1620. f. & Lipſiæ 1667. in 4. latina autem verſio debetur Guilielmo *du Bracqs*, & continuatio alteri Italo. Opus ipſum dividitur in IV. Partes: quarum prima continet deſcriptionem Europæ, Aſiæ & Africæ; ſecunda narrationem de maioribus mundi Principibus, & cauſſis amplitudinis ac potentiæ eorum; tertia enumerationem populorum variæ religionis, ut Catholicorum, Iudæorum, Ethnicorum & Schiſmaticorum; quarta catalogum ſuperſtitionum, in quibus olim vivebant gentes in mundo novo, & difficultatum mediorumque, quibus ibi chriſtiana & vera theologia fuit introducta. Additæ ſunt mappæ geographicæ IV. mundi partium, in æs inciſæ ac deſcriptio maris, Parti I. ſubiuncta. De hoc libro ait L'Eſprit de Guy *Patin* p. 37. magni eum æſtimandum eſſe, eundemque ad comparandam prudentiam civilem commendant Io. Andr. *Boſius* in ſua ad illam diſſertatione iſagogica §. 75. & *Struvius* Biblioth. polit. p. 159.

Ioannes *Boterus*, Beneſio-pedemontinus, informator Principum liberorum Emanuelis Ducis Sabaudiæ, ac poſtea abbas S. Michaëlis in Clauſura (de la Cloture) varios edidit libros, ut, de urbium origine, excellentia & augendi ratione, della ragione di Stato, e della grandezza delle città, i Prencipi ALESSANDRO M. GIVLIO Ceſare, e *Scipione* Africano, de' Prencipi chriſtiani, de

regia

regia ſapientia, Detti memorabili di perſonaggi illuſtri, la Lega, i. e. Ligam ſive Fœdus, & ſilvam, cui titulus Otium honorum, vir, Cyr. *Lentuli* iudicio, inter Politicos magni merito nominis, atque, ut *Naudeo* videtur, ad politicas diſſertationes natus, ſupremumque diem vidit A. 1608. *Lexicon univ. hiſt.* T. I. 417. *Hyde* Catal. biblioth. Bodlei. P. I. 101. *Magirus* 145. *Reimmannus* Hiſt. lit. vol. V. 37. & *Stolle* Introduct. ad hiſtor. litterar. lib. III. §. 43.

LXXIV.

Chriſtophori HEIDMANNI Palæſtina, ſive Terra ſancta. Wolferbyti 1655. ſecunda editio, a Conr. *Bunone* aucta IV. tabulis ex *Adrichomio*, videlicet Terræ ſanctæ, Iudææ, Galilææ, Samariæ; tertia vero prodiit A. 1690. Et hanc Paleſtinæ deſcriptionem, etſi ut primus, ita rudis & imperfectus erat auctoris conatus, tamen utilem fore ſacrarum literarum cultoribus, ſi *ipſum* in Præfatione audimus, prorſus confidit; immo *Buno* in dedicatione, inter opera eius geographica, propter inſigne, quod affert S. ſcripturam lecturis, lumen, eam præcipue ait eminere, mirificeque placuiſſe & ſatisfeciſſe doctis: ſicut & *Hottingerus* Bibliothecarii p. 173. eandem laudat, ut accuratam. Eodem eam elogio dignatur Georg. *Calixtus* Apparat. theol. p. 178. Et *Crenius* vocat valde eruditum opus, Animadverſ. P. XV. 102.

Chriſtoph. *Heidmannus*, helmſtadienſis, primum in academia patriæ ſuæ Iulia, deinde, publicas calamitates declinare cupidus, in Sorana eloquentiæ profeſſor, publicavit Europam ſeu manuductionem ad Geographiam veterem, Epitomen hiſtoricam de Cæſaribus auguſtis, Orationes de Iuleo novo, de bibliotheca academiæ iuliæ, in obitum Corn. *Martini*, ac de migratione ſua in academiam Soranam, Diſſertationes VII. politicas, Επιτaφιον Erici *Clavii*, Præfationem in Io. Lud. *Vivis* Introductionem ad veram ſapientiam, & Fran. *Fabricii* Hiſtoriam M. T. Ciceronis auctiorem, cum Præfatione, piaque, ſed immatura (ſunt verba *Calixti* l. c.) & bonis litteris dolenda morte, turbulentæ rerum humanarum ſcenæ exemtus, & in cæleſtem academiam translatus eſt anno 1625. *Bartholinus* de ſcriptis Danorum p. 31. 198. *Witte* Tomo II. Diarii biograph p. 36. Ab Henrico *Ernſtio* vocatur maximus, atque a Val. Henr. *Voglero* vir optimus, & de academia helmſtadienſi, ſtu-

diisque liberalibus bene meritus. Sed omnium præclariſſimum elogium eſt illud, quo eum ornat integer vitæ, ſcelerisque purus Conr. *Horneius* Dedicatione in Caſelii I. Partem operum ad sereniſſimum Ducem brunſvic. ac luneb. Fridericum Vlricum, qui *Heidmanno* editionem operum Caſelii iniunxerat: *Nec defuiſſet*, inquit ille, *hac in arte aut publico bono, aut Celſit. T. voluntati* Heidmannus, *ut ille non tantum egregia eruditione, ſed ea etiam re magnum illum præceptorem noſtrum* (Caſelium) *æmulabatur, quod utilitati publicæ totum ſe conſecrarat; niſi primo quidem hæc miſerrima & calamitoſiſſima tempora incidiſſent, poſtea autem e vivis ipſe exemptus eſſet, tanta certe cum iactura rei literariæ, ut ea ſatis deplorari non poſſit: erat enim in* Heidmanno, *præter reconditas literas græcas & latinas, antiquitatis & hiſtoriæ veteris ſolida cognitio, tum eloquentia inſignis, virtus autem, integritas, prudentia, animique fortitudo præſtans, &, quod caput omnium eſt, ſincera erga Deum pietatis, & commune bonum iuvandi tantum & tam indefeſſum ſtudium, ut vitam ipſam & valetudinem, qua plurimis annis prorſus debili erat, dum in utroque illo ſtadio ita decurreret, ut animum ab utrisque exercitiis nunquam fere relaxaret, nimiis ſtudiis tandem prodegiſſe non immerito videatur. Sed ſummus rerum Arbiter eum, ut pietate & virtute ipſius dignum erat, in ſedes beatas hoc citius tranſtulit, ne patriam penitus everſam, & tam multa indigna in vita hac cerneret, quibus nos ob peccata noſtra reſervati ſumus.*

METROPHANIS Critopuli Confeſſio catholicæ & apoſtolicæ in Oriente eccleſiæ. Helmſtadii 1661. Græce, puro & eleganti ſtilo, ab auctore A. 1625. ſcripta, & in grati animi ſignum academiæ Iuliæ dicata, latinitate autem donata, editaque a Io. *Horneio*. In qua agitur de doctrina eccleſiæ, creatione, incarnatione Fili Dei, prædeſtinatione, ſacramentis, præceptis, eccleſia, S. unguento, cœna dominica, pœnitentia, ſacerdotio, coniugio, euchelæo, ceterisque eccleſiæ traditionibus, de Sanctorum imaginibus, reliquiis, & invocatione, de ieiunio, monachis, precibus pro defunctis, precatione ad orientem, genibus die dominico & per totam pentecoſten non flectendis, & ſtatu eccleſiæ orientalis. Præmiſſa eſt Epiſtola Herm. *Conringii* ad editorem, in qua teſtatur, a Metrophane, omnes, quæcunque vel cum univerſis occidentalibus, vel ſeorſum aut cum Romanenſibus, aut cum Proteſtantibus Græcæ eccleſiæ intercedunt, controverſias & ingenue hoc in li-

libello narrari, & pro virili propugnari; adeoque, qua in re ſive conſonent, ſive diſſonent, Græci & nos, aut Romanenſes, compendio exinde diſci poſſe.

Metrophanes, cognomine *Critopulus*, Beroea-macedo, hieromonachus ex monte Atho, & patriarchalis primum protoſyngelus ſive primarius ſigilli patriarchalis cuſtos, a CYRILLO LVCARI, CPtano patriarcha, in Angliam & Germaniam miſſus eſt, ut in eccleſiarum, quæ ibi ſunt, ac præcipue proteſtantium, doctrinam & ſtatum inquireret; atque ita vixit Helmſtadii, Tubingæ, Altorfii, & aliis in locis, & paſſim viris litteratis innotuit. *Schickardus* in Procemio Regum Perſiæ pag. 80. vocat amicum ſuum; *Conringius* in prædicta Epiſtola valentem ingenio, iudicio, & doctrina non proletaria; Er. *Schmidius* in Notis in N. T. p. 900. omnium, quos ipſe quidem ex Græcia in Germaniam profectos viderit & audiverit, doctiſſimum; Andr. *Dinnerus*, ICtus altorfinus, in Epiſtolis G. Richteri p. 640. Græcorum omnium, quotquot ad eccleſias noſtras pervenerint, doctiſſimum & ορθοδοξοτατον, nec minus diſcendi cupidum, quam virum integerrimum & bonum chriſtianum; & ipſe patriarcha CYRILLVS LVCARIS, apud Colomeſium p. 558. græcis litteris non leviter tinctum, eccleſiæ alexandrinæ alumnum, haud obſcuro loco natum, ingenio ad reconditiorem eruditionem imbibendam probe comparato. Peragrata magna Germaniæ parte, Venetias ſe contulit, atque inde traiecit CPlin, hocque laborum ſuorum pretium tulit, ut patriarchatu alexandrino potiretur. Floruit adhuc anno 1640. ſed quo anno obierit, incertum eſt. *Kœnig* 537. *Acta erudit.* A 1692. 36. Andr. *Dinnerus* in G. Richteri Epiſtolis p. 640.

Ioannes *Horneius*, helmſtadienſis, Conradi filius, primum Rinthelii, deinde in academia patria profeſſor græcæ linguæ ordinarius, vir integerrimus, ſed ab adverſa valetudine, in primis a phthiſi afflictus, atque ita a ſcriptis concinnandis (præter diſputationem de potentia & actu) impeditus, pie obiit A. 1670. ætatis 45. *Conringius* in fine memoratæ Epiſtolæ magnam de eo ſpem concepit, ſcribens: *Perge vero, clariſſime* Horneie, *cum valeas, ita porro adiuvare emolumentum rei litterariæ, & huic Iuliæ noſtræ, paternæ ſectus veſtigia, addere claritatem. Noſti ſane vetus illud:* ποιειν τι δει-

οις γονυ χλωρον· neque ego dubito, ſummam optimi patris induſtriam: & indefeſſum ſtudium tibi pro calcaribus nunquam non futurum.

Petri HOLMII Conſideratio theologiæ muhammedanæ. Ienæ 1670. In qua Muhammedis impoſturæ, fraudes, & abſurditates ex Alkorano potiſſimum deteguntur, & ex verbo Dei ſecundum articulos fidei refutantur.

Petrus *Holm*, Angermannia-ſuecus, inſtinctu impulſuque D. Io. Ern. Gerhardi, præceptoris & hoſpitis ſui, hanc diſſertationem ſcripſit, ita quidem, *illius* iudicio, ut pulchre Mahummedis impoſtoris fraudes detexerit, & errores ſolide refutaverit, adeoque egregios ſuos in S. theologia progreſſus, & inſignem linguarum orientalium peritiam ſatis prodiderit ſuperque. Et Chriſtianus *Ravius*, at quantus vir! eum iudicavit dignum, qui in quacunque academia celebriori orientales litteras profiteretur. Vide *Gerhardi* Epiſtolam Holmianæ commentationi præfixam. Quo autem pervenerit, cuique admotus ſit muneri, dicere non poſſum: nam in Holmia litterata, atque in *Scheſſeri* Suecia litterata altum de eo eſt ſilentium.

Matthiæ ZIMMERMANNI Diſſertatio ad illud *Tertulliani* Apol. c. 18. *Fiunt, non naſcuntur chriſtiani.* Lipſiæ 1662. Cuius occaſione quam plurima eccleſiæ veteris monumenta, & ritus non pauci eruuntur, & pertractantur. Ipſa autem tractatio abſolvitur parallelismis SS. Patrum & S. ſcripturæ, atque enodatione ſubiecti & prædicati. Et nimis hæc ſubtilis ac curioſa enodatio copiam peperit, copiaque non Diſſertationem, ſed librum.

Pag. 408. §. CCXIV. Arminiani Catecheſes *vilipendunt.*

Hoc tantum cavendum iudicant, *ne nimia iis dignitas tribuatur*, & ipſæ verbo Dei, SS. litteris expreſſo, æquiparentur, proque norma ſecundaria habeantur. *Curcellaeus* p. 34. Phil. *a Limborch* Theol. chriſt. l. 1. c. 11. §. 12. & ipſe *Goſvvinus*, ab auctore excitatus.

Matthias *Zimmermann*, natus Eperiis, nobiliſſima regni Vngariæ civitate, *Baecleri*, *Dannhaueri*, *Dorſchei*, Io. & Sebaſt. *Schmidiorum*

diorum, *Hulſemanni*, Io. Bened. *Carpzovii* & Hier. *Kromayeri* auditor, a ſchola ad eccleſiam tranſiit: primum enim fuit rector gymnaſii leuconienſis in ſuperiore Vngaria, deinde miniſter eccleſiæ in urbe patria, porro adiunctus ſuperintendentis coldicenſis, tandemque, impetratis prius honoribus in theologia doctoralibus, paſtor & ſuperintendens miſenenſis. Anno 1689. die 24. Octobris, cum in ſacello ſederet, iam iam in ſuggeſtum abiturus, & concionaturus, apoplexia correptus eſt, eodemque die, in caſſum adhibitis præſtantiſſimis medicaminibus, domi ſuæ placide exſpiravit, cum vixiſſet annos 64. Reliqua eius ſcripta ſunt fere ſequentia: Hiſtoria eutychiana, ſub nomine Theodori *Althuſii*, Analecta miſcella menſtrua, Commentariolus de presbyteriſſis veteris eccleſiæ, Amœnitates hiſtoriæ eccleſiaſticæ, Florilegium philologico-hiſtoricum, & Diſputatio de acceptilatione *Sociniana*. *Pippingius* in Memor. theologor. p. 338.

NARRATIVNCVLA de hodierno ſtatu eccleſiarum in Anglia, Wallia, Scotia & Hibernia. A. C. 1654. Indicatur enim vero 1) origo Presbyterianorum & Independentium. 2) In quo utrique conveniant & diſcrepent. 3) Quænam præterea ſectæ ſub Independentium nomine lateant. 4) Quomodo ſe Magiſtratus erga eccleſias gerat. 5) Quædam adduntur de eccleſiis in Wallia, Scotia, & Hibernia.

Diatribe de antiqua eccleſiæ britannicæ libertate. Brugis 1656. Ea per aliquot Theſes diducitur, quarum I. eſt, Iura patriarchatuum a conſuetudine introducta, a conciliis firmata, ab Imperatoribus ſancita eſſe. II. Eccleſiam britannicam, utpote extra Suburbicarias italicæ diœceſeos ſemper poſitam, tempore Concilii nicæni neutiquam ſubiacuiſſe romano patriarchatui, ſed proprio gaviſam eſſe, (quantum ad rei ipſius ſubſtantiam) ad inſtar aliarum eccleſiarum, in reliquis liberis diœceſibus poſitarum. III. Eccleſiam britannicam reſtitutam eſſe in veterem ſuam libertatem. IV. Eccleſiam britannicam, perſeverantem in ſua exemtione a romano patriarchatu, non eſſe ſchiſmaticam, ſed tanto magis catholicam, quanto magis vindex ſit totius veteris libertatis catholicæ. Auctor huius Diatribes dicitur eſſe I.B. S. theologiæ profeſſor.

LXXV.

BORCHARDI Deſcriptio Terræ ſanctæ & regionum fini-

nitimarum, & Bartholomæi *de* SALIGNIACO Itinerarium hieroſolymitanum. Magdeburgi 1587. Vtrumque editum a Rein. *Reineccio*, e bibliotheca Alvenslebiana: Libros enim hoſce Venetiis attulerat, iisque Bibliothecam ſuam, in prædio Erxlebienſi auſpiciis ſuis conditam, locupletaverat Ioachimus *ab Alvensleben*, equeſtri & vetuſto generis ſplendore, doctrina & virtute nobiliſſimus, ut eum iure meritoque vocat *Reineccius* in principio Dedicationis horum ſcriptorum. Prior Borchardi editio, A. 1519. publici iuris facta, Ioanni Hoſto de Romberg accepta eſt referenda, ſicut tertia, Euſebii Onomaſtico de Locis hebraicis addita, CL. V. Io. *Clerico*. Vide *Fabricium* Biblioth. gr. lib. IV. 45. & ipſum *Clericum* Biblioth. choiſ. T. XIII. 35. Atque hæc deſcriptio pro exactiſſima agnoſcitur a *Geſnero* in Bibliotheca, eiusque Epitome Friſiana p. 124. & commendatur a Georg. *Calixto* Appar. theol. p. 178.

Bonaventura *Borchardus*, qui ab aliis vitioſe appellatur Brocardus, Saxo-weſtphalus, monachus familiæ Dominicanæ, vixit claruitque anno 1283. & nactus eſt laudem diligentis ſcrutatoris, cum apud alios, tum apud *Maſium* Comment. in Ioſuæ caput IIX. com. 30. 31. *Voſſium* de Hiſtor. lat. l. 2. c. 60. & *Reineccium* in Dedicat. huic libro præmiſſa, qui quidem conferens auctorem noſtrum cum Saligniaco ſcribit: *Tamen nemo, opinor, inficias iverit, facile palmam* Borchardo *deberi, ſive narrationum fidem* ϗ ἐνεϱγειαν, *ſive exquiſitionis vel cum ſummo periculo coniuncta induſtriam, vel potius perſeverantiam ſpectes. Etenim decennium integrum ſe in hoc labore conſumpſiſſe affirmat, porro in Indiam penetraturus, niſi valetudo ab hoc propoſito eum revocaſſet.* Vide etiam *Cavium* Hiſtor. liter. ad A. 1260. p. 506. & *Olearium* Biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. T. I. 140. *Barthius* vero, apud *Crenium* Diſſert. III. de furib. librar. §. 15. multa, ſi non pleraque ex Iacobo a Vitriaco eum petiiſſe ſcribit.

Bartholomæus *de Saligniaco*, gallus, vir nobilis, doctus & eloquens, Eques auratus, & IC. deque rom. Eccleſiæ hierarchia Tomo IIX. cap. 1. 4. 5. μετα παϱϱησιας differens, atque a *Calixto* l. c. itidem commendatus, A. 1522. a longiſſima & laborioſiſſima (ut ipſe in Præfat. loquitur) peregrinatione in Galliam reverſus, iter ſuum in litteras redegit, quo & ſe oblectaret, dulcemque laborum memoriam haberet, & amicis aliisque curioſis prodeſſet, videlicet

delicet illis, qui novarum rerum noſcendarum deſiderio flagrant, deinde S. ſcripturæ lectoribus, poſtremo divini verbi & ſacri euangelii prædicatoribus. Vide *Epitomen* Biblioth. Geſner. 106. & ipſum *Saligniacum* in Præfat.

Marci Ant. *de* DOMINIS Conſilium ſui ex Anglia reditus. Romæ 1623. Scripſerat auctor, ut P. II. p. 131. indicavimus, ſuæ in Angliam profectionis Conſilium, exponens in eo cauſſas deſertæ a ſe eccleſiæ romanæ, quas poſtea Laurentius *Beyerlingk* peculiari examinavit libro: nunc autem, reverſus ad Eccleſiam romanam, & illud revocat, & libros ſuos de Rep. eccleſiaſtica, & quid quid aliud ſcripſit docuitve adverſus illam Eccleſiam, in qua natus, educatus, fotus & promotus fuit, eiusque dogmata defendit pariter contra Proteſtantium obiectiones. *Quod* autem, ſunt verba *Conringii* in Conringianis p. 336 *ex anglia Romam redierit, & Proteſtantium partes reliquerit, hanc me obſervaſſe rationem puto. Fuit nempe in ea ſententia, inter Eccleſiam romanam & Proteſtantium non eſſe fundamentalem diſſenſum, ſed eſſe controverſias ſcholaſticas. Porro fuit in ea ſententia, quod contra conſcientiam liceat illa, quæ non pertinent ad fidem, vel affirmare vel negare. Ideo tandem exiſtimavit, ſibi licere contra animi ſententiam illa damnare, quæ antea ſcripſerat.*

Onuphrii PANVINII Commentarius de triumpho, notis & figuris illuſtratus a Ioach. Io. *Madero* Helmſtadii 1676. De Panvinio diximus P. III. 425. & hic tantum hoc addimus, libros eius, tam ineditos, & affectos, aut nondum recognitos, quam editos indicari a *Ghilinio* nel Teatro d' huomini letterati vol. I. 177. de Madero autem egimus P. IV. 51.

GERVASII Tilberienſis de Imperio romano, & Gottorum, Lombardorum, Brittonum, Francorum, Anglorumque regnis Commentatio, nunc primum edita a Ioach. Io. *Madero*. Helmeſtadii 1673. Integram vero edidit *Leibnitius* in Scriptorum rerum brunsvicenſium Tomo I. p. 881. & Emendationes ac ſupplementa addidit Tomo II. 751. Vide *Acta erudit* A. 1707. 464. & ipſum *Leibnitium* Introduct. in Collect. ſcriptor. rerum brunsvic. h 2. deque Gervaſio *Partem* noſtram III. 30. Ceterum hoc libro continentur 1) Ioach. Io. *Maderi* Præfatio de Arelato, atque Arelatenſi regno. 2) Epiſtolæ aliquot CAROLI IV. Arelatenſis ex parte regni mentionem facientes. 3) Compilatio chronologica auctoris *anonymi*,

mi, a temporibus CAROLI M. ad annum Chriſti 1410. 4) Iudicia virorum clariſſimorum (Io. *Pitſei*, Henr. *Meibomii*, Ger. Io. *Voſſii*, Iac. *Thomaſii*, Io. Henr. *Hofmanni*) de Gervaſio Tilberienſi. Dedicatio fit ad ſereniſſimum Ducem *Auguſtum Fridericum*, *Antonii Vlrici* filium, in qua virtutes ac merita Maiorum inde a Brunone uſque ad prædictum Ducem commemorat, debitisque celebrat laudibus.

Ioach. Io. MADERI Vetuſtas, ſanctimonia, potentia atque maieſtas celſiſſimæ auguſtiſſimæque ſereniſſimorum Ducum brunsvicenſium ac lyneburgenſium Domus, antiquis aliquot, & nunquam hactenus editis monumentis oſtenſa. Helmeſtadii 1661. Capita autem in hoc Tractatu continentur XII: 1) Chronica Ducum brunsvicenſium, auctore *anonymo*, ſed vetuſto. 2) Theodorici *Engelhuſii* Vitæ Imperatorum, ex Domo brunsvic. oriundorum. 3) Eorundem Imperatorum Vitæ, auctore Io. *Cravus*. 4) Eorundem Imperatorum & Ducum brunsvicenſium XII. diplomata vetuſta, veteris Saxoniæ hiſtoriam non parum illuſtrantia. 5) Eorundem ferme Impp. ab HENRICO ſcilicet Aucupe ad HENRICVM V. Res præclare geſtæ, a *monacho* quodam *hamerslebienſi* in compendium redactæ. 6) Eiusdem *compilatoris hamerslebienſis* GREGORIVS Papa V. Saxo. 7) *Alterius cuiusdam* de cathedrali Goslarienſium eccleſia, ab HENRICO III. fundata, Narratiuncula, ab hoc *eodem monacho* exſcripta & correcta. 8) *Eiusdem* Excerpta ex libello, qui forte eſt *Lamberti* Schaffnaburgenſis, de inſtitutione Hersveldenſis eccleſiæ. 9) *Auctoris vetuſti*, de fundatione aliarum Germaniæ eccleſiarum a temporibus CAROLI M. ad OTTONEM M. 10) De eccleſia collegiata S. *Blaſii* in Brunswick, & ſereniſſimis Brunsvicenſium Ducibus. 11) Exemplum vetuſtæ in pergameno ſcriptæ Tabulæ, quæ in æde primaria brunsvicenſi pendet publice. 12) Genealogia Ducum brunsvic. qui Eymbek, Duderſtadt &c. cum attinentiis poſſederunt.

EIVSDEM de duello, ut ordalei quondam ſpecie, Diſſertatio. Helmſtadii 1678. Additæ ſunt Petri *Gregorii* tholoſani, Olai *Wormii*, Henr. *Bangerti*, Phil. *Camerarii*, aliorumque (ut *Vulſonii* & Sebaſt. *Munſteri*) Comentationes. Et Gregoriana quidem exſtat in Syntagmate iuris univerſi, Wormiana in Monimentis Daniæ, Bangertina ad librum II. Arnoldi lubecenſis, Camerariana in Centuria II.

II. Meditationum hiſtoricarum, Vulſoniana latine reddita a Chriſtiano *Flemmero*, in libro gallicano, qui inſcribitur Theatre d'honneur & de chevalerie, & Munſteriana in Coſmographia.

Olaus *Wormius*, Arhuſio-cimber, *Goclenii* in philoſophia, *Menzeri*, *Finckii* & *Helvici* in ſacris, (infauſtum enim medicum eſſe credidit, qui humanis divina non iungeret) *Plateri*, *Bauhini*, *Zvvingeri*, *Stupani*, Hier. *Fabricii* ab Aquapendente, *Varandai*, *Bradillei*, & *Richerii* de Belleval in arte medica auditor, ſuoque merito Baſileæ creatus doctor, poſt iter germanicum, gallicum, belgicum, & britannicum factus eſt profeſſor artis ſalutaris in academia hafnienſi, atque ut in docendo erat brevis, gravis in diſſerendo, in explicando facilis, acutus in diſputando, omniaque ad captum auditorum attemperabat, ita in naturæ myſteria quam poterat diligentiſſime inquirebat, & abdita quæque penetrabat, eruebat, & colligebat, ſcriptisque prodebat, ut domus eius quaſi horreum rerum naturalium eſſe videretur, & indigenæ exterique, ſummi, medii & infimi, frequentiſſime ſpectatum accederent, quaſi ad redivivum Plinium. Hinc eſt, quod a docto eius calamo habeamus Lauream philoſophicam contra *Fratres roſæ crucis*, Faſtos danicos, Monumenta danica, Lexicon runicum, Controverſiarum medicarum ſyllogen, Libellum de cornu aureo, Monumenta Stroenſe & Trygwaldenſe, & Hiſtoriam animalis, quod in Norwegia non nunquam e nubibus decidit, & ſata ac gramina citiſſime depaſcitur, ne quid de Muſeo wormiano dicam, quod *Wilhelmus* filius edidit, & *Schurzfleiſchius* Epp. arcan. T. I. p. 564. librum perutilem & curioſum eſſe iudicat. Verum tot operum auctor, tam ſtrenuus ſanitatum aſſertor & vindex, morborum terriculamentum, ſolatium familiæ, delicium patriæ, amicorum deſiderium, orbis ſtupor, & virtutis omnis eruditionisque ſubſidium, & ornamentum ſeculi, fatali legi & ipſe ſatisfecit, mortique ſuccubuit anno 1654. ætatis 66. Thom. *Bartholinus* in Wittii Memoriis medicorum p. 163. Alb. *Bartholinus* & Io. *Moller* de Danis p. 112. 355. *Sibbern* Biblioth. dano-norweg. 326. *Kœnig* 874. *Magirus* 806. & *Morhof* Polyhiſt. T. I. & II.

Henricus *Bangertus*, Sudecca-waldeccenſis, ſcholæ mindanae conrector, oldenburgenſis autem, tandemque lubecenſis, ſed annuo tantum ſpatio, rector, *Helmoldum* recenſuit, notisque illuſtravit,

vit, Henr. *Colerum*, Conſulem lubecenſem, oratione parentali proſecutus eſt, & multa magnaque præſtare potuiſſet, niſi labores interceſſiſſent ſcholaſtici: vir enim fuit, Io. *Molleri* in Iſag. ad hiſtor. cimbr. P. II. 440. iudicio, ſolide eruditus, & non linguarum ſolum, ſed hiſtoriarum etiam omnis ævi in paucis gnarus, iudicio præterea, eloquentia, ceterisque, quæ hiſtoricum ornant, dotibus egregie inſtructus. Obiit anno 1665. ætatis 55. *Von Seelen* Athen. lubec. P. I. 13. 62. Eundem laudat *Maderus* Præfat. in Chronicon Montis Sereni p. 20. pluraque elogia reperies in *Molleri* loco prædicto.

I. I. MADERI Diſſertatio de S. Laurentio martyre, eiusque monaſterio prope Scheningam. Helmſtadii 1688. In qua obiter etiam de SS. martyrum in primitiva eccleſia veneratione, &, quæ circa eam deinceps in eandem irrepſit, corruptela agitur.

EIVSDEM Libellus de coronis, nuptiarum præſertim, ſacris & profanis. Hemſtadii 1688.

Andr. SENNERTI Athenæ & Inſcriptiones wittebergenſes. Wittebergæ 1699. Editio altera, auctior & correctior: prior autem eſt A. 1678. Agitur hic de urbe Witteberga, eiusque academia, & ſpeciatim de huius fundatione, inauguratione, legibus & ſtatutis, rectoribus, decanis, profeſſoribus IV. Facultatum, & templo academico; inſcriptiones autem ſiſtuntur e templis & cœmeteriis. In Præfatione auctor dictum illud de Ieroſolyma, eam in medio terrarum orbis habitabilis ſitam eſſe, ad Wittebergam transfert, e qua lux euangelii prodiverit.

Andreas *Sennertus*, vitembergenſis, Danielis filius, Iac. *Martini*, *Scharfii*, Er. *Schmidii*, *Troſtii*, Laur. *Fabricii*, *Ræberi*, *Leiſeri* & *Hülſemanni* diſcipulus, confecto in Fœderatum *Belgium*, quo viros maximos, G. I. *Voſſium*, Dan. *Heinſium* & *Cunæum* ſibi coniunxit, itinere, linguarum orientis patria in academia interpres & conſervator, varia felicis ingenii monumenta reliquit, inter quæ ſunt *Troſtii* Grammatica hebræa recognita & locupletata, Centuria canonum philologicorum, Hypotypoſis harmonica linguarum orientalium, chaldææ, ſyræ, arabicæque cum matre hebræa, Diatribe de nomine Elohim, Exercitationes theologicæ ſelectiores, Pſalmus I. pœnitentiales VII. & Pſalmi graduum (XV. videlicet, XC. &

XCI.)

XCI.) nec non Canticum cantic. notis philologicis illuſtrata, tandemque non tam morbo, quam ætate fractus caduca omiſit, & cæleſtia cogitavit, miſeramque & mortalem conditionem, non gloriam finiit A. 1689. cum vixiſſet annos 83. Georg. Heinr. *Gœzius* in Elogiis philologor. quorund. ebræorum p. 28. & Frid. Caſpar *Hagen* Memor. philoſophor. p. 367. *Magirus* 747.

Gottlob KRANTZII Memorabilia bibliothecæ publicæ eliſabetanæ wratislavienſis. Wratislaviæ 1699. Ea in actu gymnaſtico a ſtudioſa Gymnaſii eliſabetani iuventute, partim carminice, partim proſa oratione exponi fecit auctor, in Dedicatione nobilitatem ac merita familiæ Rehdigerianæ celebrans, atque in Præfatione vitam illuſtris Thomæ a *Rehdiger*, huiusque ſcripti occaſionem deſcribens. Addita eſt Chriſtoph. *Coleri* Oratio auſpicalis, cum Bibliotheca Mario-magdalenæa apud Wratislavienſes libris auctior & cultu ornatior A. 1644. uſibus publicis dedicaretur: nunc recuſa.

Gottlob *Krantz*, A. 1660. natus in Luſatia, Gymnaſii apud Wratislavienſes eliſabetani rector, reliquarumque Auguſtanæ confeſſioni addictarum inſpector, vivit adhuc, & ultra XXX. annos in edocenda iuventute præclaram poſuit operam.

Chriſtoph. *Coler*, Boleslavia-ſileſius, diſtinguendus a cognomini, ICto quondam altorfino, Moralium, Polit. Hiſtor. & Eloq. in Gymnaſio Wratislavienſium eliſabetano profeſſor, nec non bibliothecarius ad S. Mariæ Magdalenæ, prodire fecit Panegyricum in nuptias Chriſtiani Ducis Sileſiæ & Loyſæ Principis anhaltinæ, aliaque, & mundo valedixit A. 1658. *Witte* Diar. biograph. Nnn.

Homeri Iliadis Liber IX. ſeorſum editus a Io. SANDERO, qui & Homeri Vitam addidit, nec non Collectanea de ſcriptis Homeri. Magdeburgi 1661. In Dedicatione ad Io. *Heldium* & Io. *Schneidermannum* rationem ſui inſtituti exponit, de optima ratione docendi differit, (eſſe videlicet eam, quæ una cum ſolida humaniorum literarum tractatione, & optimorum auctorum interpretatione, ſtudium quoque veræ pietatis honeſtorumque morum animis adoleſcentum inſtillet) nec tantum bigam illam virorum, ſed etiam Iod. Chriſtoph. *Kreſſium* a Kreſſenſtein, Septemvirum

virum & Scholarcham noribergenſem, patremque meum Io. *Fabricium* laude cumulat.

Ioannes *Sander*, brunſvicenſis, philoſ. magiſter, in academia Iulia per X. fere annos multiplici doctrina imbutus, primum rector ſcholæ magdeburgenſis, deinde in patria urbe ad S. Catharinæ, illic per X. annos, hic per unum officio ſuo dextre functus, vir humanus ac moderatus, inque elegantioribus litteris & ſacris theologiæ ſtudiis probe verſatus, ſupremum diem obiit A. 1672. ætatis 40. *Witte* Diar. biograph. F f f f 3.

LXXVI.

Chriſtoph. FVRERI Reisbeſchreibung, Itinerarium in Aegyptum, Arabiam, Palæſtinam, Syriam, &c. Norибergæ 1646. Prodiit quidem prius latine, ſed germanice, & quidem plenius ac perfectius conceptum eſt ab ipſo auctore, adeoque hæc editio illi præferenda. Addita ſunt 1) Mappa geographica. 2) Figuræ montis Sinai, urbis Hieroſolymæ reſtauratæ, & S. ſepulcri. 3) Iac. FVRERI Itinerarium CPlitanum, cum eiusdem imagine in æs inciſa. 4) Præfatio Georgii *Richteri*, qua tradit, varia eſſe hominum iudicia de itineribus Hieroſolymam factis, & *Gregorium* quidem nyſſenum ea improbare, e contrario approbare *Hieronymum* & Phil. *Melanchthonem*: atque horum ſententiam, nec non exempla Io. *Tucheri* & Sebaldi *Rieteri* ſecutum auctorem noſtrum, præſertim cum Nyſſenus non niſi contra ſuperſtitiones aliasque corruptelas declamet, iter hoc aggreſſum eſſe.

Chriſtoph. *Furerus*, ab Haymendorf, patricius noribergenſis, & Eques hieroſolymitanus, non a monacho S. Sepulcri, qui hanc ſibi facultatem arrogaverat, ſed ab auguſtiſſimo Imperatore RVDOLPHO II. creatus, ex Italia, ubi docentes audivit Romæ *Muretum*, Mediolani *Cardanum*, in Siciliam, atque inde in Melitam navigavit, & poſtquam hic in diverſis adverſus immanem chriſtiani nominis hoſtem expeditionibus fortem ac ſtrenuum ſe præbuiſſet, pio propoſito, comiteque Alexandro *Schulenburgio*, Equite ſaxonico, (cuius vitam Io. *Fraxineus* poëta libris III. Vitembergæ A. 1584. impreſſis illuſtravit) in Aegyptum, atque inde per Arabiam & Palæſtinam in Syriam abiit, omniaque illa loca curioſe luſtravit atque annotavit, quæ in ſacro codice V. ac N. Tti commemoran-

morantur. Reverſus Venetias, per Vngariam, Stiriam, Poloniam & Bohemiam ad ſuos rediit, atque in patria Senator factus omnes honorum gradus conſcendit, donec primum attingeret: fuit enim Senatus princeps, & conſiliarius cæſareus. Erat & antea, cum academiæ altorfinæ curator eſſet, tam felix ac beatus, ut cum Hieronymo *Paumgartnero* primum collegii academici lapidem poneret. Et ſicut ad multas præclariſſimasque ablegationes adhibitus fuit, ita ubivis inſignia eruditionis, prudentiæ, fidei ac pietatis ſpecimina edidit, perque omnia optime eſt meritus. Hinc eum Andr. *Dinnerus*, ICtus in Epp. G. Richteri p. 644. vocat incomparabilem virum; & *Metrophanes* hieromonachus & Patriarchæ CPtani a Sigillo primario, in Dedicatione orationis ſuæ in nativitatem Ieſu Chriſti p. 6. laudat eundem, quod, qui regiones græcas peragravit, rerumque illarum ſtatum probe cognitum & perſpectum habuit, multus fuerit in laudanda Græcorum eccleſia, optatque ut huius teſtimonii copioſam & multiplicem illi mercedem, in die retributionis, perſolvat Deus. Nec dubium, quin ſit perſoluturus: pie namque Furerus obiit A. 1610. cum 69. numeraret ætatis annos. Vide *Omeiſii* diſputationem de claris quibusdam in orbe literato Norimbergenſibus p. 48. *Richterum* in prædicta Præfatione, & *Famam fererianam*, ſive carmina huic Itinerario ſubiuncta.

Iacobus *Furer* ab Haymendorf, Chriſtophori, de quo ante diximus, frater, peractis itineribus germanico, italico & gallico, cum Bartholomæo *Betzio*, I.V.D. & oratore ad Portam Ottomannicam cæſareo ivit CPlin, ea patroni gratia florens, ut dona & ærarium eius fidei concrederentur; non tamen inde rediit, ſed pro terrena Hieroſolyma, quam fratris exemplo luſtrare conſtituerat, per beatam mortem Conſtantinopoli in cæleſtem translatus eſt anno 1587. ætatis 27. Vide *ipſum*, & G. *Richterum* in Præfationibus.

Des Wunderlichen Wunderliche begebniſſen, MIRABILIS Mirabiles caſus. Pars I. In caſtro Bevera, 1678. Eſt deſcriptio vitæ & itinerum ſereniſſimi Brunsvicenſium ac Luneburgenſium Ducis, FERDINANDI ALBERTI, qui ipſe eam adornavit. Varia autem & longinqua itinera fecit per Germaniam in Italiam, Helvetiam, Galliam, Hollandiam, Britanniam, Daniam,

Scaniam & Sueciam, ubique admirandam Dei manum ac providentiam expertus, deque ea ſibi maxime ineffabiliterque gratulatus. Primam hanc Deſcriptionis Partem ſequi debebat altera, res mirabiles divinas, terrenas, domeſticas, naturales & ridiculas complectens; ſed ea in publico non comparuit. Præterea notandum, Io. *Sauberti* calculum, qui in Bibliotheca noribergenſi publica monſtratur, atque hic p. 45. commemoratur, non eſſe eum, qui exciſus fuit, ſed ectypum duntaxat illius.

Ferdinandus Albertus, Dux Brunsvicenſium ac Luneburgenſium, natus Brunsvici in palatio principali, Grauenhof dicto, anno 1636. patre *Augusto*, Principum ſapientiſſimo ac litteratiſſimo, (qui tunc 57. agebat ætatis annum) in iuventute ſemel atque iterum, cum nempe in ſchola equeſtri ex equo delapſus, caput graviſſime ad terram alliſiſſet, ita ut aliquot menſes inops mentis eſſet, alioque tempore ab equo fugiente, quem conſcenſurus ſtapedi iam pedem impoſuerat, abreptus, & per ſatis longum ſpatium in terra violenter protractus eſſet, mira Dei providentia præſentiſſimo capitis vitæque periculo liberatus, atque hinc, & alias ob cauſas cognomen *Mirabilis*, quod olim etiam, teſte *Meibomio* Rerum german. T. I. 784. geſſerat Dux *Henricus*, Alberti magni filius, ab illuſtriſſima ſocietate, quæ Frugifera appellatur, lubente animo aſſumens, a puero litteras, linguas & diſciplinas, iuxta cum equeſtribus exercitiis, tanto cum ſucceſſu tractavit, ut X. calleret linguas, germanicam videlicet, latinam, italicam hiſpanicam, gallicam, anglicam, ſuecicam, græcam, curlandicam, & eam, quæ in Saxonia inferiore obtinet, nec tantum in pueritia Ioannis *de Busſieres* Floſculos hiſtoriarum, & Chriſtophori *Beſoldi* Introductionem in antiquas hiſtorias e latino in germanicum transferret, ſed in virili etiam ætate Pias cogitationes (Andæchtige Gedancken. Vide *Placcium* de Anon. 425) ligata oratione, ad ſui aliorumque ædificationem, exprimeret, atque ita auguſto doctorum Principum numero adſcribi plane mereretur. Deceſſit A. 1687. cum annos vixiſſet 45. felix etiam poſt obitum in filiis Principibus adhuc viventibus, & Arte ac Marte per totum orbem clariſſimis, *Ferdinando Alberto* & *Ernesto Ferdinando*, eorumque fœcundis ac vere beatis Domibus. Iac. Wilh. *Imhof* Notit. S. rom. german. Imperii Procerum l. 4. c. 4. p. 159. *Roll* Biblioth. nobil. theologor.

gor. p. 43. Polyc. *Lyſer*, eximius iam profeſſor in academia Iulia, diſput. poſteriore de auguſtæ Domus brunsvic. luneb. in rem litterar. meritis p. 16. & illuſtres litteratique *viri & feminæ*, quorum iudicia ac teſtimonia Deſcriptioni huic, tanquam appendix, ſunt annexa, lit. R r.

LXXVII.

Salomonis SCHWEIGGERI Reiſsbeſchreibung, Deſcriptio itineris Conſtantinopolin & Hieroſolymam. Noribergæ 1613. Antea Francofurti 1609. in fol. In qua terrarum illarum conditio, urbes, pagi & ædificia, incolarum natura, mores, conſuetudines, habitus, religio & cultus ſacer, in primis vera effigies S. ſepulcri, urbis Hieroſolymæ, aliorumque locorum, item dona, quæ Turcarum Imperatori, eiusque Miniſtris allata ſunt, nec non Imperii ottomannici regimen & politia recenſentur & quaſi depinguntur, additis C. variarum rerum figuris ligno inſculptis. In Dedicatione ſeu Præfatione ad Senatum noribergenſem de utilitate & iucunditate peregrinationum loquitur.

Salomo *Schvveigger*, wirtenbergicus, ab excellentiſſimo Legato cæſareo, Ioachimo *de Sinzendorf* ad munus concionatoris vocatus, verbum Dei in eius aula ultra triennium CPli docuit, ſicut poſtea Noribergæ in æde S. Mariæ virginis, cuius paſtor conſtitutus eſt, uſque dum ex hac vita migraret A. 1622. ætatis 71. Ab eo etiam habemus Verſionem Alcorani, ſeu, ſi mavis, Compendium eius. Plura de hoc auctore tradit venerandus *Serpilius* in Epitaph. theologor. ſuev. p. 57.

Ioannis WILDII Reiſsbeſchreibung, Deſcriptio itineris. Noribergæ 1613. Quæ IV. conſtat libris: in primo deſcribitur iter a Noriberga per Vngariam uſque ad CPlin: in ſecundo iter CPli Alcairum in Aegypto, & inde Mecham ac Medinat al Nabi, porro in Abyſſiniam, ad montem Sinai, Hieroſolymam, & Damaſcum in Syria: in tertio, a Damiata in Cyprum, atque inde rurſus Alcairum: in quarto, ex Aegypto CPlin, atque ex hac in Poloniam & Germaniam. *Schvveiggerus* Præfatus eſt de utilitate tentationum atque afflictionum.

Io. *Wild*, noribergenſis, militiæ ſe conſecrans, auguſtiſſimo, Impe-

Imperatori ſervivit in Vngaria adverſus Botſchcaium, ſed ab Vngaris anno 1604. captus, venditusque Turcis, miſerrimum mancipii ſtatum per ſeptennium ſenſit: ſed anno 1611. libertate donatus ab hero ſuo, Conſtantinopolin, atque inde per Poloniam in patriam reverſus eſt, ingentibus Deo pro liberatione actis gratiis, cum annum ætatis ageret vigeſimum ſeptimum.

Ferdinandi Mendez PINTO Wunderliche reiſen, Mira itinera, per Europam, Aſiam & Africam. Amſtelodami 1671. In quibus deſcribit non tantum variam, quam ipſe expertus eſt, fortunam, ſed etiam mirabilia ac raritates illarum regionum, leges, mores & conſuetudines populorum, nec non potentiam incolarum. Primum quidem hic commentarius formatus fuit lingua luſitanica, poſtque auctoris obitum recognitus, & in ſectiones diſtributus atque editus a Franciſco *de Andrade*, ſub titulo, Peregrinaçam de Fernan Mendez *Pinto*, Vliſſipone 1614. f. poſtea vero in linguam caſtellanam ſive hiſpanicam translatus, adiuncto apologetico pro tuenda hiſtoriæ fide, a Franciſco de Herrera *Maldonado*, & vulgatus Madriti A. 1620. f. Nec minus hiſtoriam hanc pro vera agnovit Thomas *Malvenda* lib. IV. de antichriſto, c. 15. Converſus quoque hic liber eſt in idioma belgicum & gallicum, atque inde traductus in germanicum.

Ferdinandus Mendez *Pinto*, luſitanus, Monte maiore, quem XVI. paſſuum millibus a Conimbrica urbe diſtantem *Veteris* cognomentum nobilitat, prognatus, variam, ut dixi, in fuga atque itinere ſuo expertus eſt fortunam, & quamquam ſummis periculis adfuerit, ter & decies captus, ſeptiesque & decies venditus, tandem libertati tamen reſtitutus, Deo vindici penna canere, atque hunc commentarium conſcribere, & ſic aliis ſuo exemplo oſtendere potuit, in quantiscunque homo verſetur adverſis & calamitatibus, nunquam tamen animum deſpondendum, atque ab officio erga Deum, eiusque ſanctiſſimam providentiam recedendum eſſe. Qui vero fortunæ pila fuerat in vita ſua, terraque & mari huc & illuc iactatus, ac miſere afflictus, placida tandem morte portum quietis & tranquillitatis intravit, cum ſæculum XVII. adhuc infans eſſet. Nicol. *Antonius* Biblioth. hiſpan. T. I. 290.

Chri-

Chriſtophori *de* NEITZSCHITZ Weltbeſchauung, Coſmotheoria, a Chriſtoph. *Iægero* in ordinem redacta. Budiſſinæ 1673. Eſt deſcriptio ſeptennis ac periculoſi itineris per Europam, Aſiam & Africam, in qua omnium locorum memorabilia ſolicite annotata ſunt, atque hic referuntur. In Præfatione docet Iægerus, diverſas eſſe peregrinationes, & alias quidem ex neceſſitate inſtitutas, alias ſuperſtitioſas, alias honoris & utilitatis cauſſa ſuſceptas, monſtratque, quomodo peregrinandum ſit, & itinerariis utendum.

Chriſtophorus *de Neitzſchitz*, in Stöckelberg, Wœhlitz & Zœrbitz, Eques ſaxonicus, ſeptenne iter ſuum, in honorem Dei, veram rerum notitiam, ſuumque ipſius & proximi commodum, aggreſſus eſt anno Chriſti 1630. patriæque redditus anno trigeſimo ſeptimo, non diu ſupervixit, ſed eo ivit, ubi vera eſt quies, nullus labor, anguſtiæ & adverſitates nullæ, præclaram nobiliſſimi nominis ſui memoriam relinquens, dum codicillos reliquit, e quibus itinerarium hoc concinnari potuit.

Chriſtoph. *Iæger*, Skeudiza-ſaxo, Miſenæ paſtor primarius, qui floruit medio ſæculi XVII. & ultra, ex Diario Neitzſchitziano, iuſſu huius fratris, viri magnæ dignationis, præſens Itinerarium collegit, idque in ordinem redegit, & perſpicuitate ac genuina lingua germanica doñavit.

LXXIIX.

THEVENOTII Itinerarium per Europam, Aſiam & Africam: cum figuris. Francofurti ad Mœnum 1693. E gallica lingua in germanicam tranſlatum. Laudatur hoc opus a Collectoribus *Actor. erudit.* A. 1685. 407. ut tale, in quo inveniantur, quæ cum aliorum narratis mereantur conferri, & quæ alicubi lucem adferant, aut neglecta ſuppleant.

Nicolaus Melchiſedech *Thevenot*, nobilis gallus, ab *Herbelotio* de iis, quæ peregrinanti obſervanda ſunt, probe informatus, & cunctarum quibus opus erat linguarum gnarus, pariterque vir integerrimus, A. 1652. peregrinari cœpit, idque continuavit uſque ad annum 1667. quo in Perſia & itineris & vitæ finem fecit. Eius relationibus eo maior fides eſt habenda, quo ille melior erat

Digitized by Google

& circumſpectior, & quia unice id egit, ut optima quæque & notabiliſſima conſcriberet atque annotaret. *Morhofius* Polyhiſt. T. I. p. 3. laude eum mactat viri illuſtris & itinerariis ſcriptis celeberrimi, additque, eundem vaſtum aliquod de opificiis omnibus opus, velut quasdam naturæ & artis pandectas, molitum eſſe; ſed fata his laboribus interceſſiſſe. Editurus quoque erat, uti rurſus ſcribit *Morhofius* T. II. 132. addens tamen hæc verba, *ſi recte memini*, Corpus aliquod Scriptorum mechanicorum, veterum & recentiorum, atque eiusdem Tomi p. 458. diligens appellatur exoticarum plantarum notator. Vide etiam p. 255. in qua laudatur, quod multa apud varias gentes vel mechanica, vel naturalia inventa hic conſignaverit, Appendicem huius Itinerarii pag. ult. Tomi III. *anonymi* cuiusd. manu factam, & *Colomeſium*, p. 265.

LXXIX.

Arngrimi IONAE Crymogæa, ſive rerum islandicarum libri III. Hamburgi. Annus non adſcribitur; erat autem 1610. quia deeſt, obſervante Io. *Mollero* in Annotat. ad Bartholinum de Danor. ſcriptis p. 165. Tabula Daniæ & partium eius geographica, quæ præcedentis anni editioni, itidem hamburgenſi, adiuncta fuerat. Prodiit alias hoc opuſculum A. 1630. eſtque augmentum quoddam libelli pro Islandia, editi Hafniæ A. 1593.

Arngrimus *Ionas*, islandus, Chriſtiani IV. Regis Dan. munificentia ad ſtudia literarum & ſcientiarum deductus, fuit eccleſiæ melſtadienſis, vicinarumque in diœceſi Islandiæ borealis holenſi Præpoſitus, & ſenio confectus vitæ finem attigit A. 1649. Inter ſcripta eius ſunt Anatome bleckfeniana, ſeu refutatio Islandiæ *Bleckfenii*, Specimen Islandiæ hiſtoricum, contra Io. Iſ. *Pontanum*, quo negatur, Islandiam ultimam Thulen eſſe, (de quo tamen audiendus *Pontanus* in Crenii Animadverſ. P. IIX. 1.5) Schediaſmata de literis runicis, & diviſione vocalium, Epiſtola de Diis populorum borealium, liber de Grœnlandia, Epiſtolæ ad Ol. *Wormium* de Edda & Scalda Islandorum, & alia, quæ memorantur a *Bartholino* de Scriptis Danor. p. 12. & Io. *Mollero* in Annotat. p. 166. Et huic Arngrimus audit ſcriptor rerum patriæ παντων αλλων ακταξι©ϛ, Olao *Wormio* clariſſimus & in antiqq. arctois verſatiſſimus, Conr. Sam. *Schurzfleiſchio* vir doctiſſimus, idemque rerum ſeptentrionis peritiſſimus. Vide rurſus *Mollerum* p. 164. 165. LXXX.

LXXX.

Abrah. SAVRII Stædte-buch, Liber de urbibus, continuatus ab Herm. Adolpho *Authes*. Francofurti 1658. Eſt deſcriptio præcipuarum urbium, caſtellorum & fortalitiorum, non tantum in Europa, ſed in aliis etiam mundi partibus. Et primum prodiit A. 1581. ſub titulo Parvi theatri urbium. Eiusdem argumenti libros ediderunt Georg. *Braun*, Georg. *Draudius*, Wolfg. *Iuſtus* Adr. *Romanus*, & *Stephanus* byzantinus. Præſens liber hoc habet incommodum, quod conſtat X. Partibus, quarum quælibet novos gerit paginarum numeros; idque propterea, quod illæ inter operas typographicas diſtributæ, & pluribus, ut maturius abſolverentur, prelis commiſſæ fuerunt.

P. I. p. 28. Altorfii in omnibus Facultatibus, *excepta Theologica*, doctores creari poſſunt. & P. IV. 66.	*Etiam in theologica*, inde ab anno 1696. quo priuilegia renovata & aucta ſunt a LEOPOLDO Magno.
811. In monaſterio S. Ludgeri prope Helmſtadium, adhuc hodie monſtratur eius Oratorium (oder predigſtul) *ſive ſuggeſtus*, e quo doceret.	Oratorium illud eſt *ſacellum*, carens ſuggeſtu, ſive cathedra eccleſiaſtica. Monſtratur autem feneſtra ad dextrum ſacelli latus, e qua, uti ferunt, ad populum in area ſive agro ſtantem verba fecerit.
846. Hildeſia, ſecundum quorundam ſententiam, *ab Hüdegarde* CAROLI M. matre ſic dicta.	A vicino ſaltu, qui germanice *Das Hilles* appellatur. Henr. *Meibom*, ſenior, Orat. de fundat. urbis Helmſtadii K.
P. II. 20. Leoburgum (Lauenburg) oppidum & caſtellum ad Albim, conditum *ab Henrico Leone*.	*A Bernardo* Aſcanio Saxone. *Schurzfleiſch* diſp. de Henrico Leone p. 5.
93. Lubeca in Saxonia inferiore ſic dicta *a Lobeck*, quaſi angulus laudis.	*A Lau*, leo, & *Wick*, vicus, quaſi Loewick. *Heumannus* de ſcript. anon. & pſeudon. 157.
112. Luneburgum dictum a *Luna*, idolo ethnico, & *burgo* ſive caſtello.	*Ab Henrico Leone*, conditore urbis: Luneburg, quaſi Lœwenburg. *Heumann* p. 157.

A

P. IX. 173. Witteberga *a Witikindo* I. fundata. | *A Bernardo*, Alberti Vrſi filio. *Kirchmannus* de Witteberga Saxonum, p. 56.

Abr. *Saurius* floruit anno 1580. Herm. Adolphus *Authæus* medio ſæculi XVII.

LXXXI.

Io. CLVVERI Hiſtoriarum totius mundi Epitome, a prima rerum origine uſque ad annum Chriſti 1630. Vratislaviæ 1673. Editio Octava: cum ipſius auctoris Continuatione ad annum 1633. nunc aucta ad annum 1667. *Crenio* Methodor. T. II. 290. optima huius Epitomes editio videtur eſſe amſtelodamenſis, quam Raveſteinius emiſit A. 1668. Atque hæc Epitome commendatur a Ioach. *Paſtorio* d. l. Crenii in Palæſtra nobilium, *Boſio* Diſſert. de comparanda prud. civili §. 72. *Morhofio* Polyhiſt. T. III. 30. & Herm. Dieter. *Meibomio* Orat. de Genuinis hiſtor. german. fontibus p. 39. Ceterum quod *Gudius* apud Placcium de pſeudon. p. 190. refert, opus hoc non eſſe Cluveri, ſed *Ieſuitæ* alicuius, A. 1627. cum cohorte cæſarea occiſi, ſuo id loco relinquimus, nec noſtrum facimus.

Pag. 454. Sylveſter II. Papa, homo erat mathematicus, atque, ut ferunt, *diabolo mancipatus*. | Contra accuſationem iſtam *defenditur* a *Naudæo* in libro, quem vocat Apologie pour les grands hommes c. 19. *Frieſio* apud Placc. l. c. & I. T. *Reineſio* Demonſtrat. contra Loſium P. II. 76.

490. LOTHARIVS Saxo funeratus in monaſterio ducatus Brunsvigii, *quod ex ipſo Regis nomine Lotharium appellatur*. | Locus nomen habet *a Lutera* fluvio; ſed quod *Regia* dicitur, id Regi ſive Imperatori LOTHARIO acceptum referendum.

Io. *Cluverus*, Crempis in Stormaria natus, in Dithmarſia eccleſiaſten egit primum apud Meldorpienſes, deinde apud Marnentes, cumque in academia roſtochienſi poſt examen pro ſummo in theologia gradu diſputaſſet, a Rege Daniæ vocatus eſt ad profeſſionem theologiæ & paſtoratum in academia & eccleſia ſo-

ſorana ſubeundum, atque hoc in loco, permittente id Facultate theologica roſtochienſi, ac diſpenſante Regia Maieſtate, creatus eſt doctor. Sed in fatis erat, Regique placebat, ne perpetuum hic haberet domicilium: Meldorpium enim remiſſus, & ſuperintendens regius conſtitutus eſt. In quacunque vero ſtatione eſſet, priſtinum ardorem eccleſiæ & reip. litterariæ inſerviendi conſervavit, ſcriptisque prodeſſe ſtuduit, (qualia ſunt Computus chronologicus, Harmonia euangeliſtarum, Analyſis epiſtolarum paulinarum, & Commentarius in Apocalypſin) donec, non quidem ſenex, laboribus tamen defatigatus, publicis moleſtiis debilitatus, morbo gravi & diuturno afflictus, mœrore non parum confectus, corporisque viribus exutus, anno Domini 1633. ipſo die nativitati Servatoris ſui ſacro animam Creatori reddidit, cum vixiſſet annos fere 41. *Witte* Memor. theologor. p. 357. *Spizelius* in Templo honor. reſer. 116. *Bartholinus* de ſcriptis Danorum p. 69. & Io. *Moller* in Hypomnemat. cum ad hunc locum, tum ad Polyhiſt. Morhof. T. III. librum IV. p. 122. ac præfat. in Biblioth. Septentr. eruditi p. 30. Quibus adde *Crenium* Animadverſ. P. XV. 112. & Faſcis IV. p. 32. ac D. Io. Caſp. *Læſcherum* de meritis theologor. in rem literar. p. 40.

LXXXII.

Io. BOETTIGERI Anleitung zur Kirchen-und Welthiſtorie, Iſagoge hiſtorica. Halberſtadii 1650. Quæ res tradit eccleſiæ & mundi ab orbe condito uſque ad annum 1649. In Appendice continetur Iſagoge in hiſtorias particulares, ſive regnorum & rerumpublicarum: quorum tamen imperantes ſolum nominantur.

Pag. 358. *Eblendus* in Theologia germanica. | Libri illius *auctor ignoratur.* Inde noc. *Placcius* de anonymis p. 443.

Ioannes *Bœttiger*, quedlinburgenſis, G. *Calixti*, Conr. *Hornelli*, *Schraderi* & *Conringii* diſcipulus, initio ſcholæ halberſtadienſis rector, deinde ibidem paſtor eccleſiæ S. Pauli, ac ſcholarcha, poſt hæc ſuperintendens, paſtor, ſcholarum inſpector & Conſiſtorii præſes ſondershuſanus, tum theol. doctor, demum ad SS. Vlrici & Levini paſtor magdeburgenſis, Miniſterii ſenior, conſiliariusque brandenburgicus eccleſiaſticus, edidit Praxin chri-

ſtianiſmi, Conſilium de ſubſcriptione Edictorum electoralium ad Miniſterium ſtendalienſe, Animadverſiones apologeticas in Diſcurſum *wittebergenſem* contra præcedens Conſilium, & Refutationem calumniarum *Anonymi*, atque e turbido mundo abiit A. 1672. *Witte* Diar. biograph. Fff 3.

Chronica electoralia brandenburgica, marchica, magdeburgica & halberſtadienſia, edita ab Henrico *Ammersbachio*. Halberſtadii 1682. Quamvis ipſe non ſit eorum auctor, ſed Chronici Veteris Marchiæ Chriſtophorus ENTZELT, & Magdeburgici Andreas WERNER: quorum illud A. 1579. hoc A. 1584. primum in lucem editum eſt. Vbi autem latet Halberſtadienſe? Eius quoque in rubro fit mentio, non quod illud partem horum Chronicorum conſtituat, ſed quia in Magdeburgico ſubinde quædam de Epiſcopis halberſtadienſibus, eorumque ſubditis interſperguntur. Pag. 214. ſequitur AMMERSBACHII Supplementum ad Chronicon magdeburgenſe & halberſtadienſe.

Pag. 3. Scribunt, Iulium Cæſarem *urbem Magdeburgum ex amore, & in honorem concubinæ ſuæ Parthenæ* condidiſſe: atque *ideo* urbem iſtam, poſtea appellatam Parthenopolin.	*Fabulæ* narrantur; ſicut præter alios notavit V. CL. Sim. Fr. *Hahn*, prof. in Iulia academia. Quamquam non ita clarum, an Wernerus huius, ut *Vulpius* Magnificent. parthenopol. p. 4. putat, ſit ſententiæ: quia verbo, *Scribunt*, *Man ſchreibet*, utitur.
Porro ſcribitur, Cæſarem *Parthenam illam in deas retuliſſe.*	Etiam hoc falſum: cum Cæſar nunquam habuerit concubinam, nomine Parthenam. De appellatione autem Magdeburgi vide *Vulpium* l. c. & *Saurii* Stædte-buch P. III. 2.

Chriſtophorus *Entzelt*, ſalfeldenſis, Lutheri diſcipulus, 40. annos docuit partim in ſcholis, partim in eccleſiis Veteris Marchiæ, cumque hoc Chronicon, cuius tenuitatem ipſe agnovit, concinnaret, ederetque anno 1578. paſtor erat oſterburgenſis. *Friſius* Epit. Biblioth. Geſner. p. 144.

Andr. *Werner* edidit etiam librum de turcico Imperio, floruitque A. 1580. Alberti

Digitized by Google

Alberti DVRERI Icones ſacræ in hiſtoriam ſalutis humanæ per redemtorem noſtrum Ieſum Chriſtum, Dei & Mariæ filium, inſtauratæ. 1604. Eas debemus G. L. *Frobenio*, iphovienſi franco, bibliopolæ hamburgenſi, qui eas ligno inſculptas ſuo pretio redemit, atque ut præclariſſimi artificis pietati ac induſtriæ debitam referret gratiam & laudem, religionemque chriſtianam pro virili adiuvaret, in lucem produxit, & ſelectioribus tum S. ſcripturæ, tum Patrum dictis, religioſi cuiusdam viri ſtudio illuſtrari & exornari paſſus eſt.

Albertus *Dürer*, noribergenſis, non quidem litterarum ſtudia attigit, honeſtatis tamen & gravitatis, ſicut formoſo præditus erat corpore, nec non artis pictoriæ, præter ſculptoriam, ſcalptoriam & architectonicam, in tantum ſtudioſus fuit, ut vere in Epitaphio Bilibaldus *Pirckeimerus* potuerit ſcribere, eum fuiſſe virum optimum ac ætate ſua pictorem abſolutiſſimum, qui non ſolum primus e Germanis picturam auxerit, illuſtraverit, ac ad ſeveriorem legem reſtrinxerit, ſed & litteris poſteritati commendare cœperit: ob quam rem, præcipue mores compoſitos, prudentiam ac modeſtiam ſingularem, Norenbergenſibus ſuis, immo exteris omnibus, fuiſſe cariſſimum; beato vero MAXIMILIANO, ac nepoti eius CAROLO Cæſaribus, nec non FERDINANDO, Vngariæ & Bohemiæ Regi, acceptiſſimum, qui illum annuo largoque ſtipendio foverint, ac ſummo proſecuti ſint favore. Scripſit germanice librum de Symmetria partium in rectis formis humanorum corporum, a Ioach. *Camerario* poſtea latine redditum, & obiit A. 1528. ætatis ſuæ 57. Melch. *Adamus* in Vitis philoſophor. p. 66. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. I. 871. *Sandrart* Acad. teuton. P. II. 222. *Monumenta* pietatis & literar. P. II. 89. & *Burckhard* in vita *Hutteni* 183.

LXXXIII.

Seth. CALVISII Chronologia. Lipſiæ 1605. Et poſtea Francofurti ad Viadrum 1620. Francofurti & Emdæ 1650. Ex auctoritate potiſſimum S. ſcripturæ, & hiſtoricorum fide digniſſimorum, ad motum luminarium cæleſtium, tempora & annos diſtinguentium, ſecundum characteres chronologicos, a condito mundo uſque ad annum Chriſti 1600. contexta & deducta. Cui præ-

miſſa eſt Iſagoge chronologica, in qua diverſæ diverſorum, in diverſis epochis, annorum quantitates & formæ explicantur, characteres annorum infallibiles oſtenduntur, Chronologorum errores deteguntur, & quid in unaquaque epocha verum falſumve ſit, ex fundamentis chronologicis demonſtratur. Et ſicut auctor fatetur, ſe ex Ioſ. *Scaligeri* libris de Emendatione temporum profeciſſe, ita hic non tantum Fragmento epiſtolæ ad *Putſchium*, atque in Epiſtola ad ipſum auctorem, ſed etiam in Prolegomenis Iſagogicorum chronologiæ canonum, Epiſtola 240. ad Rich. *Thomſonum*, atque in Scaligeranis p. 77. multam ei, atque huic ipſius libro laudem tribuit, vocans eum virum optimum & eruditiſſimum, virum priſcæ illius Germanorum ingenuitatis & fidei, eximium artificem, quem candidæ iuventuti, tanquam exemplar chronologiæ perfectiſſimum imitandum ſit propoſiturus, quique ſolus inter Chronologos nugari deſierit; ipſum autem librum præſtantiſſimam Chronologiam; opus præſtantiſſimum, utiliſſimum, & omni doctrina refertiſſimum; eximium Chronicon, quod non ſolum ſuperiorum Chronologiarum luminibus obſtruat, ſed & eius ſit modi, ut præter illud nullum vere Chronicon dici poſſit; opus æternitate dignum; immo omni laude maius.

Sethus *Calviſius*, germanice *Calvvitz*, natus in pago Gorſchleben prope Saxoburgum arcem Thuringiæ, parentibus ruſticis, ac pauperibus, extremam & ipſe paupertatem expertus eſt, cum eſſet ſcholaſticus, actumque de ipſo fuiſſet, niſi muſices uſu tolerabiliorem ſibi vitam reddidiſſet. Lipſiæ ſtudiis litterarum ac philoſophiæ aſſidue operam dedit, & magnos in iis progreſſus fecit. Muſicæ rei præfectus ibi fuit in æde Paulina, ac poſtmodum in illuſtri ſchola portenſi ad Salam. Sed revocatus Lipſiam ad directionem chori muſici & informationem iuventutis ſcholaſticæ, in hac ſtatione conſeneſcere ac mori maluit, quam ſplendidiores honores, qui cum lautis ſtipendiis ei aliis ex locis offerebantur, acceptare. Deceſſit autem anno Chriſti 1615. ætatis 60. Et ſcripta etiam alia reliquit, videlicet Formulam calendarii novi, Elenchum calendarii Gregoriani, Theſaurum latini ſermonis, & varias Exercitationes muſicas. *Spizelius* Templo honor. reſer. 321. *Gœtz* Elog. præcoc. eruditor. 55. *Caſaubonus* Ep. 444. *Whear* Relect. hiſtor. 34. & *Neu* in Acceſſion. p. 50. *Sagittarius* Introduct. in hiſtor. eccleſ. 151.

LXXXIV.

Philippi GLASERI Syngramma hiſtoricum. Argentinæ 1629. In quo continentur 1) Prolegomenon de hiſtoria, eiusque accidentibus. 2) Diſſertatiuncula de præſtantia cognitionis hiſtoriarum. 3) Narratio compendioſa rerum præcipuarum ab O. C. uſque ad annum Chriſti 1601. Sed quæ in hac editione ab auctoris filio *Philippo Friderico* continuata eſt uſque ad annum 1628. 4) Admonitio de recte legenda hiſtoria. 5) Catalogus Hiſtoricorum ſeleċtiſſimorum. Præfatio eſt prædicti Phil. Frid. *Glaſeri*, qui ad Narrationis compendioſæ continuationem impulſum ſe eſſe ait partim evidente libelli utilitate, partim debita in defunctum parentem pietate.

Phil. *Glaſer*, argentoratenſis, philoſ. magiſter, & in academia patria primum græcæ linguæ, poſt hiſtoriarum, ac demum Iuris profeſſor, & canonicus Capituli thomani, deceſſit anno 1601. ætatis 47. *Zeillerus* de ſcriptor. hiſtor. P. II. 66. *Witte* Diar. biograph. A. 4. *Fecht* Supplem. hiſtor. eccleſ. ſec. XVI. 185.

Abrahami BVCHOLCERI Catalogus conſulum romanorum. Gorlicii 1590. Monſtrans continuam annorum ſeriem, ab eiectis ex urbe Roma Regibus uſque ad mortem M. Tullii Ciceronis, cuius tempore Conſulum auctoritas & potentia, ad Imperatores delata, deſiit, & Conſules tantummodo honorarios creari coeptum eſt. *Godefridus*, filius auctoris, poſt fata parentis, eiusdem iuſſu, eum edidit, ac præfationem addidit, in qua eruditum auctoris colloquium de modo ſtudii chronologici tractandi recenſetur, ſed & effigies auctoris poſt rubrum conſpicitur, atque Epicedia, in honorem ac memoriam meritiſſimi viri in fine ſubiunguntur.

Abr. *Bucholcer*, ſive *Buchholzer*, natus Schœnavii prope Damam in Saxonia e nobili familia, Pauli *ab Eitzen*, & *Melanchthonis* diſcipulus, huiusque virtutum æmulator feliciſſimus, (erat enim veræ doctrinæ cupidus, pacis & concordiæ ſtudioſus, modeſtus, affabilis & in converſatione iucundus, ad hæc facundus, ſuaque ſorte contentus) poſt exantlatos immenſos ſtudii chronologici labores ex hac ærumnoſa vita in cæleſtem patriam emigravit anno Chriſti 1584. ætatis 54. cum Eccleſiæ Dei operam ſu-

am docendo præſtitiſſet annos totos 29. Grunbergæ quidem in pulvere ſcholaſtico, in publica vero eccleſiæ cathedra Sprottæ, Croſnæ, & Frauenſtadii. Scripta, quibus clarum ſibi nomen peperit, ſunt ſequentia: Iſagoge chronologica, continuata quidem a filio *Godfrido*, ſed non pari felicitate, Index chronologicus, Chronologia, quamquam vix dimidiam partem confecta, Epiſtolæ chronologicæ ad Dav. *Paraum* & El. *Reuſnerum*, Admonitio ad Chronologiæ ſtudioſos de enodatione duarum quæſtionum, annum nativitatis & tempus miniſterii Chriſti ſpectantium. Melch. *Adamus* in Vitis theolog. 548. *Koenig* 141. *Magirus* 153. *Pope-Blount* 787. *Laſitius* de Diſcipl. Fratrum bohem. 167. *Boſius* Introd. in notit. ſcriptor. eccleſ. c. 4. n. 9. *Biblioth. Schrader*. P. I. A a 6. *Feller* Monum. ined. T. I. 541. & *Iuncker* in Deſcriptione bibliothecæ iſenacenſis p. 89.

Actus coronationis FRIDERICI Com. palatini ad Rhenum, S. R. I. Principis Electoris, & ELISABETHÆ Britanniæ magnæ Principis, in Regem & Reginam Bohemiæ. Pragæ 1619. Cum Georgii *Remi* Syncharmate, ſive Carmine gratulatorio.

Fridericus V. Comes Palatinus Rheni & S. R. I. Princeps Elector, *Friderici IV.* filius, iuventutem ſuam tranſegit partim Sedani in Gallia apud Ducem Bullioneum, partim Heidelbergæ, bonumque in litteris poſuit fundamentum. Sed acceptione Coronæ bohemicæ, quam tamen ei diſſuaſerant multi Principes, ceterique Electores, immo etiam eius ſocer IACOBVS Magnæ Britanniæ Rex, magnum ſibi infortunium conflavit: victus enim poſt annum vnum a Maximiliano, Bavariæ Duce, Cæſariſque confœderato, Wratislaviam, & inde per Berolinum in Hollandiam fugit, unumque poſt alterum triſtem nuntium de occupatione ac direptione utriusque Palatinatus, de proſcriptione ſua, deque translatione dignitatis electoralis in Maximilianum Bavarum, eiusque Domum audivit, & ærumnoſam vitam clauſit Moguntiæ A. 1632. ætatis 36. relictis cum vidua X. liberis, V. maribus, totidemque feminis Principibus. *Lexic. univ. hiſtor.* Tom. II. 167. I. W. *Imhof* Notit. Procer. S. R. G. I. 125.

Inſcriptio vetus græca, continens dedicationem fundi, ab HERO-

HERODE Magno, Rege, factam, nuper ad urbem Romam in via Appia effoſſa. Goslariæ 1608. Cum Iſ. *Caſauboni* Notis. Adiecta eſt interpretatio latina, & ſoluta & ligata oratione; & ligata quidem per Conr. *Rittershuſium*, Georg. *Remum*, Io. *Meurſium*, Mich. *Piccartum*, & Mart. *Baremium*. Græca ex editione Caſauboniana huc tranſlata ſunt.

Herodes, a loco nativitatis Aſcalonita, & propter egregia facinora Magnus dictus, Antipatri edomitæ filius, a patre Galilææ præfectus, a Senatu romano Iudææ rex declaratus, atque ab Auguſto poſt Antigoni necem in regia dignitate confirmatus, multa in gratiam AVGVSTI fecit, & ſplendida in eius honorem opera exſtruxit, gente edomita, polypi tamen naturam imitans, & Gentilibus æque ac Iudæis hypocritice adulans. Ceterum multis ſe modis crudelem exhibuit, & plurimos inſontes occidi curavit, occiſurus & Ieſum infantulum, ſi potuiſſet. Sed nec Dei iram ac vindictam evaſit: nam inteſtinis ipſius inflammatis, & accedente hydrope, ac vermibus in ſecretis locis ſuccreſcentibus, ineffabiles dolores ac cruciatus expertus eſt, donec tandem, paucis ante paſcha diebus, ſceleſtiſſimam animam evomuit altero poſt Chriſtum natum anno, regni ſui quadrageſimo, ætatis 71. *Lexic. univ hiſtor* P. III. 83. *Calviſius* Chronol. p. 463. *Caſaubonus* Exercit. I. contra Baronii Annales, G. *Calixtus* Concord. euangel. l. 1. c. 3. p. 21. & *Hiſtoria eccleſ.* N. T. in uſum Gymnaſii gothani adornata p. 65.

Chriſtoph. BESOLDI de novo orbe Coniectanea. Tubingæ, ſine expreſſione anni. Quæ huc redeunt, inſulas, adiacentemque novi illius orbis continentem, & olim multa ante ſecula orbi noſtro non plane incognitam exſtitiſſe.

Chriſtoph. *Beſoldus*, tubingenſis, I. V. doctor, ac primum in patria, deinde, ad romano-catholicam tranſgreſſus religionem, in ingolſtadienſi Codicis & Iuris publici profeſſor, nec non conſiliarius cæſareus & bavaricus, condidit Synopſin politicæ doctrinæ, aliamque rerum ab O. C. geſtarum, Diſſertationes de præcognitis politicis, Rep. curanda, Maieſtate, eiuſque iuribus, Reip. ſtatu mixto, Informatione & coactione ſubditorum, Aerario publico, Tribus domeſticæ ſocietatis ſpeciebus, Iure ordinibusque civium,

Le-

Legatis eorumque iure, Seſſionis præcedentia, Pacis iure, Arcanis rerumpublicarum, Monarchiis, Arte iureque belli, Vita & morte, Veræque philoſophiæ fundamento: Hiſtoriam conſtantinopolitano-turcicam, Hiſtoriam urbis & regni hieroſolymitani, Regum item ſiculorum & neapolitanorum, de Incrementis imperiorum, Delibuta iuris, Tractatum de appellatorio iuvamine, Commentarium ad Conſtitutiones wurtenbergenſes, & Conſultationes de variis iuris materiis, Theſaurum practicum, Commentarium in librum I. Pandectarum, Conſiliorum iuridicorum decadem, Tractatum iuris publici, Axiomata philoſophiæ chriſtianæ, Orationem in obitum D. Io. Valentini *Neyſſeri*, & alia, obiitque A. 1638. ætatis 61. Tob. *Wagner* antagoniſta eius fuit, Motivis ipſius, quibus religionem mutavit, opponens Cenſuram, eiusque Defenſionem. *Witte* Diar. biograph. M m 3. *Magirus* 129. ubi *Conringii* iudicio, quo arguitur tumultuariæ ſcriptionis, argumentorum imbecillitatis & inanium ſæpe nominum in allegationibus, addes D. *Rinkii* Programma orationis auſpicalis)(3. *Morhofii* Polyh. T. III. 110. & *Crenii* Exercit. II. de libris ſcriptor. optimis p. 19. item Methodor. T. II. 455. ac T. III. 531. Et *Rupertus* in Synopſin Beſoldi p. 254. obſervat, eum ſæpius Baronium exſcripſiſſe.

EIUSDEM Philologicus diſcurſus de natura populorum, eiusque pro loci poſitu ac temporis decurſu variatione: item de linguarum ortu atque immutatione. Tubingæ 1632. Editio ſecunda, duplo auctior priori. Inter alia multis exemplis monſtrat, gallicam, hiſpanicam, italicam linguas ex germanica multas voces petiiſſe.

Ioannis SCHILDII de coalitione populorum Libri III. Hagæ Comitum 1661. In quibus coaleſcentium initia, conditiones, res florentes, controverſiæ, vitia, res labantes, diſſolutiones ex omnis ævi hiſtoria eruuntur, ac diſſertationibus politicis illuſtrantur.

Io. *Schildius*, bremenſis, primum hiſtoriarum & græcæ linguæ, deinde quoque theologiæ in patria profeſſor, & apud Anſgarianos paſtor, condidit librum de Caucis populo Germaniæ, Notas in *Suetonium*, & Exercitationes in Corn. *Taciti* Annal. XV. ubi extrema Senecæ deſcribuntur, & mundo exiit A. 1667. ætatis 72. *Witte* Diar. biograph. Z z z 4.

Io.

Io. ERDTMANNI Noriberga in flore avitæ romano-catholicæ religionis. A. 1629. Libellus rarus, atque a Wolfg. Hier. *Heroldo*, V.I. nunc doctore, ut ipſe refert in diſputatione inaugurali de Noriberga inſignium imperialium tutelari p. 5. V. imperialibus comparatus. Isque duas habet partes, quarum prior continet 1) Pontificum & Imperatorum diplomata de imperialibus reliquiis Noribergam translatis, earumque ibidem ſollemni, ſacro & mercenario cultu. 2) Catalogum reliquiarum; poſterior 1) Bullas Paparum, quibus noricam extollunt in ſacris fidem. 2) Epiſcopi bambergenſis, cui in ſacris urbs olim paruit, litteras aliquot. 3) Calendarium indulgentiarum. 4) Aliud cærimoniarum, quæ per annum in æde S. Sebaldi obſervandæ ſunt. 5) Gravamina Prioriſſæ & Conventus ad S. Catharinæ. Sed & ſacer ac feralis hic eſt libellus, eo fine ab auctore ſcriptus, ut Noribergenſes exoſos redderet, atque in magnum, ſi poſſet, diſcrimen coniiceret.

Io. *Erdtmannus*, Argentinæ ſive natus, ſive ſedem habens, eam quippe p. 64. ſuam vocat, Noribergæ reformatæ neutiquam amicus, floruit, ſi florere dicendus eſt, qui tam hoſtilem animum gerit, anno 1629.

EIVSDEM Relatio hiſtorico-parænetica de ſacroſanctis S. R. Imperii reliquiis & ornamentis, quibus Romanorum Cæſares inaugurari, coronari, ſolemnique ritu inveſtiri conſueverunt, aliisque ſacris lipſanis in imperiali theſauro collectis, ac Norimbergæ aſſervatis. A. C. 1629. Etiam in hac relatione claſſicum ille canit contra Noribergenſes, & prava contra eos conſilia promit atque ſuppeditat, ſed irrito conatu.

Monumenta & inſcriptiones, quæ exſtant Noribergæ in templo D. Sebaldi. Opuſculum eſt imperfectum, cuius non niſi 4. plagulæ impreſſæ ſunt ob præmaturum obitum collectoris, qui erat Michaël ROETENBECK. Hæc autem in eo continentur, 1) Origo ædis Sebaldinæ in inclyta Noriberga. 2) Eobani *Heſſi* Carmen in Monumentum S. Sebaldi. 3) Syllabus præpoſitorum & paſtorum, ante & poſt reformationem, item archidiaconorum & ephororum, 4) Monumenta ipſa in choro, ad eius latera, & ſupra pergulam

muſicorum: ac deſcriptio defunctorum Tucherorum, Volkamerorum, Bohemorum, & Holzſchuerorum.

Mich. *Ratenbeck*, noribergenſis, Medicinæ doctor, atque in patria phyſicus ordinarius ac bene meritus, magno labore collegit Epitaphia, quæ Norimbergæ exſtant in templis ipſius urbis, & coemeteriis extra urbem, & obiit A. 1623. ætatis 55. *Witte* Diar. biograph. T. Epitaphia prædicta auctor nitidiſſime conſcripſit in pluribus voluminibus in 4. & ego illa, a nepote auctoris Georgio Paulo *Ratenbeccio*, ſuaviſſimo meo collega in univerſitate altorfina, precibus meis impetrata, eiusque conſenſu miſi ad D. Caſp. Sagittarium, qui me uſus eſt proxeneta, & apocha fidem dedit reſtitutionis: nec illam fefelliſſet, niſi morte fuiſſet abreptus; poſt obitum vero eius inciderunt in piceas manus, & negatum fuit adeſſe inter manu ſcripta. Quam calamitatem, aut potius iniuriam, iuſtus heres ac pius vir patienter tulit, remque Deo commendavit, in ultimo iudicio decidendam.

Io. Caſp. BERNEGGERI Forma Reip. argentoratenſis. Argentorati 1667. Olim a Matthia *Berneggero* delineata, nunc autem paulo fuſius expoſita.

Io. Caſp. *Bernegger*, Matthiæ filius, paternæ gloriæ & amoris erga litteras heres, clarum a Muſis nomen habuit medio ſæculi XVII. & ultra, atque etiam nunc habet.

Iani BIRCHERODII Τιμη Τιμαιῳ, ſive *in Platonis* Dialogum de univerſi natura, vel, uti inſcribitur, Timæum, de novo orbe non novo Schediaſma. Altdorfii Noricorum 1683. In quo oſtenditur, quædam in Dialogo illo fabuloſa quidem eſſe, ut Chronologiam ultra mundi creationem extenſam, & narrationem de bello Athenienſium contra Atlanticos, non tamen omnia: nec Atlanticam inſulam de Suecia, ut voluit Olaus *Rudbeckius*, intelligendam eſſe, ſed de America.

Ianus *Bircherodius*, Iani filius, Iani nepos, ſub patrio & avito nomine non latitavit, ſed poſt annorum aliquot in Germania, Italia, Gallia, Anglia & Hollandia peregrinationem, in patriam reverſus, ſuum etiam nomen celebre reddidit.

Vonn dem beruffenen Berckwerg Sanct Ioachimsthall, De cele-

Digitized by Google

celebribus fodinis metallicis in valle S. Ioachimi. Lipſiæ 1523. Eſt fidelis narratio Ioannis RVDTHARTI, qui demum in fine libelli nomen ſuum prodit, de fodinis metallicis in Valle S. Ioachimi, de montanis circumiacentibus, de origine, materia, & planeta metallorum, ex rei metallicæ peritorum libris depromta, & partim in proſa, partim rhythmice deſcripta.

Io. *Rudthart*, quisquis fuit, vixit in adulta ætate ſæculi XVI. nec male meritus eſt de re metallica.

Gregorii SPHALENTIANI Mons Carmeli, germanice redditus a Io. Phil. *Fabricio* 1618. Eſt deſcriptio novi ordinis Carmelitarum diſcalceatorum, cum demonſtratione, quomodo ſe hic & illic inſinuarint, quales conſpirationes & parricidia meditati ſint, quoque modo certos homines ad perpetranda talia facinora informarint, & quibus inſtrumentis, mediis ac viis ad illa utantur.

Gregorius *Sphalentianus*, olim ſocius, poſtea deſertor ordinis Carmelitarum diſcalceatorum, in contumeliam illius ſcripſit, quidquid ſcripſit. Vnde fides dictorum ſit penes ipſum.

Io. Phil. *Fabricius*, LL. ſe vocat ſtudioſum, & vixit poſt initium ſæculi XVII. credulis accenſendus.

LXXXV.

Io. Henrici BOECLERI Hiſtoria univerſalis IV. primorum a nato Chriſto ſæculorum. Cum D. Io. *Fechtii* Præfatione iſagogica, Mutuis Pauli *Sarpii* & Iſ. *Caſauboni* de Card. Baronio Epiſtolis, & Io. Gottlieb MÖLLERI Diſpp. XII. Lectionibusque privatis, illam illuſtrantibus. Roſtochii. (1695) Hiſtoria iſthæc, quæ V. Sectionibus abſolvitur, ſiſtens 1. Chronologiam, 2. Romana, 3. Externa, 4. Eccleſiaſtica, 5. Hiſtorico-litteraria, nunquam antea fuit edita, eique præmittitur Marci *Mappi* Programma academicum, in funere Bœcleri poſitum, cum Indice eius ſcriptorum. Quid autem *Fechtius* in Præfatione? Loquitur de ſuis ſub Bœclero geſtis ſtudiis, deque præceptoris ſui eruditione, pietate & laboribus litterariis, doctorumque de eo iudiciis.

D. *Fechi* in Præfat. iſag. p. 8. Compendium Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, in uſum Gymnaſii gotha- Seckendorfius, *nec ſciente, nec adiuvante Bœclero*, hiſtoriam V. Tti compoſuit; cum vero

multis

thani adornatum, *primum habet Bœclerum auctorem, qui & conſilio operaque ſua, immo ductu, Vito Ludov. Seckendorfio, qui Veteris Teſtamenti, Io. item Chriſtoph. Artopœo, qui Novi hiſtoriam* condidit, ubique adſtitit: quod & relatum ſibi eſſe in Propyleo teſtatur Severinus Walth. Sluterus. | multis diſtringeretur negotiis, hiſtoriæ N. Tti elaborandæ curam *commiſit Bœclero, qui ſocium opera illius adſcivit Artopœum.* Chriſt. Aug. *Heumann* de anon. & pſeudon. 126.

Pag. 10. Mihi dubium nullum eſt, horum quoque opuſculorum (Diſſertationis epiſtolicæ de ſtudio politico bene inſtituendo, & *Bibliotheca politica contracta*) *Bœclerum verum auctorem eſſe.* | *Verus eius auctor eſt* Io. Andr. *Boſius.* Io. Gottlieb *Krauſe* Præfat. in Bœcleri Bibliograph. criticam c. 2.

178. Miratus ſum, *Geſſelium* in Hiſt. eccleſ. *fabulam* (de donatione Conſtantini) *reponere.* | Non ut veram, ſed *ut confictam.* Vide eius Partem I. p. 420. & Addenda p. 26.

Io. Henricus *Bœcler*, natus Cronhemii in pago Franconiæ, in gymnaſio heilsbrunnenſi Io. *Meelfahreri*, & Io. Nic. *Sebülini*, Argentorati D. Io. *Schmidii* & Matth. *Berneggeri* diſcipulus, poſt acceptos in illa academia magiſterii philoſophici honores, conſtitutus ibidem profeſſor oratoriæ, poſtque ea receptus in numerum Canonicorum thomanorum, tantum inclaruit, ut auguſtiſſima Regina Sueciæ, quæ ipſa erat Pallas, deque doctorum virorum præſtantia iudicare ſciebat, eum ad profeſſionem eloquentiæ Vpſaliam vocaret. Venit ille & ornavit hanc ſpartam per annum unum: quo exacto, ad Hiſtoriographi regii dignitatem evectus, Holmiam conceſſit. Sed cum Germaniam rebus ſuis convenientiorem eſſe iudicaret, & dimiſſionem decenter peteret, non tantum eam impetravit, ſed munus titulusque Hiſtoriographi regii ei relicta ſunt, annuumque ſalarium 800. thalerorum promiſſum. Salvo & incolumi cum ſuis Argentoratum reverſo, paullo poſt ab inclyto urbis Senatu profeſſio hiſtoriarum aſſignata fuit, atque denuo ius civitatis donatum. Sed & exteri, ſummique Imperantes

cer-

certarunt quaſi in celeberrimo viro ornando & beneficiis mactando: Elector enim moguntinus conſiliarii ei ſpartam contulit, eiusque opera uſus eſt in tractatibus heilbronnenſibus de componenda inter duos Electores lite: Cæſarea LEOPOLDI Maieſtas eundem, adſcripto 500. thalerorum annuo ſalario, recepit in numerum conſiliariorum, & Comitis palatini dignitatem tam ei ampliter tribuit, ut illa iure hereditatis etiam ad poſteros, & quidem ad primogenitos, tranſire deberet: & chriſtianiſſimus Galliæ Rex, LVDOVICVS XIV. liberalitatis, aut potius inuſitatæ magnificentiæ ſuæ rivos, præter alios in orbe erudito eminentes viros, in ipſum etiam aliquot annis derivavit. ita ut vere dicere poſſis, Bœclerum ad litterariæ gloriæ faſtigium perveniſſe. Nec immerito: ſcriptis enim publicis (quorum catalogus exſtat in *Wittii* Memoriis Philoſophorum P. II. 563. & ſuppletur a *Fechtio* in Præfat. iſagog. in Bœcleri Hiſtor. univ. primor. IV. a N. C. ſeculor. p. 8.) eam eruditionis ubertatem, ingenii vim, iudiciique aciem demonſtravit, ut pro doctiſſimo non poſſet non haberi. Quamvis enim *Conringius* Conringianor. p. 75. optet, ut ille ſtili ſublimitatem poſſet temperare, & reducere ad illam tenuitatem, quam exigit ratio docendi, prout magnus fecerit Grotius; & Chriſtianus *Thomaſius* Colloquior. menſtr. T. II. 599. non æque ad ſolvenda dubia, quam ad proponenda aptum pronuntiet, iidem tamen fatentur, eruditum eſſe, nilque niſi doctum ab eo exſpectari. Sed ad finem vitæ eius pergamus. Latuit in corpore corruptorum humorum colluvies, quæ efferveſcendo & fermenteſcendo, non ſine malignitate, ſui iuris facta, colicos cruciatus, vomitiones horrendas, ingentem ſitim, anxietatem, pluraque mala intulit, ventrem magnum in tumorem elevavit, vires proſtravit, effecitque, ut pia anima, relicto, & morti tradito domicilio ſuo, in quo 62. annos habitaverat, A. C. 1672. excederet, atque eo evolaret, ubi bene ipſi eſt in æternum. *Witte* Memor. philoſoph. 557. *Spener* in Inſignium theor. *Magirus* 140. *Acta erudit.* A. 1702. 125. A. 1713. 137. *Muſeum nov. libr.* T. III. 559. *Fecht* Præfat. iſag. 10. 11. *Krauſe* Hiſt. libr. T. I. 120. *Collectio* libror. rar. T. I. 246. *Boineburg* Epp. p. 137. 311. *Borremanſius* in Krauſii Animadverſ. in Bœcleri Bibliograph. crit. 862. Io. *Moller* in Scheſſeri Suec. liter. 454. I. W. *Berger* Diſſertat. academ. p. 66. 197.

Io. Gottlieb *Møller*, gedanenſis, Chriſt. *Kortholti*, Chriſtoph. *Franckii* & *Schomeri* ac *Fechtii* diſcipulus, philoſophiæ magiſter, ac primum in academia roſtochienſi græcæ linguæ, in gymnaſio autem patrio Metaphyſices & Morum profeſſor, impetratis theologi honoribus atque privilegiis, impigre quidem, ut, antea, officio ſuo tam diſputando, quam legendo præfuit, ſed dolendo rei litterariæ fato exſtinctus eſt A. 1698. cum ad 29. duntaxat annum ætatem ſuam perduxiſſet. *Pipping* Memor. theol. 1388. Andr. *Charitius* de viris erud. Gedani ortis p. 106. Scripta eius ſunt Manuale homileticum ſynopticum, Idea Logicæ Schelguigianæ, Dodecas diſpp. ethicarum contra *Spinoſam*, præter alias diſputationes, & opuſcula affecta; de quibus videantur *Pippingius* p. 1419. & *Moelfuhrer* Acceſſ. ad Ianſonii Bibliothecam promiſſ. & latentem pag. 66.

Io. Andr. BOSII de prudentia & eloquentia civili comparanda Diatribæ iſagogicæ. Ienæ 1698. Quarum hæc prodit auctior ſub titulo de Ratione legendi tractandique hiſtoricos: accedit etiam Notitia ſcriptorum hiſtoriæ univerſalis, primum edita cura Georgii *Schubarti*. Diatribe de comparanda prudentia civili exſtat etiam in *Crenii* Methodorum Tomo II. 350. cum illius Annotationibus, eoque nomine aliis editionibus præferenda eſt; hæc tamen illa auctior. Et excuſa quidem eſt Germanopoli A. 1677. atque A. 1696. 8. cum (Io. Henr. Bœcleri) Bibliographia hiſtorico-politico-philoſophica, ſub titulo Bibliothecæ politicæ contractæ; ſed vitioſiſſime. Vide *Struvium* Introduct. ad notit. rei liter. 23. *Krauſium* in Bœcleri Bibliograph. crit. 858. & *Placcium* de anonymis p. 337. Hic præmittuntur Georgii *Schubarti* Dedicatio ad Sam. Stryckium, & Præfatio ad lectorem elegantiſſime iudicioſiſſimeque ſcripta, in quarum illa magnum Stryckium iuſtis laudibus effert, in hac Boſium contra ineptum cenſorem defendit.

Io. Andr. *Boſius*, lipſienſis, *Buchneri*, *Bœcleri*, Io. *Schmidii*, *Dannhaueri* & *Dorſchei* diſcipulus, philoſophiæ magiſter, & aſſeſſor ordinis Philoſophorum in academia ienenſi, ibidemque deinde Hiſtoriarum profeſſor, non tantum ſtudioſis in tradenda omnis generis, in primis eccleſiaſtica, hiſtoria, item ſereniſſimis Principibus ſuis, & viris paſſim eruditis operam ſuam, plus quam deſiderari

derari poſſet, probavit, ſed optimorum illuſtrationi auctorum, ut *Georgii* Syncelli, *Nicephori* CPtani, & *Theophanis*, *Geneſii*, *anonymi* hiſtorici, & Fl. *Ioſephi*, multum temporis atque induſtriæ impendit; atque in lucem labores iſtos produxiſſet, niſi morbi & mors ipſa obſtitiſſent. Interim aliis doctiſſimis ſcriptis litteratum orbem locupletavit, quæ ſunt Notæ in *Taciti* Agricolam & Corn. *Nepotem*, Diſſertatio de ſignificatu cometarum, & Diſputationes de ſono, de æſtu marino, de adorationibus veterum, de maculis ſolaribus, de coronarum geſtatione, de Imperio turcico, de ara ignoti Dei, de iuvenilibus concupiſcentiis, de Fl. *Ioſephi* periocha de Ieſu Chriſto, de oſtraciſmo, de pontificatu maximo Imperatorum romanorum, de inventa cruce dominica Narrationes veterum, Characteres beatæ reipublicæ e procemio Vitæ Agricolæ, a *Tacito* deſcriptæ. *Witte* Memor. philoſoph. T. II. 572. *Zeumer* in Vitis philoſophor. ienenſ. 123. Io. Andr. *Schmid* in Vita Caſp. Sagittarii p. 39. Viri inter litteratos ſummi, *Conringius* & L. B. *a Boineburg* magnas ei laudes tribuunt: ille enim in funere eius haud dubitavit hoc modo canere:

Perdidit hoc obitu praſtantem Iena magiſtrum,
Nec referent facile tempora multa parem;

hic ad Pruſchenckium A. 1665. prout refertur in *Struvii* Actis litterar. Faſc. II. p. 54. ſcripſit: *Boſius veſter eſt vir praclarus, & in ſtudiis, cum primis ad pragmaticam hiſtoria politicaque tractationem facientibus, perinſignis. Per ſunt egregia, qua ab illo homine componuntur. Nihilo inferior eſt in civilis rei perſpicientia ac diiudicatione aliis, quibus hodie patria noſtra claret: quod quippe Helmſtadienſi academia* Conringius, *quod Argentoratenſi eſt* Bœclerus, *quod Heidelbergenſi* Ramſpeckius *ac* Puſendorfius, *quod Lipſienſi* Thomaſius, *quod* Hornius *Leidenſi*, *quod* Mauritius *&* Heſenthalerus *Tubingenſi*, *Marpurgenſi* Lentulus, *Chilonienſi deinceps* Rachelius, *quod aliis alii*, *tantundem Ienenſi eſſe debet*, *eſtque* Boſius. Quibus adde *Schubartum* Præfat. in Boſii ſcripta præſentia, Io. *Sanbertum* Præfat. in librum de ſacrificiis p. 100. *Gravium* Epiſtolar. p. 289. *Crenium* Animadverſ. P. I. 9. & I. Alb. *Fabricium* Præfat. in Biblioth. gr. Volumen V.

Holmia literata, Holmiæ 1701. Recenſetur in *Actis erudit.* A. 1702. p. 230. & dicitur incerti eſſe auctoris. Eſt autem eius auctor Richar-

Richardus *von der* HARDT. Similis liber eſt Ant. *Stiernmani* Aboa literata. Stockholmiæ 1719. 4.

Richardus *Von der Hardt*, weſtphalus, Hermanni noſtri frater, antiquarius holmienſis, obiit paucis abhinc annis.

Thomæ SMITHI Vitæ quorundam eruditiſſimorum & illuſtrium virorum. Londini 1707. Nimirum Iac. *Vſſerii*, Io. *Coſini*, Henr. *Briggii*, Io. *Bainebridgii*, Io. *Gravii*, Petri *Iunii*, Patricii *Iunii*, Io. *Dee*, ſive *Devi*. In Præfatione narrat auctor, cuius exemplum ſecutus ſit in Vitis præſtantiſſimorum virorum latine deſcribendis, & unde ſua hauſerit.

Thomas *Smith*, diſtinguendus a cognomini, Equite aurato, Iuris civ. doctore, & Regis Eduardi VI. ac Reginæ Eliſabethæ primo ſtatus ſecretario, doctor theologiæ, eccleſiæ anglicanæ presbyter, & Collegii b. Mariæ Magdalenæ apud Oxonienſes ſocius, de ſtudio hiſtorico & antiquitatum optime meritus, (edidit enim Diatriben de chaldaicis paraphraſibus, Syntagma de Druidum moribus ac inſtitutis, Epp. IV. de moribus Turcarum, Epiſtolam de Græcæ eccleſiæ hodierno ſtatu, & Miſcellanea) clarum inter eruditos nomen habuit per integram ſæculi XVII. partem poſteriorem, & pollicitus eſt præſtantem *Bedæ* Hiſtoriæ eccleſiaſticæ editionem. *Hyde* Catal. biblioth. Bodlei. T. II. 169. Io. Andr. *Schmidius* T. II. Sagittar. Introduct. in hiſt. eccleſ. 226.

Io. Mauritii SCHRAMMII de vita & ſcriptis Iulii Cæſ. Vanini Tractatus. Cuſtrini 1709. Auctior editus A. 1715 Vide Novam biblioth. T. V. 780. In quo genus, mores & ſtudia famoſi illius, ut vocat, athei, e ſcriptis & auctoribus fide dignis excerpta, & errores hominis ſimul refutati ſunt. Vide *Acta erudit.* A. 1709. 260. Sicut autem Vaninus accuſatur hic atheiſmi, ita eum defendere ſtudet auctor Apologiæ pro illo, Coſmopoli A. 1712. in 8. recenſitæ in Bibliotheca nova Tomo III. 64. Exſtat etiam Doctrina & vita Vanini auctore *Durando*, quæ continet excerpta e Schrammio, & debebat inſeri Baſnagii Hiſtoriæ operum virorum eruditorum. Adi iterum *Novam biblioth.* T. X. 113.

Io. Maur. *Schrammius*, natus Iſingiæ in Præfectura colbacenſi Vlterioris Pomeraniæ d. 7. Octobr. A. 1675. in pueritia ſumma

ma paupertate preſſus, ſed a pia virgine, Micrælii, rectoris ſcholæ ſtedinenſis filia natu maiore, cui immortales ſe gratias debere profitetur, inde liberatus, atque ad litterarum ſtudia promotus, docuit in ſchola primum cuſtrinenſi, deinde regimontana Novæ Marchiæ: nunc autem ibidem fungitur munere eccleſiaſtico. *Obadiam* prophetam commentatione explicare ſtuduit, aliquot etiam Programmata & Carmina edidit; ſed cura animarum, quæ nunc ei concredita eſt, tale eſt opus, ut vix tempus ſuppetat ad tractandum parerga.

LXXXVI.

Reineri REINECCII Collectanea hiſtorica, cum eiusdem Scholiis & Enarrationibus. Helmſtadii 1584. 1585. E bibliotheca G. Calixti. Conſtant II. Partibus, quarum prior exhibet CHRONICON HIEROSOLYMITANVM incerti auctoris, ſeu de bello ſacro Hiſtoriam, expoſitam libris XII. nunc primum in lucem editam, in qua geſta narrantur a Godefredo Bullionenſi uſque ad Balduinum II. Cui *Reineccius* Appendicem, Henricus autem *Meibomius* Chronologiam adiunxit; poſterior 1) Conradi *Vecerii* Commentarium de rebus geſtis Henrici VII. Imperatoris. 2) CAROLI IV. Imp. Vitam, ab ipſomet deſcriptam: 3) *Iohannis*, archiepiſcopi pragenſis, & Apoſtolicæ ſedis legati ſecundi Sermonem poſt mortem Caroli IV. dictum. 4) *Haythoni* Hiſtoriam orientalem. 5) Marci *Pauli* veneti Itinerarium, ſeu de rebus orientalibus libros III. In quibus India & Tartarorum imperium deſcribitur. Editum etiam fuit ab Andr. *Müllero*, præpoſito berolinenſi; deque veritate huius Hiſtoriæ teſtatur *Voſſius* de Hiſtor. lat. p. 154. & *Colomeſius* p. 818. 6) Fragmentum de rebus orientalibus e Speculo hiſtoriali *Vincentii* belvacenſis. *Reineccius* Præfationum ſive Dedicationum utriusque Partis auctor eſt, inque illis cum de occaſione huius operis, tum de ſcriptis eorumque formatoribus erudita proponit, & longam ad Haythonum Appendicem adiicit.

In M. *Pauli* Itinerario p. 83. Sunt etiam ibi regiones Gog & Magog, quos illi nominant *Lug & Mungug*. *Gug & Magug*. Ant. *Grellotus* Prodr. in Apocal. c. 20. p. 222.

Reinerus *Reineccius*, Steinhemo-paderbornenſis, Martini *Meibomii* & Io. *Glandorpii* in ſcholis diſcipulus, philoſophiæ magiſter, poſt multos variis in academiis transactos annos docuit Francofurti ad Viadrum & Helmſtadii Saxonum, ſed magis ſcriptionibus, quam prælectionibus, & hic quidem fortuna uſus eſt ſecundiore, quod utrumque Principem, Iulium, & Henricum Iulium, patrem ac filium, benigniſſimos experiretur, & collegas haberet ſui amantes, homo ſine fuco, & cuius conatus omnes probabant intelligentes & docti viri. Bonæ litteræ, atque in primis hiſtoria, magnam ex eius obitu, qui incidit in annum Chriſti 1595. ætatis 54. iacturam acceperunt, meritoque ei poſitum hoc epitaphium:

Quicquid Græca docet, quicquid Romana vetuſtas,
Qui iacet hic, animo clauſerat ille ſuo.
Nulla parem, nedum maiorem, ſecula norunt,
Ingenio tantus iudicioque fuit.
Dum ſunt hiſtoriæ ſplendor conſtabit, & arti,
Huic ſacer æterna laude manebit honos.

Scripta eius merentur, ut ſingula commemorentur. Sunt autem ſequentia: Familiae Regum ponticorum & boſphoranorum, Seleucidarum, Regum Macedoniæ, Arſacidarum, Regum Iudæorum, Regum Mediæ & Bactrianæ, Regumque ſpartanorum & meſſeniacorum, Syntagmata de familiis, quæ in monarchiis tribus rerum potitæ ſunt, Vita *Ditmari* epiſcopi Marſepurgi, Origines ſtirpis brandenburgicæ, Methodus legendi hiſtoriam tam ſacram quam profanam, Epiſtolæ duæ de *Widechindo* magno, Commentarius de rebus perſicis, Hiſtoria Iulia, Vita Gregorii *Horſtii*, & Commentarius de Saxonum originibus, hiſque annexa Vrbe & Ducatu brunſvicenſi. Io. *Goes* in Variis de Weſtphalia opuſculis p. 224. & *Rollius* Memor. philoſophor. Dec. II. 59. *Calvör* Saxon. infer. 542. *Kœnig* 684. *Lexicon univ. hiſtor.* T. IV. 271. *Magirus* 703. Henr. *Meibom* in Iunckeri Bibliotheca iſenac. 94. *Hallervord* Spicileg. de Hiſtoricis lat. p. 668. Io. *Moller* de Helmoldo §. 9. *auctores Carminum*, quæ in operis huius hiſtorici initio, & poſt Vitam Caroli IV. reperiuntur, *Heidmannus* in Palæſtina D d 3. & Io. *Caſelius* de Bono academiæ F 4. qui eum vocat virum non ſolum doctrina, ſed vitæ integritate & fide præſtantem. Quod elogium pro viro academico

demico tantum eſt, tamque honorificum, ut non opus ſit alia afferre.

Conradus *Vicerius*, MAXIMILIANI Imp. a ſecretis, floruit in fine ſæculi XV. & initio ſæculi XVI. idemque condidit Hiſtoriam de duabus ſeditionibus Siciliæ, quæ ortæ fuere anno 1517. *Voſſius* de Hiſtor. lat. l. 3. c. 10. p. 202.

Wenceslaus, IOANNIS Bohemiæ regis filius, natus Pragæ, ſed in honorem CAROLI IV. Galliarum Regis, in cuius aula educabatur, mutato nomine dictus *Carolus*, a patre conſtitutus Marckgravius Moraviæ, in ſcientiis, linguis & exercitiis tantum profecit, ut pro mago haberetur, atque ad Imperium a IV. Principibus, inſtigante Papa CLEMENTE VI. electus quidem fuit, ſed illud adminiſtrare noluit, niſi poſt mortem LVDOVICI V. bavari, neque etiam potuit, uſque dum precibus ac pretio victi cederent duo æmuli, atque ipſimet iam electi ad coronam imperialem, *Fridericus* Landgravius Thuringiæ & Marchio misnenſis, & *Guntherus* Comes de Schwarzburg: quamquam erga hunc improba etiam & nefanda arte uſus ſit, quam ſeria, uti credendum, poſtea pœnitentia eluit. Laudandus eſt ob doctrinam, & amorem erga litteras ac litteratos, item ob Auream, quam condidit, Bullam, in qua quid in electione Cæſaris obſeruandum ſit, approbantibus Imperii Ordinibus, ſapienter præſcripſit: ſed iurium & bonorum Imperii fuit negligens & prodigus, ideoque illius vitricus appellari ſolet, & tandem mortuus eſt, ubi natus fuerat, anno 1378. *Lexicon univ. hiſtor.* P. I. 537. *Philippus* bergomas ad annum Chriſti 1347. & 1362. cuius verba hic CAROLI Vitæ præmittuntur, G. A. *Schmidt* Hiſtor. cum figuris P. II. 173. C. A. *Rupertus* Obſervat. in ſynopſ. Beſoldi minor. 629. *Schurzfleiſch* Epp. ſelect. p. 150.

Haythonus, ſive ut alii ſcribunt *Haitonus*, vel *Aitonus*, armenius, AITONI, Armeniæ Regis filius, diu miles, tandem monachus Ordinis præmonſtratenſis, idemque, qui *Antonius Curchinus*, vel *Curgginus* (nam Antonii nomen accepit, quando factus eſt monachus, alterum autem corruptum eſt ex Georgianus, i. e. venerator S. Georgii) librum ſuum Pictavii, ex mandato CLEMENTIS V. gallice dictavit Nicolao *Salconi*, qui eum deinde,

eiusdem Pontificis iuſſu tranſtulit latine; ſed, pro ſæculi illius more, ſatis barbare. *Voſſius* de Hiſtor. lat. lib. 2. c. 62. p. 156. *Neu* Acceſſion ad Whear P. II. 39.

Marcus *Paulus*, venetus, e nobili familia, cum patre ſuo Nicolao, eiusque fratre Matthæo, declinante ſæculo XIII. in Orientem profectus, multas eius terras, dum pater in aula permanſit magni Cham CVBLAI, vidit ac perluſtravit, ſed &, in gratiam popularium, italice, & bona quidem fide deſcripſit; latina autem verſio, eaque ſemibarbara, eſt Fran. *Pipini*, franciſcani Generalis. *Voſſius* de Hiſtor. lat. l. 2. c. 60. p. 154. *Placcius* de pſeudon. 489. *Neu* l. c.

Vincentius, burgundus, ordinis Prædicatorum, cognomento Bellovacenſis, non quod ibi epiſcopus fuerit, ſed ob frequentem illo in loco commorationem, ſumtus ſuppeditante Francorum rege LVDOVICO IV. ſcripſit Specula, Doctrinale, Hiſtoriale, Naturale & Morale, (ſi tamen Morale eſt Bellouacenſis, & non alterius Vincentii. *Moller* de Homon. 641) quæ variis in locis excuſa, Duaci vero tandem A. 1624. cum ſuperbo titulo *Bibliotheca mundi* prodierunt, & alia, de quibus *Friſius* in Epit. Biblioth. Geſner. p. 816. obiitque A. 1256. vel 1264. *Voſſius* de Hiſt. lat. l. 2. c. 59. p. 150. *Thomaſ.* de plag. liter. §. 579. *Cave* p. 499. *Olearius* T. II. 228. *Kœnig* 846. *Neu* Acceſſ. ad Whear. 198. *Crenius* T. II. Methodor. 505.

LXXXVII.

Godofr. Guilielmi LEIBNITII Acceſſiones hiſtoricæ. Hanoveræ 1700. Quibus potiſſimum continentur ſcriptores rerum germanicarum, & aliarum, adhuc inediti ſequentes: In Tomo I. 1) *Chronographus ſaxo*, incipiens a nato Chriſto, & finiens anno 1188. 2) *Iohannis Vitodurani* Chronicon, res ſæculi XIII. non quidem omnes, plurimas tamen deſcribens. *Voſſius* l. 3. de Hiſtor. latinis c. 9. p. 250. hiſtoriam hanc ad annum uſque 1348. refert productam eſſe, quæ ſcripta exſtet in cœnobio S. Galli; ſed quæ hic comparent, eo uſque non pertingunt, neque etiam apud Sangallenſes repeꝛiuntur. Additur Breve chronicon eccleſiæ trevirenſis, & Catalogus Canonicorum leodienſium, qui ex parte videtur eſſe fabuloſus. 3) *Golſcheri* Geſta Treuirorum, ab urbe condita uſque

ad

ad annum Chriſti 1132. 4) *Vetus Chronicon Holſatiæ*, quod in codice Lambecii titulum gerit Continuationis Chronici Slavorum Helmoldi: Wagria enim cum vicinia olim ad Slaviam referebatur. Incipit a C. M. & finit in anno 1448. In Tomo II. Chronicon *Alberici*, a C. M. uſque ad annum Chriſti 1241. Legendæ etiam ſunt *Præfationes* Leibnitii, utrique Tomo præmiſſæ, quippe in quibus non tantum docte diſſerit de ſcriptis hiſce eorumque auctoribus, verum etiam de *Veronica*, quæ ſignificet veram icona, gloriam vindicat danicæ gentis, & *Hugonem de S. Victore* germanum, & quidem e Saxonia inferiore fuiſſe evincit.

Chronographus Saxo merito chronographus appellatur, qui per annorum ſeriem non male decurrit, & temporum examen ſibi curæ fuiſſe oſtendit. Vixit in cœnobio magdeburgenſi S. Ioannis, declinante ſæculo XII.

Ioannes Vitoduranus, ſive de oppido Winterthurn, helvetius, monachus ordinis Minorum, ſcripſit floruitque ſæculo XIII.

Golſcherus, S. Matthiæ apud Treviros monachus, inter vivos verſatus eſt anno 52. ſæculi XI. & fuerit idem, qui Anonymus Browerianus.

Albericus, monachus Trium fontium, ordinis ciſtertienſis, diœceſis leodienſis, ſæculo florens XIII. in rebus exquiſitis, teſte *Chifletio* apud Leibnitium Præfat. poſter. p. 2. valde copioſus eſt, & tria præ aliis habet ſingularia: quod Principum illuſtriumque ſtemmata accurate deſcribit. 2. Chronicorum, quæ poſtea interierunt, ſelectiores locos collegit, ſuoque inſeruit Chronico. 3. ſcriptorum, qui typis editi ſunt, ſententias, ex melioris notæ codicibus petitas, producit & exhibet.

LXXXIIX.

PROCOPII *Ανεκδοτα* ſeu Hiſtoria arcana, primum ex bibliotheca vaticana prolata, nunc falſitatis convicta a Io. *Eichelio*. Helmſtadii 1654. Nic. *Alemannus* quidem, qui & falſo *Ανεκδοτα* reddidit per *Hiſtoriam arcanam*, cum probe ſciret *ανεκδοτον* non ſignificare arcanum, eam defendere ſtuduit, ſed nihil egit, & apud veri ſtudioſos fidem decoxit. Io. *Eichelius* igitur contra Procopium eiusque defenſorem diſputat cum in Animad-

verſionibus, tum in Præfatione, quæ longa eſt perque erudita, quippe in qua ſermo eſt de hiſtoriæ norma, fide hiſtoricorum, *Alemanni* editione A. 1624. Lugduni curata, differentia huius & reliquorum Procopii ſcriptorum, *Procopio* eiusque moribus, ſumma τῶν ἀνεκδότων, & aliis. Et iuvat ſummam errorum recitaſſe, in quos *Procopius* incidit, quando IVSTINIANVM Imp. hoc ſcripto impetere nullus dubitavit: nam 1. quædam ſunt ex numero eorum, quæ ne fieri quidem poſſunt, aut potuerunt. 2. quædam conſtanti æqualium conſenſu refelluntur. 3. quædam ipſe refutat in libro de Aedificiis, aut in aliis ſcriptis prioribus longe aliter prodidit. 4. quæ alibi impenſe laudavit, acriter hic vituperat. 5. quæ fortuito accidere, & ab aliis facta ſunt, ea IVSTINIANO tribuit. 6. quæ ex ſe laudabilia, magnopere reprehendit. 7. quæ vituperanda, laudat. 8. quæ ex ſe neque laudanda, neque vituperanda, iis ad traducendum Imperatorem utitur. 9. plurima optime ab eo facta, in peſſimam detorquet partem. 10. omnes rumuſculos ſervulorum, ancillularum, monachorum, viliſſimæque plebeculæ, immo inſomnia captat, quibus fama Imperatoris auguſti gravetur. 11. eaque addit, quæ omnium illa ætate viventium teſtimoniis deſtituuntur. Ita tamen hæc de Procopio dicuntur, ut Eichelius non tam credat certusque ſit, eum eſſe ipſum ἀνεκδότων auctorem, quam ſupponat. Confer *Placcium* de pſeudonymis p. 521. Præfationi ſubiunguntur Elogia IVSTINIANI Imperatoris ex *Procopio*, *Agathia*, *Iornande*, papa *Ioanne II. Agapeto*, *Euſtathio*, *Euagrio*, *Paulo* diacono, *Agathone* papa, *Aimonio*, Io. *Trithemio*, & Balth. *Bonifacio*.

Procopius, Cæſareæ in Palæſtina natus, a Procopio gazæo diſtinguendus, primum rhetor & ſophiſta, ſive profeſſor & cauſſidicus, deinde ſenator CPtanus, poſtea comes, notarius & conſiliarius Beliſarii ducis, in Africam ituri, chriſtianus ne? an gentilis, aut ambidexter, ſive neque prorſus gentilis, neque prorſus chriſtianus, chriſtianam ſaltem religionem præ ſe ferens, floruit medio ſæculi VI. & ſcripſit Libros II. de bello perſico, totidemque de bello vandalico, IV. de gothico, & VI. de ædificiis. Omnia eius opera, & quidem emendatiora, prodierunt Pariſiis cura & ſtudio Claudii *Maltraiti* ieſuitæ A. 1662. in fol. *Suidas* T. III. 18[illegible]. *Voſſius* de Hiſtoricis græcis lib. II. cap. 22. *Cave* Scriptor. eccleſiaſt. Hiſt.

liter.

liter. p. 228. *Olearius* Biblioth. Scriptor. eccleſ. T. II. 105. *Magirus* 689. *Pope-Blount* 323. Beat. *Rhenanus* Orig. goth. p. 89. *Rupertus* in Synopſin Beſoldi 502. *Schurzfleiſch* Epp. ſelect. p. 591. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. vol. V. p. 248. & D. *Gebelius* noſter, IC. percelebris, Orat. de cauſſis corr. Iurisprud. 20. De *Eichilio* nihil addimus: locuti enim de eo ſumus P. IV. 152.

Dan. CLASENII de oraculis Gentilium, & in ſpecie de oraculis ſibyllinis Libri III. Helmſtadii 1673. In fine adiuncta ſunt Carmina Sibyllina e verſione Seb. *Caſtalionis*, cumque eius Annotationibus, & Onuph. *Panvinii* Tractatus de Sibyllis. In I. libro tractatur de oraculorum origine, auctoritate, cauſſis, locis, ambiguitate in reſpondendo, & defectu, deque cærimoniis in adeundis oraculis, & poſt eorum reſponſum: in II. de variis oraculis, ut, delphico, locis Ammonis, dodonæo, trophonio, delio, Branchidarum, Apollinis colophonii, ſebennytico Latonæ, Serapidis, Amphiarai, Mopſi & Calchantis, Bacidis, Geryonis, Phryxi, & Tiræſiæ; Cereris, Paphiæ Veneris, Hyblæ, Nymphæo, antiocheno, pharenſi, thracico, boeotico, Dianæ, lamidarum & thryxæi Apollinis, item puerorum & mortuorum: in III. de numero Sibyllarum, & ſpeciatim de perſica, libyca, delphica, cumæa, erythræa, ſamia, cumana, helleſpontica, phrygia, tiburtina, Herophile, epirotica, de principio unde Sibyllæ vim divinandi accepiſſe creduntur, de cura & veneratione librorum ſibyllinorum, de carminibus ſibyllinis, quæ alii habent pro genuinis, alii pro ſuppoſititiis; ubi quidem auctor, quid ſentiat ipſe, diſſimulat. De *Claſenio* noſtro vide *Partem* IV. 27.

LXXXIX.

Io. MAYERI Summariſcher Inhalt, Compendium chronologicum ſeculi a Chriſto nato decimi ſexti. Monachii 1598. In quo deſcribuntur res terra marique in toto orbe geſtæ, nec non varii mores & ritus aliquarum gentium & regionum. Pag. 29. 57. 58. 59. 65. 66. 67. 74. 75. 76. 86. 92. 99. 102. 105. 108. 112. 121. commemorare ſuſtinet, ſed qua fide, ipſe viderit, Proteſtantes variis in locis perſecutiones exercuiſſe contra Romano-Catholicos: atque ad annum 1595. p. 126. inter milites chriſtianos a Turcis captos, & Conſtantinopolin abductos fuiſſe narrat feminam, quæ caſtitatem

ſer-

ſervaverit in militia, & militis officium probe fecerit, ideoque a turcico Imperatore, tanquam rara avis, donata fuerit dominæ Imperatrici. In Dedicatione ſcribit auctor, dictum illud, unius corruptionem eſſe alterius generationem, potiſſimum in libris hiſtoricis verum nos experiri, eorumque obiectionem diluit, qui putant, paſtori aut theologo non convenire, ut horas ſubciſivas tribuat legendis ſcribendisve hiſtoriis.

Ioannes *Mayer*, bavarus, paſtor eccleſiæ iartzenſis in epiſcopatu Friſingenſi, floruit in fine ſæculi XVI.

Ioannis LETZNERI Corbeiſche Chronica, Chronica corbeienſis. Hamburgi 1590. Recognita & emendata editio. Recentior tamen & auctior eſt illa, quæ ſub titulo Chronicæ, ſive Hiſtoricæ narrationis de vita & geſtis LVDOVICI Pii Imp. prodiit Hildeſiæ A. 1604. 4. Capitum Chronicæ (ſic enim auctor nomen hoc format) præſentis ſunt XXIV. aguntque de libris, auctoribus & monumentis, e quibus Chronica eiusque Præfatio (in qua ſermo eſt de litteris & arte ſcriptoria, variisque modis, quibus homines uſi ſunt ad res poſteris deſcribendas; videlicet in foliis & corticibus arborum, in tilia & papiro arbore, in tabellis ligneis ceraque obductis, in tabellis plumbeis, in pergamena, & charta e præſegminibus linteis confecta) compoſita eſt, de origine S. Benedicti & Corbeiæ duplicis, translatione Corbeiæ Sollingenſis ad Viſurgim, ſitu & ædificiis, divitiis, ſcholis & viris doctis Corbeiæ, doctrina *Algeri* de S. cœna, æde ſacra & cultu divino, litania, privilegiis, tutela cæſarea Corbeiæ, de officio Mareſchalli, aliquibus familiis nobilibus vaſallis Monaſterii, Iriminſula, S Vito, eiusque ſaltatione, & mercatu, STEPHANO IV. aliis V. & PASCHALI Papis, LVDOVICO Pio & Abbatibus Corbeii: atque in Appendice, de libero campi iudicio, legibus a CAROLO M. eccleſiæ latis, inſignibus, & pretioſo Euangeliorum libro. De Letznero diximus P. III. 43.

XC.

Caſp. SAGITTARII Alter Zuſtand, Antiquitates regni thuringici. Ienæ 1685. In quibus agitur de antiquo regno thuringico, eiusque Regibus, abolitione, & diviſione inter Francos & Saxo-

Saxones, item de nomine & exſtructione urbis Erfurti. Cum Petri *Albini* Specimine hiſtoriæ novæ Thuringorum, nunquam antehac edito. *Acta erudit.* A. 1685. 361.

Pag. 280. Sæculo XVI. in expugnatione arcis Grimmenſtein inventa eſt *antiquiſsima* moneta, in qua duæ coronæ e diametro poſitæ *ad indicandam inter Francos & Saxones diſtributionem regni thuringici*, litteræque *THV* indicant Thuringiam.

Moneta illa *non eſt antiquiſsima*, neque alia quam *gothana*, (nam loco THE, litteris GO initialibus detritis, legerunt THV) & duæ coronæ ſunt *inſignia Miſniæ & Thuringiæ. Schlegel* de nummis bract. 38. 109.

Petrus *Albinus*, ſchneebergenſis, primum profeſſor hiſtoriarum wittebergenſis, deinde ſecretarius & archivarius dresdenſis, vixit temporibus Auguſti Electoris Saxoniæ circa annum 1580. & ſcripſit Chronicon miſnenſe, Genealogiam Domus ſaxonicæ, & Novæ Saxonum hiſtoriæ progymnaſmata, ab Henr. *Meibomio* laudatus, ut vir eruditiſſimus, & qui non minore iudicio, quam diligentia, rara admodum mixtura, hiſtoriam tractaverit. *Calvær* in Append. ad Saxoniam inferior. antiq. gentil. & chriſtian. p. 545. & *Neu* in Acceſſion. ad Mantiſſam de Hiſtoricis particular. 231.

Caſp. SAGITTARII Grundlicher und ausfuhrlicher Bericht, Antiquitates gentiliſmi & chriſtianiſmi thuringici, in quibus *Bonifacium* non primum Thuringorum apoſtolum fuiſſe oſtenditur, & univerſa eiusdem vita percenſetur. Ienæ 1685. Vide *Acta erudit*. A. 1685. 363.

EIVSDEM Alt-thuringiſches herzogthum, Antiquitates Ducatus thuringici. Ienæ 1688. In quibus oſtenditur, poſt deſtructionem regni thuringici, eiusque diviſionem inter Francos & Saxones, ſaxonicam partem verum fuiſſe ducatum: hiſtoriæ, quæ in Thuringia contigerunt ſub germanicis Regibus & Imperatoribus uſque ad CONRADVM I. colliguntur & explicantur: quomodo regium regimen per Duces & Graviones, nec non per Centenarios, Decanos, Vicecomites, Scabinos & alios fuerit geſtum: & quomodo ſe res olim habuerit circa monaſteria thuringica. Subinde etiam corriguntur vulgares errores, & veritas contra eos defenditur, e.g. CAROLI M. patriam fuiſſe Thu-

ſingiam, Monaſterium & templum erfurtinum in monte S. Petri condita eſſe a *Wilhelmo* abbate hirſavienſi, non vero a Dagoberto, Francorum rege. *Acta erudit.* A. 1689. 52. De his tribus D. Sagittarii ſcriptis, de quibus hactenus diximus, ita iudicat clariſſimus Tubingenſium profeſſor *Neu* in Acceſſion. ad Mantiſſam de hiſtor. particular. p. 266. *Magni merito hac omnia fiunt, quod non ex editis tantum, verum etiam ex variis manuſcriptis ſtupenda induſtria collecta fuerunt.* Et Ger. *a Maſtricht* in Catalogo biblioth. ſuæ pag. 590. utilia eſſe ad hiſtoriam.

Pag. 270. Carolus *du Freſne* ſub Francis & Hominibus francis *tantum* nobiles intelligit. Ille vero T. II. 522. ait, *potiſſimum* nobiles intelligi.

XCI.

Monumenta paderbornenſia. Noribergæ 1713. Ex hiſtoria romana, francica & ſaxonica eruta, & novis inſcriptionibus, figuris, tabulis geographicis & notis illuſtrata. A quonam? a magni nominis Principe, Ferdinando *a* FVRSTENBERG. Editio tertia, prioribus (de A. 1670. & 1672) auctior & emendatior, immo & elegantior, curata a D. Euchario Gottlib *Rink.* Atque hic vetuſtiſſima maximeque memoranda Romanorum & Germanorum monumenta exhibentur, videlicet Caſtellum Aliſonis a *Druſo* excitatum, Caſtra *Druſi*, *Germanici* & *Tiberii* Cæſarum, Tribunal *Vari* conſulis, Luppiæ & Amiſiæ flumina, toties alterno Romanorum Germanorumque ſanguine intumefacta, Saltus teutoburgienſis Variana clade cæſis legionibus & amiſſis aquilis nobilitata, Ara *Druſi* & cæſorum militum tumuli, *Arminii* & *Widikindi* Caſtra. Hic etiam caſtrum Eresburgum, in eoque idolum Martis, quod Irmenſulam appellarunt: hic Brunsberga, Driburgum, quod olim Iburgum vocabatur, Deſenberga, & Schidroburgum, arces & monumenta Saxonum in editis montium iugis tanto Francorum ſanguine expugnata: hic Thietmallum & Sindfeldius campus, duo loca tropæis CAROLI præclara. Vide *Acta erudit.* A. 1713. p. 17. & *Nouvelles litteraires* T. III. 55. Huic operi alia præmittuntur, alia ſubiunguntur. Præmittuntur 1) *Rinkii* Epiſtola dedicatoria ad Sereniſſimum potentiſſimumque Electorem Brunsvic. ac Luneburg. cuius virtutes & felicitatem extollit. 2) Præfatio

fatio Bernardi *Rottendorfii*, archiatri reverendiſſimi ac celſiſſimi Principis Ferdinandi, quam inclyti *Actorum eruditorum* Collectores l. c. doctam & elegantem vocant: nam in ea commemorantur contenta operis, Ferdinandi genus, ſtudia, virtutes & munera deſcribuntur, & hiſtoriæ culturam Principe dignam eſſe evincitur. 3) Ipſius *Ferdinandi* Præfatio, in qua cauſas aperit, quæ ipſum ad concinnandum hoc opus impulerint, de Saxoniæ ſuæque diœceſeos variis diviſionibus erudite agit, eaque in fine eſt modeſtia, ut veniam petat, ſi quid minus expoſitum exactumque hic reperiatur. Subiunguntur autem 1) Panegyricus, die natali academiæ Theodorianæ paderbornenſis Theodoro Epiſcopo Principi a Collegio academico ſocietatis Ieſu oblatus, compoſitus autem a Io. *Herrione*, prædictæ Societatis doctore theologo. Qui quidem eſt inſtar ſpeculi, in quo defunctorum Furſtenbergiorum res in toga ſagoque pro patria atque eccleſia fortiſſime geſtæ repræſentantur. 2) Manes Ferdinandei, ſive leſſus & lacrumæ parentales, quas funeri Ferdinandi Pallas Theodoriana *Collegii ſocietatis Ieſu Paderbornæ* affundit. Pag. 299. exhibetur Privilegium CAROLI M. Imp. datum Eccleſiæ oſnabrugenſi, & p. 301. *eiusdem* Capitulatio de partibus Saxoniæ. De illo vide clariſſ. I. G. *Eccardum* in peculiari de iſto privilegio ſcripto, de hac *eundem* p. 18. & *Acta erudit.* A. 1718. p. 422.

Ferdinandus Liber Baro a *Furſtenberg*, Epiſcopus paderbornenſis & monaſterienſis, Burggravius ſtrombergenſis, S. R. Imperii Princeps, Comes Pyrmontanus, Dominus in Borkelo, ſummus litterarum ac litteratorum fautor, ſed & ipſe omni liberali doctrina, atque in primis poëtica arte, quod Elegi eius, hoc opere contenti, & cetera ſeorſum impreſſa carmina teſtantur, ad ſtuporem uſque politiſſimus, eoque nomine a romanis Proceribus ac litteratiſſimis viris, immo & ipſo ALEXANDRO Papa VII, acri eruditorum cenſore magni æſtimatus, ab eoque in cubicularium, ſicut ab Academicis in principem ſocietatis, qui duo honores rari quid erant Romæ in homine extero & germano, aſſumtus, atque ita per eruditionem ac virtutem ad epiſcopalem & principalem dignitatem evectus, non voluptatibus in ea indulſit, ſed vigilantem amantiſſimumque cleri ac patriæ patrem egit, cœnobia, ſacerdotia, & eleemoſynas ingentes fundavit, ſummorum

Pontificum, Regum, Principum benevolentiam ſibi conciliavit, pacem diœceſibus paravit, amiſſa recuperavit, atque omnes boni Paſtoris ac Principis partes implevit, donec cruciatibus calculi ſero nimis exſecti fortiter ac ſuaviter, ut omnia alia, toleratis animam Deo, corpus ſarcophago, & nomen immortali memoriæ traderet anno partæ ſalutis 1683. vitæque ſuæ 56. *Acta erudit.* A. 1713. 16. *Rottendorf* in Præfat. Chriſtianus Theodorus *a Plettenberg* in Dedicat. Panegyrici, *Schurzfleiſch* Epp. ſelect. p. 51. *Mader* in Dedicat. Diſſertationis de duello, *Magirus* 369. *Conring* Epp. p. 17. 30. 33. 46. 68. B. G. *Struve* diſp. de ſynodo francica anni 742. p. 19. & *Neu* in Acceſſionib. ad Mantiſſam p. 158.

Eucharius Gottlib *Rink*, lipſienſis, natus A. 1670. I. V. Doctor, Iuriſque publici & canonici profeſſor in academia altorfina ordinarius, tantam conſecutus eſt famam atque æſtimationem, quantam elegantiora ac politiora ſtudia, & accuratior puriorque philoſophia, ſi cum legum peritia coniungantur, ICto alicui conciliare & conferre poſſunt. Hinc etiam in *Actis eruditorum* ad A. 1713. p. 18. laus ei tribuitur profeſſoris de elegantioribus literis optime merentis; & illuſtris *Bandurius* in præſtantiſſimo Bibliothecæ nummariæ opere p. 141. fatetur, ad hanc ætatem neminem tanta diligentia, quæ ad nummorum veterum cognitionem perfectam faciunt, quanta eruditum hunc Germanum, conquiſiviſſe: tametſi enim laudabilis ſit plerorumque, qui in eodem argumento verſati ſunt, induſtria; varia tamen, velut inutilia, ab omnibus, præterquam ab hoc uno, prætermiſſa ac neglecta eſſe. Nimirum opus, ob quod germanus ab italo modo laudabatur, eſt Lucubratio de veteris numiſmatis potentia & qualitate, ſive cognitio totius rei nummariæ ad intelligentiam Iuris accommodata, Lipſiæ & Francofurti 1701. 4. Præterea a felici eius ingenio eiusve prudenti directione ſunt Diſſertationes cum Programmatibus lectu digniſſimæ, interque illas de carrociis, de origine Electorum, de colliſione legum naturalium, de aqua calida, de Speculo ſaxonico.

XCII.

Matth. FLACII Buchlein, Libellus de Romanorum Imperio ad Germanos delato, germanice redditus a Wolfg. *Waldnero,*

ro. Vrſellis 1567. Flacius codici huic ſubſcripſit ſequeutia: *Dem erbaren H. Henrich Walther günſtigen Herren M. Fl. Illyricus.* Conſtat VI. capitibus, quorum primo agitur de lite, quam Pontifices XII. iam ſæculo moverunt, prætendentes, Imperium ad Germanos translatum eſſe ex gratia Sedis papalis romanæ; tertium (ſecundum enim nihil aliud eſt, quam brevis repetitio dictorum, & ſummarium dicendorum) de regnis & imperiis; ea non mutari & transferri in alios per externas cærimonias coronationis, a Papa peractas, ſed, poſt Dei providentiam, vi gladii & iure bellico; quarto de modo tranſlati ad CAROLVM M. francum Imperii; quinto de tranſlatione Imperii a Francis ad ceteros Germanos; ſexto & ſeptimo de Electoribus Romani Imperii: quorum originem deducit ab Imp. OTTONE III. Et p. 199. exhibetur Decretum *Venerabilem*, prout integrum ex Decretalibus INNOCENTII Papæ III. per eius diaconum & notarium Beneventanum deſcriptum eſt, cum alias in Gregorianis Decretalibus non ita genuinum reperiatur. Hiſce adduntur 1) Oſtenſio, electionem Prælatorum & Epiſcoporum non tantum Clericis competere, ſed etiam Laicis, idque a temporibus Chriſti uſque ad ſæculum XIV. 2) Demonſtratio, Petrum neque papam fuiſſe romanum, neque illuc unquam veniſſe; aut, ſi acceſſit, per breve temporis ſpatium ibi ſubſtitiſſe, ut apoſtolum & doctorem eccleſiæ, non ut papam. Contra Flacii Tractatum Rob. *Bellarminus* ſcripſit libros III. de tranſlatione Imperii rom. a Græcis ad Germanos, cui Matth. *Dreſſerus* oppoſuit Confutationem, ſicut Fran. *Iunius* Animadverſiones, Dreſſerum vero oppugnavit Caſp. *Hap*, poſnanienſis polonus. Vide *Placcium* de anon. p. 217. Nec nobis negligendum *Schurzfleiſchii* de Flacii ſcriptis hiſtoricis, atque in primis de præſente iudicium, quod fert in Epp. ſelect. pag. 52. ſcribens: *Placet mihi multa viri lectio, qua vel iuſti hiſtorici laudem aſſequi potuiſſet, ſi civilium rerum iudicio praditus fuiſſet. Hoc enim non nunquam deſidero, & ſcriptorum, unde ſua excerpſit, delectum.* Blondi Nauclerique teſtimonia ad V. retro ſeculum vocat, *ut confirmet, eo tempore CPtanos primum deferre voluiſſe Imperium ad Germanos. Sed hac, & talia miror, cur exciderint Flacio; niſi forte eum abripuit fervor diſputationis: quanquam de induſtria & ſcribat hac, & defendat. De cetero non reprehendere auſim viri inſignem peritiam hiſtoria ſacra, qua ipſum pauci praſules noſtri aquaverunt.*

XCIII.

Zachariæ THEOBALDI Huſſiten Krieg, Bellum huſſiticum. Norībergæ ł1624. Quo continetur vita, doctrina & mors Io. Huſſi, & quomodo ille a Bohemis, in primis a Ioanne Ziſca, vindicatus, eiusque doctrina ſequentibus temporibus in Bohemia conſervata fuerit. Hiſtoria hæc initium capit ab anno Chriſti 1401. & producitur uſque ad annum 1517. Multæ etiam inſertæ ei ſunt icones, ut in I. Parte Io.Huſſi. p.4. *Wiclefi.* 10. IOANNIS XXII. Pontif. 49. *Hieronymi pragenſis.* 127. WENCESLAI Rom. Imp. 141. Io. *Ziske.* 229. Procopii *Raſi.* 299. In Parte II. Imp. SIGISMVNDI 13. Imp. ALBERTI. 47. LADISLAI Reg. Hung. & Bohem. 225. In Parte III. MATTHIAE Hunniadis, Regis Hung. 13. PII papæ II. antehac Aeneæ Sylvii. 35. Georgii *Caſtrioti*, vulgo Scanderbegi. 84. Io. *Rokyczani*, archiep. pragenſis. 115. GEORG. PODDIEBRADSKI Regis Bohem. 117. WLADISLAI Regis Hung. & Bohem. 168. & Præfationi primæ Partis ſubiuncta eſt ipſius etiam auctoris imago, videlicet *Theobaldi*. Eiusdem auctoris cura & ſtudio acceſſit operi huic Confeſſio bohemica euangelica Trium Statuum regni Bohemici, qui in vera fide corpus & ſanguinem Domini ſub utraque accipiunt, cum RVDOLPHI II. Maieſtatica confirmatione huius Confeſſionis, nec non Conſiſtorii & Academiæ pragenſis: Conſenſu ſive Concordia Statuum ſub una, & ſub utraque: Articulis & transactione in Comitiis inter Status ſub utraque ſeorſum: & Conſtitutione eccleſiaſtica ac conſiſtoriali. Omnia ad editionem pragenſem anni 1610.

Zach. *Theobaldus*, ſchlaccowaldenſis bohemus, philoſ. magiſter, anno 1521. quo hiſtoriam hanc abſolvit, ætatis ſuæ annos numerabat 37. A Bogislao *Balbino*, qui Epitomen ſcripſit hiſtoricam rerum Bohemicarum, laudem habet fidelis & accurati hiſtorici. In hoc tamen erravit, quod crederet, Huſſum negare præſentiam realem, transſubſtantiationem, aliasque Eccleſiæ romanæ doctrinas, cum tamen contrarium pateat ex eius Operibus. Iac. *Lenfant* Præfat. in Hiſtor. concilii Conſtant. p. 23.

XCIV.

XCIV.

Ioannis VULPII Der ſtadt Magdeburg ſonderbare herrlichkeit, Magnificentia parthenopolitana. Magdeburgi 1702. Deſcribitur nimirum ab eius antiqua & præſente conditione, Imperantibus, privilegiis, antiquis & novis geſtis, rebus memorabilibus, obſidionibus & expugnationibus, maxime ferali illa exciſione A. 1631. Acceſſerunt 1) Vota devota publica magdeburgenſia, ſeu Deſcriptio monumentorum, die coronationis FRIDERICI I. Regis pruſſiæ, in honorem ſacratiſſimi Regis, Magdeburgi a fidelibus eius ſubditis erectorum. 2) Henr. *Merckelii* Relatio de obſidione urbis A. 1550. De obſidione & expugnatione urbis, A. 1631. facta, memorabile & quiddam divinum eſt, obſervante *Morhoſio* Polyhiſt. T. I. 244. quod Petrus *Lotichius* Secundus illius fata in libri II. Elegia IV. ad Ioach. *Camerarium* ſcripta, integro ſæculo prædixerit.

Mich. Heldingius, alias Sidonius dictus, *Belga* & *molitoris* filius. | *Eslinga-vvirtembergicus*, & *vinitoris* filius. *Lexic. univerſ. hiſtor.* T. III. 41.

Io. *Vulpius*, Salza-magdeburgicus, notarius publicus cæſareus, vixit A. 1631. cum Magdeburgum expugnaretur.

Henr. *Merckelius*, ſecretarius Senatus magdeburgenſis, vixit tempore primæ obſidionis, h. e. A. 1550.

XCV.

Philippi CAMERARII Operæ horarum ſubciſivarum. Francofurti 1658. antea 1615. & 1644. Sunt meditationes hiſtoricæ, auctiores, quam antea, editæ, continentes accuratum delectum memorabilium hiſtoriarum, & rerum tam veterum, quam recentium, ſingulari ſtudio invicem collatarum: quæ omnia lectoribus & uberem admodum fructum, & liberalem pariter oblectationem afferre poterunt. Et abſolvuntur III. Centuriis. Hoc opus Horarum ſubſecivarum laudatur a præſtantiſſimis viris, quorum epiſtolæ aut carmina Centuriis tribus præfixa ſunt, Io. Bernardo *Bonifacio* olim Marchione Oriæ, nobiliſſimo & virtute atque dignitate ornatiſſimo quodam *viro*, generoſo quodam *Barone*, Conr. *Ritterſhuſio*, Hadr. *Borckio*, Georg. *Remo*, & Melch. Haiminsfel-

insfeldio *Goldaſto*. Quartam etiam Centuriam auſpicatus erat do-ctiſſimus auctor, ſed eam abſolvere nequivit. Nec prætereundæ ſunt elegantes Collectoris Præfationes, e quibus diſces, nolle e-um, ut quis libros ſuos in vernaculam linguam transferat, quod tamen factum A. 1625. a G. *Meiero*: ipſum verba Hiſtoricorum ge-nuina retinuiſſe, non nunquam etiam ex aliorum ſententiis & verbis propemodum totum caput, veluti cæmento, conglutinaſ-ſe: apud *Gregorium* nazianzenum, *Dionyſium* halicarnaſſeum, & BASILIVM Imp. græcum egregia exſtare hiſtoriarum elogia: delectum hiſtoriarum & librorum cum maturo iudicio facien-dum: hiſtorias ſimulacra eſſe philoſophiæ, quæ in actione con-ſiſtit: ſenectutem laudabilem duobus ſcipionibus niti, recorda-tione videlicet vitæ honeſtæ anteactæ, & ſpe vitæ melioris: ne-que auctorem ſtilum elegiſſe grallatorium, ſed genus dictionis ſimplex & perſpicuum. Hoc unum duntaxat addam, ſimiles li-bros, *Morhofii* in Polyhiſt. literar. T. I. 269. iudicio, eſſe Io. Steph. *Menochii* Stuore ſive Stromata, & Petri *Mexia* Varias lectiones.

Phil. *Camerarius*, Ioachimi Pabepergenſis filius, natus Tu-bingæ, Romæ vinculis Inquiſitionis irretitus, ſed a Duce Bavariæ Alberto liberatus, ICtus, & Reip. noriberg. conſiliarius, acade-miæque altorfinæ procancellarius primus, tandem rude ob ſeni-um donatus, cum fratre Ioachimo, medico, Epiſtolas parentis fa-miliares edidit, & vitæ, laborum atque honorum ſatur obdormi-vit A. 1624. ætatis 87. *Kœnig* 157. *Omeis* de claris Norimberg. p. 21. & Sig. Iac. *Apinus* in Vitis Procancellarior. acad. altorf. p. 1.

XCVI.

Anſelmi BANDVRII Bibliotheca nummaria. Hamburgi 1719. Eſt recenſio auctorum, qui de re nummaria ſcripſerunt, (eos vero ſolummodo ſcriptores perſecutus eſt Bandurius, qui græcæ & romanæ hiſtoriæ, & antiquitati illuſtrandæ inſerviunt) cum notulis & indicibus Io. Alb. *Fabricii*, & virorum doctorum de hoc argumento diſſertationibus; quarum illæ, quæ peregrina lingua ſcriptæ, a quodam eius diſcipulo in latinam translatæ ſunt. Iuvabit autem repetere hic totum earum catalogum. Sunt nimi-rum 1) Diſſertatio Claudii GROSEI de Boſe Diſſertatio de Iano vete-

veterum. 2) Eiusdem de cultu, quo Salutem deam proſecuti ſunt veteres. 3) Andr. MORELLI Epiſtola ad Iac. *Perizonium* de numis conſularibus. 4) Ant. GALLANDI Epiſtola ad *Morellum* de eodem argumento. 5) *Anonymi* Epiſt. de numo Neronis græco. 6) GRAENVILLII Epiſt. de numo quodam Vitellii. 7) MOISSONIERII Reſp. ad haſce litteras. 8) Fran. GRAVEROLII Diſſert. de numo Traiani græco. 9) Io. VALENTIS Diſſ. de numis Traiani ad res geſtas Ludovici XIV. applicandis. 10) ANONYMI Epiſt. de Fauſtinæ numo, cum inſcriptione: SOVSTI. 11) Ren. Ioſ. TVRNEMINI Explicatio eiusdem numi. 12) Io. Chriſtoph. OLEARII Epiſt. de numo conturniato M. Aur. Antonini. 13) *Eiusdem* Epiſtola de numo L. Sept. Severi græco. 14) Io. Ant. MEDIOBARBI Epiſt. de numo Sept. Severi græco. 15) *Anonymi* Explicatio numi Caracallæ. 16) GALLANDI Obſervationes. 17) *Anonymi* Reſponſio ad Gallandi Obſervationes 18) TVRNEMINI Explicatio numi Gallieni cum inſcriptione ſingulari. 19) Lud. VALLEMONTII Explicatio numi Gallieni cum inſcriptione, GALLIENAE AVGVSTAE. 20) GALLANDI Epiſt. de hac Explicatione. 21) Ioach. MEIERI Diſſert. de numo aureo Poſtumi, in Gallia tyranni. 22) Cl. GENEBRIERII Diſſ. de Magnia urbica. 23) Eiusdem Diſſertatio de Nigriniano. 24) GRAENEVILLII Epiſt. de nummo quodam Maximini. 25) Mich. Aug. CAVSEI (*de la Chauſſe*) aureus Conſtantini Aug. numus. 26) Andr. Eraſm. *a* SEIDEL Epiſt. de numo Vetranionis tyranni. 27) God. Guil. LEIBNITII Comm. de nummis Gratiani cum GLORIA NOVI SAECVLI. 28) *Anonymus* de numo Gratiani. 29) GALLANDI Epiſt. de eodem argumento. 30) *Anonymi* Nova expoſitio numorum Gratiani. 31) Explicatio numorum, in quibus notati ſunt ludi, quos Romani Impp. populi dicaverant delectationi. 32) *Gallandi* Refutatio huius explicationis. 33) Epiſtola de quæſtione, An averſæ numiſmatum facies ſemper reſpondeant Imperatoribus atque Auguſtis, quibus adiunctæ ſunt? 34) Steph. CHAMILLARDI Epiſt. de Pacatiani ætate. 35) Eiusdem Epiſtola de numis Marinianæ, Poſtumorum, & Iuliæ Mamææ. Et Collector harum Diſſertationum in Præfatione novam aliarum Collectionem promittit.

P. 99. Chriſtoph. Arnoldi, *Medici*, & Eloq. poëſ. ac Linguæ Græcæ Profeſſoris. | *Verbi divini miniſtri.*

Anſelmus *Bandurius*, raguſinus, presbyter ac monachus Benedictinus e Congregatione melitenſi, regiæ Magni Etruriæ Ducis bibliothecæ præfectus, & in regia Academia pariſienſi Inſcriptionum ac bonarum litterarum academicus honorarius, dedit etiam prædives opus de nummis Cæſarum, & Imperium orientale, ſive antiquitates CPtanas, atque a Io. Alb. *Fabricio*, viro laudatiſſimo, in Præfat. vocatur accuratiſſimus ſcriptor, & acri iudicio, atque inſigni cum in aliis, tum in his maxime litteris uſu & peritia conſpicuus. Vide *eundem* Biblioth. gr. Volum. VI. 569.

Io. Georg. LIEBKNECHTII Diſſertatio epiſtolica de non nullis bracteatis nummis haſſiacis, deque iſtorum uſu in locis Rheno & Franconiæ vicinioribus, ad Ioan. Andr. *Schmidium*, cumque huius Reſponſo. Helmſtadii 1716. De nummis bracteatis, ſive in tenui lamina cuſis, notandum, eorum uſum poſt OTTONVM demum Cæſarum ævum, quo viliſſima erant rerum pretia, invaluiſſe.

Io. Georg. *Liebknecht*, in univerſitate gieſſena Mathematum profeſſor publicus, & in academia Leopoldo-Carolina cæſarea collega, iamque S. theol. D. & profeſſor extraordinarius, utramque cathedram egregie ornat, & doctrinæ ſuæ copiam & voce & calamo diſcentibus facit liberaliter. Edidit Elementa geographiæ, & alia.

Chriſtiani SCHLEGELII Diſſertatio de nummis antiquis gothanis, cygneis coburgenſibus, vinarienſibus & merſeburgenſibus. Gothæ 1717. In qua ſimul de nummis quibusdam priſci ævi altenburgenſibus, auguſtanis, halenſibus, francofurtenſibus, noribergenſibus, & ulmenſibus agitur. Illa de numis gothanis & cygneis iam erat impreſſa; hic autem multo auctior traditur: altera de altenburgenſibus & ceteris cum deſiderio ab eruditis exſpectatur.

Chriſtianus *Schlegel*, Salfeldenſis thuringus, primum Arnſtadii apud illuſtriſſ. Comitem Schwarzburgicum, deinde Principem, antiquarius & bibliothecarius, iam Gothæ apud ſereniſſimum Ducem Saxoniæ hiſtoricus ſaxonicus & numophylacio ampliſſimo præfectus,

fectus, iure meritoque laudatur a *Liebknechtio* de nummis haſſiacis p. 7. ut hac in re feliciſſimus, atque ab auctore Novi muſei T. V. 818. & *Eccardo* Extract. menſtr. m. Decemb. A. 1701. p. 52. ut orbi erudito ex variis ſcriptis notus: edidit enim Hiſtoriam vitæ Georgii *Spalatini*, & Vitas Superintendentium dresdenſium. Exſpectat etiam ab eo Reſp. litteraria librum de Marchionibus misnenſibus, qui in clericali vixerunt ſtatu, aut varii generis beneficia clericis contulerunt.

Io. Andr. SCHMIDII Numus bracteatus Henrico II. ſeculi XIII. Comiti blancenburgico ante Hartonem vindicatus. Helmſtadii 1718. Numus refert Comitem equo inſidentem, habitu equeſtri pro more illius ſæculi ornatum, manuque dextra gerentem, uti auctor tradit, vexillum, in duas areas diſtinctum, quarum altera eſt diviſa in IV. lacinias, ſiniſtra vero ſcutum triangulare, in capite galeam acuminatam: a tergo apparet arx cum turri, & ante ipſum tres ſtellæ diverſis in locis poſitæ, cum inſcriptione: COMES HENRICVS DE BLANCENBE. De nummo iſto doctiſſimi ſcriptoris hæc eſt ſententia, (quam quidem Gottfriedus *Ruhlmannus*, conſiliarius ſchwarzburgicus & hiſtoriographus, imitans Io. Chriſtoph. *Olearium* & Chriſtianum *Schlegelium*, ſub cenſuram vocavit, & Comiti ſchwarzburgico aſſerere tentavit) eſſe illum Henrici II. Comitis blanckenburgici, qui inter annos 1257. & 1295. vixit, & quidem eius Blanckenburgi, quod in Saxonia inferiore ante Hartonem ſitum eſt, atque nunc gaudet domino ſereniſſimo Ludovico Rudolpho, Duce Brunſvicenſium ac Luneburgenſium.

XCVII.

Imperatorum Romanorum numiſmata aurea, a Julio Cæſare ad Heraclium. Berolini 1705. Collecta fuerant a Carolo Duce Croio & Arſchotano, exceptis iis, quæ aſteriſco notata ſunt; a Iacobo autem *de Bie* ex archetypis affabre in æs inciſa, brevique & hiſtorico commentario ab Alberto RVBENIO (ſicut *Grævius* in Epiſtolis p. 342. & *Colomeſius* Opp. p. 427. teſtantur. Alias etiam datur Commentarius Io. *Hemelari* in hæc numiſmata A. 1627.) explicata: & hic quidem recuſa. Primum enim in lucem prodierunt

Antverpiæ A. 1654. f. editore Caſp. Gevartio. Tabulæ numiſmatum ſunt LXIV. Atque ita ſine auro multum auri habemus in hoc libro. An autem & alterum volumen, numiſmata argentea comprehendens, ſicut in Præfatione ſpes facta eſt, editum ſit, mihi quidem non conſtat. Neque inconveniens erit, mentionem hic facere novi operis numarii, in uſum Reip. litterariæ. Nimirum Nic. Fran. *Haymii* romani Muſeum nummarium Londini editum eſt II. voluminibus, & mox ſequetur tertium, totumque 1300. numiſmata repræſentat, & quidem rara, nec ab ullo unquam antiquario publicata. Idque facit primam Partem Theſauri Britannici. Vide *Giornale de Letter. d' Italia* Tomo XXXIII. 540. & *Acta erudit.* A. 1722. 49.

Albertus *Rubenius*, antverpianus, Petri Pauli magni antiquarii A. 1640. defuncti, filius, Regis Hiſpaniarum Conſilii Bruxellis a ſecretis, non unum ingenii cultiſſimi ſpecimen edidit: ſcripſit enim libros de re veſtiaria & lato clavo, nec non Diſſertationes varii argumenti ad antiquitates pertinentes, ſed nihil eorum ipſe edidit. Immo de lato clavo nihil reliquit præter ſchedas, ſive folia, maiora alia, alia minora, quibus *Gravius* tunc iuvenis perlegendis & digerendis biennium fere impendit, indeque muſivum Rubenii de lato clavo opus concinnavit, & capita atque inſcriptiones eorum addidit, ut *Gronovio* primum, deinde *Gevartio* probatum, per Moretum publicari potuerit. Floruit circa medium ſæculi XVII. eumque acerba fata, cum nondum exceſſiſſet annum quadrageſimum, in terra viventibus eripuerunt. De quibus omnibus legendus eſt *Gravius* in Epiſtola LV. quæ VI. Tomo Antiquitatum præfixa eſt. Ibidem magnis ille laudibus effert Rubenium, nec tamen diffitetur, in quibusdam recte ab adverſario ſuo Octavio *Ferrario* in Analectis reprehenſum, ut de aperta toga & pænula, ac nonnullis aliis.

Chriſtiani Frid. RVHE Specimen philologiæ numiſmatico-latinæ primum & ſecundum. Francofurti & Lipſiæ 1708. E numis Romanorum veterum, in primis in ſplendidiſſimo theſauro arnſtadio-ſchwarzburgico conſignatum, aliiſque monumentis, Grammaticorumque placitis illuſtratum. Et in primo quidem Specimine agitur 1) de litterarum figura, permutatione, aliiſque adfectionibus. 2) de Digammate Claudiano. 3) de veterum more ſcribendi vocales longas. 4) de diphthongis veterum: in ſecundo tra-

traditur 1) orthographia hiſtorica. 2) Inſcriptiones numiſmaticæ, duplici charactere aut lingua conſtantes. 3) Inſcriptiones æquivocæ, abſurdæ, ludicræ. Hiſce præfixa eſt Præfatio, in qua auctor veterum numiſmata ab utilitate, quam præbeant in re præſertim philologica, etiam atque etiam commendat, &, ſi præſens inſtitutum lectoribus gratum fuerit, plura eiusmodi Specimina pollicetur. Vix autem credo, unum vel plura ſecuta eſſe.

Chriſtianus Fridericus *Rube*, natus Arnſtadii A. 1674. d. 28. Iunii, philoſ. & optimarum artium magiſter, iam archivarius celſiſſimarum Domuum Schwarzburgicæ, Sondershuſanæ, Arnſtadianæ & Rudolſtadianæ, vir elegantis eruditionis, ſcripſit etiam Specimina philologiæ numiſmatico-græcæ, ſed quæ nondum ſunt impreſſa, ediditque denuo Georgii *Longi* Tractatum de annulis ſignatoriis antiquorum. Vide *Bandurium* Biblioth. nummar. p. 193. *Iournal des Sçavans*, A. 1708. & *Continuat.* Biblioth. curioſ. Denzel. A. 1708.

Martini SCHMEIZELII Commentatio hiſtorica de coronis. Ienæ 1712. Et quidem de coronis tam antiquis, quam modernis, iisque regiis, ſpeciatim de origine & fatis regni Hungariæ coronæ. Cum figuris æneis. Hæc Commentatio a D. Ioh. Henr. *Barthio* in Ep. ad auctorem, quæ poſt eius Dedicationem ſequitur, agnoſcitur pro eiusmodi fœtu, qui optimi ingenii dotibus, indefeſſo labore, egregiaque eruditione bene exaſciatus & expolitus ſit. Et Burch. Gotth. *Struve*, academiæ ienenſis tunc temporis prorector magnificus, in Epiſtola ad eundem ſcripta fatetur, materiam hancce ex omni antiquitate, atque recentioris ævi uſu ita ab eo exhauſtam eſſe, ut nihil amplius ſupereſſe videatur.

Mart. *Schmeizelius*, Corona-tranſilvanus ſaxo, fuit unus ex induſtriis Muſarum filiis, qui dedecori ſibi putabat, ſine eruditionis ſpecimine publico ex academiis & peregrinationibus domum reverti. Unde, quæ in variis bibliothecis, ac privata diligentia de coronis collegit, hunc in libellum traduxit, florens, uti *Barthius* l. c. teſtatur, egregiis ingenii dotibus, inſignibus in litteris, præſertim politioris humanitatis, profectibus, ſcita & comta in converſatione vivendi conſuetudine, animo ad maiora ſtrenue tendente, laudabilique erga alios modeſtia. Idem pæne abſolvit Opus hiſtoricum de rebus tranſilvanicis.

EIVSDEM Schediaſma hiſtoricum de inſignibus regni Hungariæ, ut & ritu inaugurandi Regem Hungariæ. Ienæ 1713. Hæc eſt præcedentis Commentationis quædam quaſi continuatio, in qua ea, quæ ad Coronam hungaricam pertinent, ſeu ei adiuncta ſunt, & nomen clenodiorum habent, exponuntur. Atque ita hic agitur 1) de regionum inſignium atque ornamentorum origine in genere. 2) de corona ſive diademate. 3) de pallio ſive paludamento. 4) de chirothecis. 5) de calceamentis. 6) de ſceptro, 7) de globo, ſive pomo aureo. 8) de enſe ſive gladio. 9) de loco cuſtodiæ & conſervatoribus clenodiorum. 10) de ritu ac cærimoniis inaugurandi Regem Hungariæ.

XCIIX.

Antonii PAGII Diſſertatio de periodo græco-romana. Vitembergæ 1705. Cum Henr. Leonh. *Schurzfleiſchii* Problematibus uſum eius commonſtrantibus, & Præfatione, quæ lectorem de ſumma inſtituti admonet. Periodus ab eruditorum principe, Ioſ. Iuſto *Scaligero* excogitata eſt; & Iuliana appellatur, non quod cum annorum Iulianorum epocha commune principium habeat, ſed quia ad rationem anni a IVLIO Cæſare ordinati, eiusque cyclos perapte eſt accommodata. Quid? Periodus Iuliana inventum eſt, non magis Scaligeri ingenio, quam Dei munere traditum atque conceſſum, luculentum & inſigne omnium epocharum, quæ exſtant, receptaculum, fundamentumque omnium periodorum, quæ rationes chronologicas firmant, & comprehendit 7980. annos Iulianos: qua ratione ab omnibus aliis epochis & periodis diſtinguitur. Præterea & *Græco romana* dicitur, quia tres epochas mundanas ſeu periodos Chriſtianorum orientalium, in Hiſtoriæ byzantinæ ſcriptoribus ab Eccleſiæ græcæ monumentis ſæpe memoratas, complectitur & exhibet.

Antonius *Pagi*, quo humiliori in Galliæ Provincia loco, quem Rognis vocant, natus fuit, eo maiores in litteris elegantioribus ac difficilioribus, Chronologia, puta, & Hiſtoria progreſſus fecit, & quamquam in Ordine Minorum Conventualium S. Franciſci, per ſacrorum tractationem, & ſplendidarum provinciarum adminiſtrationem, ſubinde a ſtudiis ſuis avocaretur, hi-

ſtoria-

ſtoriarum tamen culturæ, quantum ſupererat temporis, ſolicitè impendere perrexit, & defectus earum, quos obſervaverat, emendare adlaboravit. Hinc ei nata Diſſertatio hypatica de conſulibus cæſareis, Critica hiſtorico-chronologica in Annales *Baronii*, & Diſſertatio de anno & die mortis S. Martini, epiſcopi turonenſis: quamvis hæc duo poſtrema ſcripta non perfecta ab eo ſint, & expolita, ſed curæ & diligentiæ Franciſci *Pagii* relicta, qui non magis de patruo ſuo, quam de orbe erudito præclariſſime meritus eſt, & quidquid rerum atque ornamenti deerat, impigre fideliterque iis addidit. Ant. Pagius primum quidem non aggreſſus eſt Baronium, ſed Spondani Epitomen; admonitus autem ab amicis & fautoribus, ut ipſos colluſtraret Annales, morem iis gerere decrevit, &, ſi quid forte erratum, retractare; in primis, quæ VI. canonis Concilii nicæni expoſitionem ſpectant: ſed vix tentatis immortuus eſt anno Chriſti 1699. ætatis 76. *Acta erudit.* A. 1706. 110. *Critopulus* in Cenſura Eclogar. Mayeri p. 111.

Henr. Leonard. *Schurzfleiſchius*, Corbiaco-waldeccenſis, Conradi Samuelis, polyhiſtoris quondam vitembergenſis, frater, Iurium Doctor, & Hiſtoriarum profeſſor vitembergenſis, item Conſiliarius vinarienſis, & Bibliothecæ principalis director, vir multa doctrina & virtute ornatus, aliis etiam ſcriptis famam ſibi in erudito orbe acquiſivit. Atque hæc ſunt Diſſertatio epiſtolica de Ioſepho, notis I. I. *Scaligeri* aucto, Elenchus ſcriptorum H. L. *Schurzfleiſchii*, Hiſtoria enſiferorum ordinis teutonici Livonorum, Diſſertatio de priſcæ recentiorisque hiſtoriæ ſcriptoribus, de neceſſario ad excolendam eccleſiaſticam civilemque doctrinam ſtudio hiſtorico, de magorum e Perſia ad adorandum Servatorem profectione, Annus Romanorum Iulianus libro commentario illuſtratus, Io. Bapt. *Belli* diſſertatio de pharſalici conflictus menſe & die, recognita & acceſſione marmoris Maffeiani locupletata, Diſſertatio antirrhetica *Schmidianam* Pindari chronologiam adverſus Guil. *Lloydum* aſſerens, Diſſertatio chronologica de collatione rationum *Euſebii* & marmoris *Arundelliani*, Prolegomena in *Commodiani* Inſtructiones adverſus Gentium deos, pro chriſtiana diſciplina, & Supplementa ad illas, Prolegomena & animadverſiones in *Orientii* libros II. Commonitorii fidelium, *Hroſvvitha* opera omnia cum Prole-

Prolegomenis, Notis, Gloſſario & Indicibus, Spicilegium animadverſionum in *Philoſtratum*, Diſſertatio de lucernis veterum Chriſtianorum ſepulcralibus, *Fratris* Animadverſiones ad *Longinum* περὶ ὕψους, *Eiusdem* Epp. arcanæ, & ſelectiores, Supplementa orthographiæ romanæ ex ipſo *fratris* MSto, Diſſertatio de Conr. Kauffungo Principum raptore, Specimen variarum lectionum, & animadverſionum Iani *Gebhardi* in Livii Hiſtoriarum libros, cum III. codicibus palatinis collatos, & Præfatio atque Annotationes in Thaddæi *Donnolæ* Diſſertationem hiſtoricam de patria Propertii poetæ. Hæc omnia recenſentur in *Muſæi novi* Tomo II. 475.

Io. Andreæ BOSII Notitia Hiſpaniæ, Ducatus mediolanenſis, & Regni neapolitani. Helmſtadii 1702. Conſtat tribus ſectionibus, quarum prima de origine & progreſſu imperii hiſpanici agit: ſecunda de ditionibus imperii hiſpanici ſigillatim; primo quidem de hiſpanicis, dein de italicis, Ducatu præcipue mediolanenſi, & Regno neapolitano. Hæc eſt minima pars, atque initium duntaxat magni operis, quod Boſius meditabatur: conſtituerat enim de præcipuis orbis univerſi imperiis, eorumque origine, progreſſu, & ſtatu tam eccleſiaſtico, quam politico, aliisque ad civilem cum primis vitam facientibus ſcribere, ſed fato præventus, nullius niſi hiſpanici regni notitiam ad finem perduxit.

Nicolai BVRGVNDII Hiſtoria bavarica. Helmſtadii 1705. Ludovici IV. Imp. vitam ac fata ab anno 133. uſque ad annum 1347. complectens. Eſt hæc editio tertia, & quidem correctior & emendatior: cum prima prodiiſſet Ingolſtadii A. 1636. ſecunda Amſtelodami 1645. Et bene de publico meritus eſt CL. vir, Iuſt. Chriſtoph. *Bœhmerus*, qui non ſolum elegantiſſimi & in tabernis librariis fruſtra diu quæſiti operis editionem curavit, ſed etiam præfatione eandem ornavit, in qua de libro eiusque auctore verba facit.

Nicolaus *Burgundius*, IC. primum cauſſarum patronus ſive advocatus apud Flandriæ Regimen, deinde S. Cæſ. Maieſt. Electorisque Bavariæ Conſiliarius, Comes palatinus, atque in academia ingolſtadiana Codicis profeſſor ordinarius, quem *Sanderus* vocat virum ingenio & doctrina præſtantem, *Deſſelius* poëtam, oratorem, hiſtoricum, in ſingulis eximium, *Bœhmerus* magna vi ingenii, iudicii

iudicii acumine, & doctrinæ varietate pollentem, & *Conringius* ſumma prudentiæ, eloquentiæ & *παρρησίας* laude inclytum, comparandumque cum quovis veterum, (de quibus vide prædictam Præfationem) ſcripſit Hiſtoriam belgicam, Commentarium de evictionibus, Tractatum controverſiarum ad conſuetudines Flandriæ & alia, naturæque tributum ſolvit circa, vel ultra medium ſæculi XVII. natus anno 1586. *Kœnig* 144. *Acta erudit.* A. 1711. 58. *Neu* Mantiſſa ad Whearum 164.

Georg. Iac. MELLINI Antiquitates lacus bodamici, cum Specimine hiſtoriæ lindavienſis. Ienæ 1693. Eſt diſputatio ſub præſidio Caſp. *Sagittarii* habita, qui tamen in epiſtola ad Mellinum teſtatur, pleraque omnia eius deberi ingenio, eiusque induſtriæ. In qua tractatur de ſtatu Lacus bodamici 1) hodierno, 2) ultimo & antiquiſſimo, 3) turbulento, Octavio Auguſto imperante, 4) tempore Alemannorum, 5) ſub imperio Francorum regum, 6) ſub Carolo M. Imperatore, 7) ſub Ludovico Pio Imp. 8) ſub Ludovico Germanico & Carolo Craſſo, 9) ſub Arnulpho & Ludovico III. 10) ſub Conrado I. 11) ſub Henrico aucupe, & Ottonibus tribus. 12) ſub Henrico II. Conrado Salico, & Henricis III. IV. Vto. 13) ſub reliquis Regibus atque Imperatoribus uſque ad Rudolphum habsburgicum.

Georg. Iac. *Mellinus*, Lindavia-acronianus, egregio hoc eruditionis atque induſtriæ ſuæ ſpecimine non tantum de patria, verum etiam de tota Germanorum natione præclare meritus eſt, & utriusque favore ac laude dignus.

Chriſtiani SCHLEGELII Hiſtoria vitæ Georgii *Spalatini*. Ienæ 1693. Hoc meletema eſt diſputatio conſcripta, & ſub moderamine Caſp. *Sagittarii* publice habita, eiusque auctor eſt ipſe, quem nominavimus, Schlegelius, quem Sagittarius in Epiſtola præmiſſa hoc ornat teſtimonio: *Enim vero, ut dicam, quod res eſt, tanta cum induſtria, tanta, tamque exquiſita cum cura, in vita Spalatini es verſatus, ut non immerito eandem commendare, teque in exemplum aliis ingeniis proponere neceſſum habeam.*

Io. Andr. SCHMIDTII Numi bracteati Numburgo-Cizenſes, Pegavienſesque. Ien. 1695. Hoc monumentum inter prima huius generis eſt, quæ in lucem prodierunt, fatente ICto & poly-

polyhiſtore celeberrimo, Io. Petro *Ludevvigio* Introduct. ad rem medii ævi nummar. germanicam p. 14. atque ex eo obſervante *Liebknechtio* de bracteatis nummis haſſ. p 4.

Anonymi Bericht, Narratio de Grœnlandia, ex gallico in germanicum translata ab Henrico *Sivers.* Hamburgi 1674. Extracta ex duobus Chronicis, videlicet antiquo islandico, & recente danico. Gallice illa prodiit Pariſiis A. 1647. ſcripta ad dominum dela Mothe le Vayer. Auctor vero, ut *Placcius* indicat de anonymis p. 465. eſt Iſaac PEYRERIVS. Inter alia hic agitur de dentibus magnis & pretioſis, quos unicornu vocant, & iudicium fertur de cornu, in fano S. Dionyſii aſſervato: & variæ, nec inelegantes adduntur figuræ. Atque hæc hiſtoria laudatur a *Bochar-to* Hieroz. lib. III. c. 27.

Iſaac *Peyrerius*, vernacule *De la Peyrere*, gallus, & reformatæ religioni addictus, deinde autem, cum errorem de Præadamitis, libro peculiari vulgatum, eiurare deberet, pontificius, Epiſtolam ſcripſit, in qua exponit rationes, cur dogma de Præadamitis ſolemni iureiurando abiecerit, & obiit A. 1677. ætatis 80. In linguis eruditis non proceſſit ultra latinam, inque hac ſtilum habuit inæqualem; in theologicis autem plane infans erat, erroresque magis ex ignorantia, quam ex malitia adoptavit. Vitam eius deſcripſit *Marvill.* dans les Melanges d' hiſtor. & de literat. Vol. I. 143. Cui adde *Balium* in Dictionario crit. & hiſtorico, *Menagiana* T. IV. 36. *Supplementa* Actor. erud. T. III. 388. *Magirum* p. 654. & *Crenium* Faſce II. 8.

XCIX.

ARISTOXENVS, NICOMACHVS, ALYPIVS, a Io. *Meurſio* primum vulgati, & notis illuſtrati. Lugduni Batavorum 1616. Triumviri hi ſunt auctores muſices antiquiſſimi, nec antea editi; Meurſius autem eos deſcripſit ex codice bibliothecæ lugdunenſis apud Batavos, illo ſatis corrupto, & mutilo etiam loco non uno, primusque edidit. Et quidem hic comparent 1) Ariſtoxeni Elementa harmonica. 2) Nicomachi Enchiridion harmonices: quod emendatius editum eſt a Mar. *Meibomio*, cum pluribus Muſicis græcis, Amſtelodami 1652. 4. 3) Alypii Iſagoge

muſica.

Digitized by Google

muſica. De *Meurſio* egimus P. III. p. 252. Quod vel ideo indicandum, quia nomen eius omiſſum eſt in Partis illius Indice.

Ariſtoxenus, tarentinus, *Mneſii* ſeu *Spinthari* filius, *Ariſtotelis* ſtagiritæ diſcipulus, per excellentiam dictus Muſicus, claruit tempore Regis Ptolemæi Lagi, compoſuitque muſicos, philoſophicos, hiſtoricos, & omnigenæ eruditionis libros, *Suida* teſte p. 453. Inter quos eminent Liber de vitis doctorum, Opus de tragœdiarum poëtis, de tibicinibus, de tragica ſaltatione. At de tam multis eius libris vix unus ſupereſt. *Kœnig* 61. *Meurſius* in Notis p. 134.

Nicomachus, geraſenus, arabs, qui poſt Auguſtum & Tiberium vixerit, Arithmeticam duobus libris illuſtravit, & Arithmetica theologica reliquit. *Kœnig* 575. *Meurſius* in Notis p. 162. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 22 p. 2.

Alypius, alexandrinus, ſtatura perpuſilla, inſtar pygmæi, ſed ſummus diſſerendi artifex, tantique a IVLIANO Imp. æſtimatus, ut epiſtolas ad eum dederit. Neque in umbra vitam exegit, ſed Remp. etiam adminiſtravit, & Geometriam quoque ſcripſit. Tandem in urbe patria deceſſit, admodum ſenex, & *Iamblichus* eius vitam in litteras redegit; quamquam valde obſcure. *Meurſius* in Notis p. 122.

Io. MEVRSII Solon, ſive de eius vita, legibus, dictis atque ſcriptis liber ſingularis. Hafniæ 1632. In aliis ſcriptis uſui fere grammatico commodum ſe præſtitit Meurſius, in hoc autem, nec non Areopago, etiam politico, ut indicat *Conringius* de Civ. prud. c. 14.

EIVSDEM Piſiſtratus. Lugduni Batavorum 1623. Agit hic liber de eius vita & tyrannide.

EIVSDEM Areopagus, ſive de Senatu areopagitico liber ſingularis. Lugduni Batavorum 1624.

EIVSDEM Roma luxurians, ſive de luxu Romanorum liber ſingularis. Hafniæ 1631. Atque hæc editio eſt nova, auctior & emendatior, eique additur Mantiſſa, & in huius fine ASTRAMPSYCHI Oneirocriton, ſive de ſomniorum iudiciis, cum notis *Meurſii*. In primo autem Mantiſſæ capite *Adhelmus* de laudibus virginitatis multis in locis emendatur. Et in tribus quidem

dem omnis luxus verſabatur, in cultu corporis, ædium, & conviviorum.

Aſtramſhychus non admodum vetus auctor eſt, inquit *Rigaltius*, ut ex charactere ſcribendi, item ex neglectu moduli ſyllabarum adparet. *Suidas* ſcribit, eum feciſſe librum de medicina aſinorum. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 13. p. 407.

C.

Io. MEVRSII de Fortuna attica liber ſingularis. Lugduni Batavorum 1622. In quo agitur de Athenarum origine, incremento, magnitudine, potentia, gloria, vario ſtatu, decremento & occaſu. De hoc libro, & auctoris Cecropia, Solone, & Piſiſtrato, Gerardus *de Maſtricht*, qui eos in uno poſſidebat volumine, ſcribit in Catalogo Biblioth ſuæ p. 596. eſſe volumen rarum.

EIVSDEM Regnum atticum. Amſtelodami 1633. Sive de Regibus Athenienſium, eorumque rebus geſtis. Perduravit autem Regnum atticum ſub Regibus XXX. ſerie continua 794. annis: quibus ſi 32. Ogygi addas, & annorum deinde 190. intervallum, 1016. numerabis. Ecce tibi in conſpectu. Ogygus annos 32. Interregnum poſt diluvium annos 190. Cecrops I. 50. Cranaus 9. Amphictyon 10. Erichthonius 50. Pandion I. 40. Erechtheus 50. Cecrops II. 40. Pandion II. 25. Ægeus 48. Theſeus 30. Meneſtheus 23. Demophon 33. Oxyntes 12. Aphidas 1. Thymætes 8. Melanthus 37. Codrus 21. Medon 20. Acaſtus 36. Archippus 19. Therſippus 41. Phorbas 30. Megacles 28. Diognetus 25. Pherecles 19. Ariphron 20. Theſpieus 27. Agameſtor 17. Æſchylus 23. Alcmæon 2.

EIVSDEM Miſcellanea laconica. Amſtelodami 1661. Sunt variarum antiquitatum libri IV. editi non ab auctore, ſed poſt eius obitum a Sam. *Pufendorfio*, qui eos acceptos refert perilluſtri viro, Petro Iulio *Coyet*, Equiti aurato, & S. R. Maieſt. Sueciæ Conſiliario aulico, a quo & alia quædam nec dum edita Meurſii ſcripta, præter Curas ſecundas in pleraque antehac ab ipſo edita, ſe poſſidere gratus fatetur. Dedicatio ad Comitem Ottonem Guilielmum Konigsmarckium eſt inſtar panegyrici, in laudem ſtudiorum ac virtutum illius in litteris atque armis herois ter inclyti.

CI.

CHALCIDII Timæus Platonis, cum Commentario, & Io. *Meurſii* notis. Lugduni Batavorum 1617. Quæ antehac erat optima editio, nunc autem ei præſtat, quam Io. Alb. *Fabricius* Tomo II. operum S. Hippolyti addidit, emendatam quippe notisque ſuis illuſtratam. Et Chalcidius quidem Platonis Dialogum, Timæus inſcriptum, ex græco in latinum transtulit, atque, ut ipſe in Præfatione ad Oſium ſuum declarat, in partis eiusdem Commentarium fecit. Iacobus *Antiquarius* in reſponſoria ſua ad Auguſtini Iuſtiniani Epiſtolam, quæ hic ambæ præſenti libro præfixæ ſunt, de hoc opere hunc in modum iudicat: *Auctor* (Chalcidius) *tam exiſtimari debet opportunus, quam per ignota loca incedenti neceſſarius eſt, qui viam demonſtret. Vetus enim platonica philoſophia, ut multitudinis contaminationem declinet, atque diſcentium exerceat ingenia, tota, quaſi in quodam involucro poſita, delitеſcit. Quare in* Timæum, *quod de Prometheo fabula canunt, tanquam acceptum de cælo ignem, & lumen quoddam,* Chalcidius *inferre non dubitavit, adytum ſacrum reſerans; in quo rerum maieſtas incluſa tenebatur.*

Chalcidius, philoſophus platonicus ex recentioribus, vixerit, ſi non temporibus Conſtantini M. ſaltem iunior haud fuerit temporibus Theodoſianis. Chriſtianum fuiſſe, & archidiaconum eccleſiæ carthaginienſis, non nulli, interque eos Guil. *Cave* Scriptor. eccleſ. hiſtor. litterar. p. 106. ex eo ſibi perſuadent, quia ex V. & N. T. quædam excitat; tandem vero & ipſi dubitant, & doctiſſimi *Trevultini* ad A. 1720. m. Februar. diſerte negant. *Interim* Chalcidius *auctor eſt gravis, prudens, multa profundaque ſcientia imbutus, omnium fere Philoſophorum dogmata accurate tenuit, omnia pro argumenti dignitate, rerumque pondere egregie tractat:* quod eſt iudicium *Cavii*, idque non malum. Vide etiam *Kœnigium* p. 183.

Theodori METOCHITÆ Hiſtoriæ romanæ liber ſingularis, a Io. *Meurſio* e græca in latinam linguam translatus, notisque illuſtratus, & cum textu græco primum vulgatus. Lugduni Batavorum 1618. Præmiſſum etiam ab editore eſt præloquium de Theodoro Metochita, in quo eius vita & ſtudia deſcribuntur. Sed quid iudicandum de controverſia, qua alii cum Meurſio Hiſtoriam iſtam tribuunt Theodoro Metochitæ; ut *Voſſius*, *Miraus*,

Sagittarius, Henr. *Ernſtius* Ep. dedicator. Catalogi ſcriptorum Io. Caſelii, & l. 2. Obſervat. var. c. 36. *Dieckmannus*: alii Michaëli GLYCAE, eiusque aiunt eſſe Librum tertium Annalium quadripartitorum; ut Theoph. *Raynaudus*, *Labbe*, *Cave* in Chartophyl. eccleſiaſt. *Wharton*, *Olearius*, Io. Alb. *Fabricius*? Nos quidem eam iam non intrabimus: ſed legendos commendamus *Placcium* de pſeudon. p. 318. 443. *Olearium* Biblioth. eccleſiaſt. P. II. 195. Io. Alb. *Fabricium* Biblioth gr. lib. V. c. 5. p. 223. & c. 4. p. 156. & *Crenium* Diſſert. II. de furib. librar. p. 26. Ipſa autem hæc Hiſtoria romana a Iulio Cæſare decurrit ad Conſtantinum Magnum.

Theodorus *Metochita*, natione græcus, primum archidiaconus, deinde curſus publici logotheta, mox ærario generali præfectus, denique ab ANDRONICO Imperatore, cui adfinitate iunctus erat, magnus logotheta, quæ maxima in CPtano Imperio erat dignitas, factus, omnia apud Auguſtum efficere potuit, ſummaque auctoritate valens res Imperii pro lubitu, nec minus ſumma fide ac diligentia moderatus eſt. Sed ſecunda hæc fortuna non fuit perpetua. Andronico enim ſeniore a iuniore rebelli, ipſius nepote, bello victo, captaque urbe CPli, relegatus eſt Metochita in Bithyniam, & magnificæ ipſius ædes, direptis prius opibus, a furente plebe ſolo æquatæ, Turcisque poſtea Bithyniam populantibus, Didymoticho reductus quidem eſt CPlin, ſed monaſterio Choræ incluſus, cum gravi interdicto, ne cum Andronico ſeniore, quem anima ſua cariorem habebat, ullum vel verbulum commutaret, vel commercium inſtitueret litterarum. In miſero hoc ſtatu vixit, ſi vivere dicendus eſt, qui ad ſummam egeſtatem cum liberis ſuis ſe redactum videt, uſque ad diem 13. Martii A. 1332. quo vanitati mundi vale dixit, in hoc beatus, quod Andronicum ſuum, 30. ante diebus mortuum, mox ſequi potuit, & apud inferos cum eo coniungi. Nicephorus *Gregoras* funebri eum oratione laudavit, quæ hic in libro noſtro præmiſſa eſt. *Wharton* in Appendice p. 4. *Olearius* P. II. 195. & *Meurſius* in Dedicat. & Præloq. de Theodoro Metochita.

Michaël *Glycas*, ſiculus, claruit anno 1120. multaque, & varii generis ſcripta conſignavit, videlicet Annales quadripartitos ab O. C. uſque ad obitum ALEXII, Diſputatiunculas II. Epiſtolas

plures,

plures, Tractatus aliquot adhuc ineditos de proceſſione Spiritus ſancti, de azymo, an Chriſtus eo in ſuprema cœna ſit uſus? deque animabus a corpore ſeparatis, & quædam Exegetica in Scripturam ſacram. *Cave* 456. *Olearius* Biblioth. eccleſ. P. I. 487. I. A. *Fabricius* l. c. & *Crenius* Diſſert. II. de furib. librar. §. 32.

Petri GASSENDI Vita Nic. Cl. *Fabricii* de Peireſc. Hagæ Comitum 1655. Editio tertia, auctior, correctior & diſtinctior. Recuſa eſt Quedlinburgi A. 1706. 8. Et profecto præſtantiſſimum eſt ſcriptum, magnisque laudibus a ſummis viris celebratum: *Mauritius* enim de Princip. iur. publ. c. 2. n. 31. vocat opus incomparabile: *Conringius* de antiq. ſtatu Helmſtadii p. 12. hiſtoriam inuſitata diligentia deſcriptam: *Morhofius* Polyh. liter. l. 1. c. 19. n. 17. magna diligentia conſcriptum librum, continentemque varia memorabilia antiquaria, philologica, phyſica, politica, quaſi per cumulum congeſta. *Dum enim* (ita pergit vir inſignis) *perſequitur omnes viri iſtius labores, occaſione iſta ad multa curioſa, ab illo vel inventa, vel notata, dilabitur. Plane in hoc labore exercuit ingenium ſuum* Gaſſendus, *& dum varia philoſophemata proponit & iudicia, pulcherrimis ſubinde contemplationibus totam viri huius hiſtoriam illuſtrat, & ſub illa rei literariæ tum temporis in Gallia ſtatum.*

Pet. *Gaſſendus*, dinienſis in Gallia civis, (quamvis non Diniæ natus eſſet, ſed in dinienſis pago ſeu oppidulo, Campotercerio) presbyter, eiusdemque eccleſiæ præpoſitus, & in academia pariſienſi regius Mathematicæ profeſſor, vir, ſi quis alius, omni eruditione imbutus, nec tamen eruditione, quam iudicio, candore, verique & honeſti ſtudio nobilior, ſcripſit Exercitationes paradoxicas adverſus *Ariſtoteleos*, Exercitationes pro Marino *Merſenno* adverſus Robertum *Fluddum*, Epp. de apparente magnitudine ſolis humilis & ſublimis, motu impreſſo a motore translato, ac proportione, qua gravia decidentia accelerantur, Inſtitutionem aſtronomicam ſecundum hypotheſes tam veterum, quam *Copernici* & Tychonis *Brahe*, horumque & G. *Peurbachii* ac Io. *Regiomontani* Vitas, Philoſophiam Epicuri, & alia: omnia autem opera in VI. tomos diſtributa, prodierunt Lugduni A. 1658. in folio, & clariſſimus *Wilkinſius* occupatur in collectione Epiſtolarum auctoris noſtri. Tandem philoſo-

loſophari ac ſcribere deſiit vir inclytus, ſeque totum Chriſto & ſacris meditationibus tradens, placide in Domino obdormivit IX. Kal. Novembris A. 1655. ætatis quaſi 64. mortuumque luxit univerſus orbis eruditus. *Sorberius* in *Wittii* Memoriis philoſophor. T. II. 201. *Allatius* Apib. Vrban. 92. *Wagenſeil* in Dedicat. Sotæ 10. *Craſſus* Elog. P. I. 296. *Pope-Blount* 964. *Acta erudit.* A. 1718. 519. *Sorberiana* 100. *Crenius* Animadverſ. P. VI. 6.

EIVSDEM Vita Epicuri. Hagæ-Comitum 1656. Scripta inſtigatione Fran. *Luillerii*, pariſini, Rationum magiſtri, cui etiam auctor eam dedicavit. Et abſolvitur IIX. libris: quorum 1. agitur de ortu ac ſerie vitæ Epicuri. 2. de morte & ſucceſſione illius. 3. de occaſione & autoribus quæſitæ Epicuro infamiæ. 4. de obiecta ei impietate. 5. de obiecta gula, 7. de obiecta Venere. 8. de obiecto odio liberalium diſciplinarum. Atque ita oſtendit Gaſſendus, Epicuro iniuriam vulgo fieri, quando ut homo turpiſſimis voluptatibus ac vitiis deditus concipitur, aliisque talis proponitur, quin potius eum maxime ſobrium & continentem fuiſſe, nullamque Philoſophorum ſectam illius ſecta fuiſſe ſanctiorem. Atque hoc etiam fuſius docuit Gaſſendus in Philoſophia Epicuri. Interim non poſſumus præterire iudicium de Epicuri apologia, quod Sam. *Parkerus*, vir laudatiſſimus, fert in Diſp. I. de Deo §. 12. ſcribens: *Nemo aut verius, aut uberius, aut quidem felicius Epicuri apologiam confecit, quam Petrus* Gaſſendus.

CII.

Ioannis MICRAELII Syntagma hiſtoriarum eccleſiæ omnium. Cum Continuatione Dan. *Hartnaccii.* Lipſiæ 1679. Editio quarta, quam ſecutæ ſunt quinta, & ſexta. Abſolvitur tribus libris, ita ut primo Patriarcharum & moſaica eccleſia introducatur; altero, qualis in N. T. ad Carolum uſque magnum ſub Imperatoribus ethnicis & orientalibus græcis fuerit; tertio, quid ſub Imperatoribus germanicis ad noſtra uſque tempora in eccleſia contigerit. Additur Tabula chronologica, quæ inſtar Lexici hiſtoriæ eccleſiaſticæ eſſe poteſt. *Hartnaccii* Continuatio novas ſectas, & ſchiſmata, ut vocat, recenſet: videlicet, Socinianorum, Arminianorum, Helmſtadienſium, Ianſeniſtarum, Menoni-

noniſtarum, Browniſtarum, Independentium, Quackerorum, Henrico-Nicolaitarum, Stengerorum, Labadieſtarum, Carteſianorum, Cocceianorum, & Conſcientiariorum.

Pag. 562. Lotharius Saxo Imp. *circa annum* 1135. Leges Romanas per Irnerium ICtum *in ſcholas revocavit*, & ius ex iis doceri *mandavit*.	*Anno* demum 1136. ſecunda vice in Italiam abiit. Reliqua *fabula* ſunt. G. *Calixtus* Epit. theol. moral. 112.
742. G. Calixtus *ſyncretiſmum* non cum Reformatis tantum, ſed etiam cum Papiſtis, & *varias novitates* propoſuit.	Hæc *calumniis* accenſet filius, Fr. Vlr. *Calixtus* in Epiſt. dedicat. paterno ſcripto de Tolerantia Reformatorum præfixa):( ):(
743 Mart. Chemnitius Bibliothecæ ducali Regiomonti præfuit. Inde, *cum & iam rectoratum ſcholæ oppidanæ* aliquamdiu adminiſtraſſet, Brunſvigam ad munus presbyteri evocatus eſt.	Rector fuit ſcholæ oppidanæ *in Kniphof, antequam præfectus eſſet bibliothecæ, Rehtmeyer* Hiſt. eccleſ. brunſv. P. III. 286.
744. Dav. Chytræus D. *Palatinus* ex *Monzinga*.	*Suevus ex Ingelfinga, Kœnig* 191. *Serpilius* Epitaph. aliquot ſuevor. Theologor. 97.
755. Georg. *Grosheim*.	*Groſſehain*.
759. Cenſuris D. *Rohtmanni*.	*Rothmaleri*.
762. Matth. *Iudex* obiit Roſtochii, *quo exul* excurrerat, *anno* 1587. *ætatis* 79.	Excurrerat, ſed *invitatus*, *anno* 1564. *ætatis* 36. *Crenius* Animadverſ. P. VI. 51. 70. 71.
767. Iac. Martini, primum gymnaſii *Neidenſis* rector.	Gymnaſii *Nordenſis*. *Gundlingiana* P. I. 27.
768. Io. Matheſius *vix LI. annum exceſſit*.	Vixerat LXI. *annos*, cum moreretur. Melch. *Adamus* in Vitis theologor. 403 405.
774. Caſp. *Pafradius*.	*Pfafradius*.
Io. Pappus D. *Lindovienſis*.	*Lindavienſis*.
778. Vrbanus Regius. Extant eius opera Latina in *duos* To-	Latina in *tres* Tomos diſpoſita: Germanica *IV. partibus*.

mos diſpoſita, ut & Germanica *uno volumine*,

782 *Val.* Schmuck.

Io. Schröderus, *Profeſſor altorfenſis.*

Sal. *Schvveiggrus.*

783. Nic. Selneccerus. *paſtor* Ienenſis.

837. Tannerus nec vocatus ad diſputandum, *nec iuſſus a Magiſtratu*, ſe ipſum collocutorem conſtituit in Colloq. ratisbonenſi.

856. Adam Neuſſerus ad Turcas confugiens, *abiurata chriſtiana religione, machometaniſmum* ſuscepit. *Idem* de Io. Paulo *Alciato* annotatum invenimus.

859. Caſp. Schwenckfeld *verbo Dei ſepoſito, ſpretoque eccleſiaſtico miniſterio* ſomnia ſua iactavit. *Hartnaccius* in Continuatione. pag. 967. A Georgio Calixto *Schiſmati* (calixtino) nomen venit.

982. *Improbantur a Wittebergenſibus* Helmſtadienſium dogmata. (120)

Vincentius Schmuck. *Crenius* Animadverſ. P. XIIX. 233.

Paſtor noribergenſis.

Schvveiggerus.

Profeſſor ienenſis. *Leuckfeld* Antiqq. gandersheim. p. 318.

Poſt II. Seſſiones, per D. Ioach. Donſpergerum *iuſſus fuit* a sereniſſimo Duce Bavariæ ſymbolam ſuam conferre. *Tannerus* Relat. de Colloq. ratisbon. p. 14.

Ex aliorum relatione: quorum tamen nomina non proferuntur. Alciatus Dantiſci vitam per aliquot annos *chriſtiano ritu* ſingulari cum pietate exegit, & *moriturus animam Chriſto ſervatori commendavit.* Mart. *Ruarus* Epp. Cent. I. 225. 226.

Vtrumque negat in Confeſſione ſua.

Illud *fabula eſt*, protrita a G. *Calixto*, eiusque *filio* in Præfat. in Tractatum de Tolerant. Reformat. & Præfat. in Refutat. Harmoniæ Calovianæ, atque in Epicriſi A 3. Vide *Conſiderat.* meam controverſiarum p. 275.

Videndum autem, *quo iure.* Et legendum eſt iudicium *Glaſſii* de his controverſiis.

Io.

Io. *Micralius*, Coslinio-pomeranus, *Crameri*, *Krakevvitzii*, *Batti* & *Maſchovii* diſcipulus, ad muſices, græcæ linguæ, & poëſeos culturam peculiari naturæ concitatione latus, primum profeſſor eloquentiæ in gymnaſio urbis ſtetinenſis, deinde ſcholæ ſenatoriæ, & amplius regii pædagogii rector, tantam apud auguſtiſſimam Reginam gratiam obtinuit, ut communis menſa, bonarum mentium, quarum ſoror eſt paupertas; ac Iuris, Medicinæ & Mathematum profeſſores in Gymnaſio conſtituerentur, ipſe etiam regiis ſumtibus honores doctorales Gryphiswaldiæ poſſet aſſumere; tandem vero cum doloribus nephriticis colluctari cœpit: cumque hic morbus cum contumaci iſchuria, & totali urinæ ſuppreſſione reverteretur, inque vitam & partes vitales capitale ſibi ius vindicaret, factum eſt, ut quod mortale erat in viro clariſſimo, exſtingueretur anno 1658. ætatis 62. Superſunt tamen ſcripta eius, interque ea Syntagma hiſtoriarum politicarum, Demonſtratio innocentiæ D. Iac. *Fabricii* adverſus M. Sebaſt. *Meierum*, cum hiſtorica controverſiarum de Verſionibus extraordinariis relatione, Progymnaſmata *Aphthoniana* explicata, Lexicon philoſophicum, Tabellæ hiſtoricæ, Diatribe de Erhardi Comitis *Truchſes* de Wenzhauſen Recognitione eccleſiæ univerſalis antiquæ, Tertia parænesis ad *eundem* cum Refutatione Iod. *Keddii*, & Reſponſio ad *eiusdem* Epiſtolam, Refutatio Iſaaci *Peyrerii*, Chronicon pomeranum, & inter Diſputationes una de inaudita philoſophia Io. Bapt. *ab Helmont*. *Witte* Memor. theologor. 1282. ubi Henr. *Schevius* magnas ei laudes tribuit, immo tandem dicit, virum eſſe ſua, & fortaſſe omni laude ſublimiorem. Et *Voglerus* Introduct. in notit. ſcriptor. c. 6. p. 38. ſcribit: *Quibus addi poteſt Catalogus præcipuorum theologorum, qui poſt reformationem ſcripſerunt, quem ſuæ Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſubiunxit vir doctiſſimus Io. Micralius.* Sed addit: *Maiorem laudem promeritus, ſi nihil affectibus in eo dediſſet.* Et *Schurtzfleiſchius* Epp. ſelect. p. 148. notat, *eum ſæpe alias hiſtoriæ, temporumque rationes turbare, etiam in ipſa hiſtoria domeſtica Pomeranorum.*

Dan. *Hartnaccius*, pomeranus, primum ludi magiſter apud Erfurtenſes, deinde, cum carcere elapſus eſſet, paſtor bræmſtedtenſis, & ſegebergenſis conſiſtorii aſſeſſor, *Stengeri* iuratus hoſtis, ſcripſit Animadverſiones in Franciſci *Sanchez* tractatum, quod Nihil ſciatur, item de periculoſis Ieſuitarum molitionibus, de noti-

EIVSDEM Schediaſma hiſtoricum de inſignibus regni Hungariæ, ut & ritu inaugurandi Regem Hungariæ. Ienæ 1713. Hæc eſt præcedentis Commentationis quædam quaſi continuatio, in qua ea, quæ ad Coronam hungaricam pertinent, ſeu ei adiuncta ſunt, & nomen clenodiorum habent, exponuntur. Atque ita hic agitur 1) de regionum inſignium atque ornamentorum origine in genere. 2) de corona ſive diademate. 3) de pallio ſive paludamento. 4) de chirothecis. 5) de calceamentis. 6) de ſceptro. 7) de globo, ſive pomo aureo. 8) de enſe ſive gladio. 9) de loco cuſtodiæ & conſervatoribus clenodiorum. 10) de ritu ac cærimoniis inaugurandi Regem Hungariæ.

XCIIX.

Antonii PAGII Diſſertatio de periodo græco-romana. Vitembergæ 1705. Cum Henr. Leonh. *Schurzfleiſchii* Problematibus uſum eius commonſtrantibus, & Præfatione, quæ lectorem de ſumma inſtituti admonet. Periodus ab eruditorum principe, Ioſ. Iuſto *Scaligero* excogitata eſt; & Iuliana appellatur, non quod cum annorum Iulianorum epocha commune principium habeat, ſed quia ad rationem anni a IVLIO Cæſare ordinati, eiusque cyclos perapte eſt accommodata. Quid? Periodus Iuliana inventum eſt, non magis Scaligeri ingenio, quam Dei munere traditum atque conceſſum, luculentum & inſigne omnium epocharum, quæ exſtant, receptaculum, fundamentumque omnium periodorum, quæ rationes chronologicas firmant, & comprehendit 7980. annos Iulianos: qua ratione ab omnibus aliis epochis & periodis diſtinguitur. Præterea & *Græco romana* dicitur, quia tres epochas mundanas ſeu periodos Chriſtianorum orientalium, in Hiſtoriæ byzantinæ ſcriptoribus ab Eccleſiæ græcæ monumentis ſæpe memoratas, complectitur & exhibet.

Antonius *Pagi*, quo humiliori in Galliæ Provincia loco, quem Rognis vocant, natus fuit, eo maiores in litteris elegantioribus ac difficilioribus, Chronologia, puta, & Hiſtoria progreſſus fecit, & quamquam in Ordine Minorum Conventualium S. Franciſci, per ſacrorum tractationem, & ſplendidarum provinciarum adminiſtrationem, ſubinde a ſtudiis ſuis avocaretur, hi-

ſtoria-

ſtoriarum tamen culturæ, quantum ſupererat temporis, ſolicitè impendere perrexit, & defectus earum, quos obſervaverat, emendare adlaboravit. Hinc ei nata Diſſertatio hypatica de conſulibus cæſareis, Critica hiſtorico-chronologica in Annales *Baronii*, & Diſſertatio de anno & die mortis S. Martini, epiſcopi turonenſis: quamvis hæc duo poſtrema ſcripta non perfecta ab eo ſint, & expolita, ſed curæ & diligentiæ Franciſci *Pagii* relicta, qui non magis de patruo ſuo, quam de orbe erudito præclariſſime meritus eſt, & quidquid rerum atque ornamenti deerat, impigre fideliterque iis addidit. Ant. Pagius primum quidem non aggreſſus eſt Baronium, ſed Spondani Epitomen; admonitus autem ab amicis & fautoribus, ut ipſos colluſtraret Annales, morem iis gerere decrevit, &, ſi quid forte erratum, retractare; in primis, quæ VI. canonis Concilii nicæni expoſitionem ſpectant: ſed vix tentatis immortuus eſt anno Chriſti 1699. ætatis 76. *Acta erudit.* A. 1706. 110. *Critopulus* in Cenſura Eclogar. Mayeri p. 111.

Henr. Leonard. *Schurzfleiſchius*, Corbiaco-waldeccenſis, Conradi Samuelis, polyhiſtoris quondam vitembergenſis, frater, Iurium Doctor, & Hiſtoriarum profeſſor vitembergenſis, item Conſiliarius vinarienſis, & Bibliothecæ principalis director, vir multa doctrina & virtute ornatus, aliis etiam ſcriptis famam ſibi in erudito orbe acquiſivit. Atque hæc ſunt Diſſertatio epiſtolica de Ioſepho, notis I. I. *Scaligeri* aucto, Elenchus ſcriptorum H. L. *Schurzfleiſchii*, Hiſtoria enſiferorum ordinis teutonici Livonorum, Diſſertatio de priſcæ recentioriſque hiſtoriæ ſcriptoribus, de neceſſario ad excolendam eccleſiaſticam civilemque doctrinam ſtudio hiſtorico, de magorum e Perſia ad adorandum Servatorem profectione, Annus Romanorum Iulianus libro commentario illuſtratus, Io. Bapt. *Belli* diſſertatio de pharſalici conflictus menſe & die, recognita & acceſſione marmoris Maffeiani locupletata, Diſſertatio antirrhetica *Schmidianam* Pindari chronologiam adverſus Guil. *Lloydum* aſſerens, Diſſertatio chronologica de collatione rationum *Euſebii* & marmoris *Arundelliani*, Prolegomena in *Commodiani* Inſtructiones adverſus Gentium deos, pro chriſtiana diſciplina, & Supplementa ad illas, Prolegomena & animadverſiones in *Orientii* libros II. Commonitorii fidelium, *Hroivvitha* opera omnia cum Prole-

Prolegomenis, Notis, Gloſſario & Indicibus, Spicilegium animadverſionum in *Philoſtratum*, Diſſertatio de lucernis veterum Chriſtianorum ſepulcralibus, *Fratris* Animadverſiones ad *Longinum περὶ ὕψους*, *Eiusdem* Epp. arcanæ, & ſelectiores, Supplementa orthographiæ romanæ ex ipſo *fratris* MSto, Diſſertatio de Conr. Kauffungo Principum raptore, Specimen variarum lectionum, & animadverſionum Iani *Gebhardi* in Livii Hiſtoriarum libros, cum III. codicibus palatinis collatos, & Præfatio atque Annotationes in Thaddæi *Donnola* Diſſertationem hiſtoricam de patria Propertii poetæ. Hæc omnia recenſentur in *Muſæi novi* Tomo II. 475.

Io. Andreæ BOSII Notitia Hiſpaniæ, Ducatus mediolanenſis, & Regni neapolitani. Helmſtadii 1702. Conſtat tribus ſectionibus, quarum prima de origine & progreſſu imperii hiſpanici agit: ſecunda de ditionibus imperii hiſpanici ſigillatim; primo quidem de hiſpanicis, dein de italicis, Ducatu præcipue mediolanenſi, & Regno neapolitano. Hæc eſt minima pars, atque initium duntaxat magni operis, quod Boſius meditabatur: conſtituerat enim de præcipuis orbis univerſi imperiis, eorumque origine, progreſſu, & ſtatu tam eccleſiaſtico, quam politico, aliiſque ad civilem cum primis vitam facientibus ſcribere, ſed fato præventus, nullius niſi hiſpanici regni notitiam ad finem perduxit.

Nicolai BVRGVNDII Hiſtoria bavarica. Helmſtadii 1705. Ludovici IV. Imp. vitam ac fata ab anno 133. uſque ad annum 1347. complectens. Eſt hæc editio tertia, & quidem correctior & emendatior: cum prima prodiiſſet Ingolſtadii A. 1636. ſecunda Amſtelodami 1645. Et bene de publico meritus eſt CL. vir, Iuſt. Chriſtoph. *Bœhmerus*, qui non ſolum elegantiſſimi & in tabernis librariis fruſtra diu quæſiti operis editionem curavit, ſed etiam præfatione eandem ornavit, in qua de libro eiusque auctore verba facit.

Nicolaus *Burgundius*, IC. primum cauſſarum patronus ſive advocatus apud Flandriæ Regimen, deinde S. Cæſ. Maieſt. Electorisque Bavariæ Conſiliarius, Comes palatinus, atque in academia ingolſtadiana Codicis profeſſor ordinarius, quem *Sanderus* vocat virum ingenio & doctrina præſtantem, *Deſſelius* poëtam, oratorem, hiſtoricum, in ſingulis eximium, *Bœhmerus* magna vi ingenii, iudicii

iudicii acumine, & doctrinæ varietate pollentem, & *Conringius* ſumma prudentiæ, eloquentiæ & παῤῥησίας laude inclytum, comparandumque cum quovis veterum, (de quibus vide prædictam Præfationem) ſcripſit Hiſtoriam belgicam, Commentarium de evictionibus, Tractatum controverſiarum ad conſuetudines Flandriæ & alia, naturæque tributum ſolvit circa, vel ultra medium ſæculi XVII. natus anno 1586. *Kœnig* 144. *Acta erudit.* A. 1711. 58. *Neu* Mantiſſa ad Whearum 164.

Georg. Iac. MELLINI Antiquitates lacus bodamici, cum Specimine hiſtoriæ lindavienſis. Ienæ 1693. Eſt diſputatio ſub præſidio Caſp. *Sagittarii* habita, qui tamen in epiſtola ad Mellinum teſtatur, pleraque omnia eius deberi ingenio, eiusque induſtriæ. In qua tractatur de ſtatu Lacus bodamici 1) hodierno, 2) ultimo & antiquiſſimo, 3) turbulento, Octavio Auguſto imperante, 4) tempore Alemannorum, 5) ſub imperio Francorum regum, 6) ſub Carolo M. Imperatore, 7) ſub Ludovico Pio Imp. 8) ſub Ludovico Germanico & Carolo Craſſo, 9) ſub Arnulpho & Ludovico III. 10) ſub Conrado I. 11) ſub Henrico aucupe, & Ottonibus tribus. 12) ſub Henrico II. Conrado Salico, & Henricis III. IV. Vto. 13) ſub reliquis Regibus atque Imperatoribus uſque ad Rudolphum habsburgicum.

Georg. Iac. *Mellinus*, Lindavia-acronianus, egregio hoc eruditionis atque induſtriæ ſuæ ſpecimine non tantum de patria, verum etiam de tota Germanorum natione præclare meritus eſt, & utriusque favore ac laude dignus.

Chriſtiani SCHLEGELII Hiſtoria vitæ Georgii *Spalatini.* Ienæ 1693. Hoc meletema eſt diſputatio conſcripta, & ſub moderamine Caſp. *Sagittarii* publice habita, eiusque auctor eſt ipſe, quem nominavimus, Schlegelius, quem Sagittarius in Epiſtola præmiſſa hoc ornat teſtimonio: *Enim vero, ut dicam, quod res eſt, tanta cum induſtria, tanta, tamque exquiſita cum cura, in vita Spalatini es verſatus, ut non immerito eandem commendare, teque in exemplum aliis ingeniis proponere neceſſum habeam.*

Io. Andr. SCHMIDTII Numi bracteati Numburgo-Cizenſes, Pegavienſesque. Ien. 1695. Hoc monumentum inter prima huius generis eſt, quæ in lucem prodierunt, fatente ICto & poly-

polyhiſtore celeberrimo, Io. Petro *Ludevvigio* Introduct. ad rem medii ævi nummar. germanicam p. 14. atque ex eo obſervante *Liebknechtio* de bracteatis nummis haſſ. p 4.

Anonymi Bericht, Narratio de Grœnlandia, ex gallico in germanicum tranſlata ab Henrico *Sivers.* Hamburgi 1674. Extracta ex duobus Chronicis, videlicet antiquo islandico, & recente danico. Gallice illa prodiit Pariſiis A. 1647. ſcripta ad dominum dela Mothe le Vayer. Auctor vero, ut *Placcius* indicat de anonymis p. 465. eſt Iſaac PEYRERIVS. Inter alia hic agitur de dentibus magnis & pretioſis, quos unicornu vocant, & iudicium fertur de cornu, in fano S. Dionyſii aſſervato: & variæ, nec inelegantes adduntur figuræ. Atque hæc hiſtoria laudatur a *Bocharto* Hieroz. lib. III. c. 27.

Iſaac *Peyrerius*, vernacule *De la Peyrere*, gallus, & reformatæ religioni addictus, deinde autem, cum errorem de Præadamitis, libro peculiari vulgatum, eiurare deberet, pontificius, Epiſtolam ſcripſit, in qua exponit rationes, cur dogma de Præadamitis ſolemni iureiurando abiecerit, & obiit A. 1677. ætatis 80. In linguis eruditis non proceſſit ultra latinam, inque hac ſtilum habuit inæqualem; in theologicis autem plane infans erat, erroresque magis ex ignorantia, quam ex malitia adoptavit. Vitam eius deſcripſit *Marvill.* dans les Melanges d' hiſtor. & de literat. Vol. I. 143. Cui adde *Balium* in Dictionario crit. & hiſtorico, *Menagiana* T. IV. 36. *Supplementa* Actor. erud. T. III. 388. *Magirum* p. 654. & *Crenium* Faſce II. 8.

XCIX.

ARISTOXENVS, NICOMACHVS, ALYPIVS, a Io. *Meurſio* primum vulgati, & notis illuſtrati. Lugduni Batavorum 1616. Triumviri hi ſunt auctores muſices antiquiſſimi, nec antea editi; Meurſius autem eos deſcripſit ex codice bibliothecæ lugdunenſis apud Batavos, illo ſatis corrupto, & mutilo etiam loco non uno, primusque edidit. Et quidem hic comparent 1) Ariſtoxeni Elementa harmonica. 2) Nicomachi Enchiridion harmonices: quod emendatius editum eſt a Mar. *Meibomio*, cum pluribus Muſicis græcis, Amſtelodami 1652. 4. 3) Alypii Iſagoge

muſica.

muſica. De *Meurſio* egimus P. III. p. 252. Quod vel ideo indicandum, quia nomen eius omiſſum eſt in Partis illius Indice.

Ariſtoxenus, tarentinus, *Muſi* ſeu *Spinthari* filius, *Ariſtotelis* ſtagiritæ diſcipulus, per excellentiam dictus Muſicus, claruit tempore Regis Ptolemæi Lagi, compoſuitque muſicos, philoſophicos, hiſtoricos, & omnigenæ eruditionis libros, *Suida* teſte p. 453. Inter quos eminent Liber de vitis doctorum, Opus de tragœdiarum poëtis, de tibicinibus, de tragica ſaltatione. At de tam multis eius libris vix unus ſupereſt. *Kœnig* 61. *Meurſius* in Notis p. 94.

Nicomachus, geraſenus, arabs, qui poſt Auguſtum & Tiberium vixerit, Arithmeticam duobus libris illuſtravit, & Arithmetica theologica reliquit. *Kœnig* 575. *Meurſius* in Notis p. 162. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 22. p. 2.

Alypius, alexandrinus, ſtatura perpuſilla, inſtar pygmæi, ſed ſummus differendi artifex, tantique a IVLIANO Imp. æſtimatus, ut epiſtolas ad eum dederit. Neque in umbra vitam exegit, ſed Remp. etiam adminiſtravit, & Geometriam quoque ſcripſit. Tandem in urbe patria deceſſit, admodum ſenex, & *Iamblichus* eius vitam in litteras redegit; quamquam valde obſcure. *Meurſius* in Notis p. 122.

Io. MEVRSII Solon, ſive de eius vita, legibus, dictis atque ſcriptis liber ſingularis. Hafniæ 1632. In aliis ſcriptis uſui fere grammatico commodum ſe præſtitit Meurſius, in hoc autem, nec non Areopago, etiam politico, ut indicat *Conringius* de Civ. prud. c. 14.

EIVSDEM Piſiſtratus. Lugduni Batavorum 1623. Agit hic liber de eius vita & tyrannide.

EIVSDEM Areopagus, ſive de Senatu areopagitico liber ſingularis. Lugduni Batavorum 1624.

EIVSDEM Roma luxurians, ſive de luxu Romanorum liber ſingularis. Hafniæ 1631. Atque hæc editio eſt nova, auctior & emendatior, eique additur Mantiſſa, & in huius fine ASTRAMPSYCHI Oneirocriton, ſive de ſomniorum iudiciis, cum notis *Meurſii*. In primo autem Mantiſſæ capite *Adhelmus* de laudibus virginitatis multis in locis emendatur. Et in tribus qui-

dem omnis luxus verſabatur, in cultu corporis, ædium, & conviviorum.

Aſtramſbychus non admodum vetus auctor eſt, inquit *Rigaltius*, ut ex charactere ſcribendi, item ex neglectu moduli ſyllabarum adparet. *Suidas* ſcribit, eum feciſſe librum de medicina aſinorum. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 13. p. 407.

C.

Io. MEVRSII de Fortuna attica liber ſingularis. Lugduni Batavorum 1622. In quo agitur de Athenarum origine, incremento, magnitudine, potentia, gloria, vario ſtatu, decremento & occaſu. De hoc libro, & auctoris Cecropia, Solone, & Piſiſtrato, Gerardus *de Maſtricht*, qui eos in uno poſſidebat volumine, ſcribit in Catalogo Biblioth ſuæ p. 596. eſſe volumen rarum.

EIVSDEM Regnum atticum. Amſtelodami 1633. Sive de Regibus Athenienſium, eorumque rebus geſtis. Perduravit autem Regnum atticum ſub Regibus XXX. ſerie continua 794. annis: quibus ſi 32. Ogygi addas, & annorum deinde 190. intervallum, 1016. numerabis. Ecce tibi in conſpectu. Ogygus annos 32. Interregnum poſt diluvium annos 190. Cecrops I. 50. Cranaus 9. Amphictyon 10. Erichthonius 50. Pandion I. 40. Erechtheus 50. Cecrops II. 40. Pandion II. 25. Ægeus 48. Theſeus 30. Meneſtheus 23. Demophon 33. Oxyntes 12. Aphidas 1. Thymætes 8. Melanthus 37. Codrus 21. Medon 20. Acaſtus 36. Archippus 19. Therſippus 41. Phorbas 30. Megacles 28. Diognetus 25. Pherecles 19. Ariphron 20. Theſpieus 27. Agameſtor 17. Æſchylus 23. Alcmæon 2.

EIVSDEM Miſcellanea laconica. Amſtelodami 1661. Sunt variarum antiquitatum libri IV. editi non ab auctore, ſed poſt eius obitum a Sam. *Pufendorfio*, qui eos acceptos refert perilluſtri viro, Petro Iulio *Coyet*, Equiti aurato, & S. R. Maieſt. Sueciæ Conſiliario aulico, a quo & alia quædam nec dum edita Meurſii ſcripta, præter Curas ſecundas in pleraque antehac ab ipſo edita, ſe poſſidere gratus fatetur. Dedicatio ad Comitem Ottonem Guilielmum Konigsmarckium eſt inſtar panegyrici, in laudem ſtudiorum ac virtutum illius in litteris atque armis herois ter inclyti.

CI.

CHALCIDII Timæus Platonis, cum Commentario, & Io. *Meurſii* notis. Lugduni Batavorum 1617. Quæ antehac erat optima editio, nunc autem ei præſtat, quam Io. Alb. *Fabricius* Tomo II. operum S. Hippolyti addidit, emendatam quippe notisque ſuis illuſtratam. Et Chalcidius quidem Platonis Dialogum, Timæus inſcriptum, ex græco in latinum tranſtulit, atque, ut ipſe in Præfatione ad Oſium ſuum declarat, in partis eiusdem Commentarium fecit. Iacobus *Antiquarius* in reſponſoria ſua ad Auguſtini Iuſtiniani Epiſtolam, quæ hic ambæ præſenti libro præfixæ ſunt, de hoc opere hunc in modum iudicat: *Auctor* (Chalcidius) *tam exiſtimari debet opportunus, quam per ignota loca incedenti neceſſarius eſt, qui viam demonſtret. Vetus enim platonica philoſophia, ut multitudinis contaminationem declinet, atque diſcentium exerceat ingenia, tota, quaſi in quodam involucro poſita, delitеſcit. Quare in* Timæum, *quod de Prometheo fabula canunt, tanquam acceptum de cœlo ignem, & lumen quoddam,* Chalcidius *inferre non dubitavit, adytum ſacrum reſerans; in quo rerum maieſtas incluſa tenebatur.*

Chalcidius, philoſophus platonicus ex recentioribus, vixerit, ſi non temporibus Conſtantini M. ſaltem iunior haud fuerit temporibus Theodoſianis. Chriſtianum fuiſſe, & archidiaconum eccleſiæ carthaginienſis, non nulli, interque eos Guil. *Cave* Scriptor. eccleſ. hiſtor. litterar. p. 106. ex eo ſibi perſuadent, quia ex V. & N. T. quædam excitat; tandem vero & ipſi dubitant, & doctiſſimi *Trevultini* ad A. 1720. m. Februar. diſerte negant. *Interim* Chalcidius *auctor eſt gravis, prudens, multa profundaque ſcientia imbutus, omnium fere Philoſophorum dogmata accurate tenuit, omnia pro argumenti dignitate, rerumque pondere egregie tractat:* quod eſt iudicium *Cavii*, idque non malum. Vide etiam *Kœnigium* p. 183.

Theodori METOCHITÆ Hiſtoriæ romanæ liber ſingularis, a Io. *Meurſio* e græca in latinam linguam translatus, notisque illuſtratus, & cum textu græco primum vulgatus. Lugduni Batavorum 1618. Præmiſſum etiam ab editore eſt præloquium de Theodoro Metochita, in quo eius vita & ſtudia deſcribuntur. Sed quid indicandum de controverſia, qua alii cum Meurſio Hiſtoriam iſtam tribuunt Theodoro Metochitæ; ut *Voſſius*, *Miraus*,

Sagittarius, Henr. *Ernſtius* Ep. dedicator. Catalogi ſcriptorum Io. Caſelii, & l. 2. Obſervat. var. c. 36. *Dieemannus*: alii Michaëli GLYCAE, eiusque aiunt eſſe Librum tertium Annalium quadripartitorum; ut Theoph. *Raynaudus*, *Labbe*, *Cave* in Chartophyl. eccleſiaſt. *Wharton*, *Olearius*, Io. Alb. *Fabricius*? Nos quidem eam iam non intrabimus: ſed legendos commendamus *Placcium* de pſeudon. p. 318. 443. *Olearium* Biblioth. eccleſiaſt. P. II. 195. Io. Alb. *Fabricium* Biblioth gr. lib. V. c. 5. p. 223. & c. 4. p. 156. & *Crenium* Diſſert. II. de furib. librar. p. 26. Ipſa autem hæc Hiſtoria romana a Iulio Cæſare decurrit ad Conſtantinum Magnum.

Theodorus *Metochita*, natione græcus, primum archidiaconus, deinde curſus publici logotheta, mox ærario generali præfectus, denique ab ANDRONICO Imperatore, cui adfinitate iunctus erat, magnus logotheta, quæ maxima in CPtano Imperio erat dignitas, factus, omnia apud Auguſtum efficere potuit, ſummaque auctoritate valens res Imperii pro lubitu, nec minus ſumma fide ac diligentia moderatus eſt. Sed ſecunda hæc fortuna non fuit perpetua. Andronico enim ſeniore a iuniore rebelli, ipſius nepote, bello victo, captaque urbe CPli, relegatus eſt Metochita in Bithyniam, & magnificæ ipſius ædes, direptis prius opibus, a furente plebe ſolo æquatæ, Turcisque poſtea Bithyniam populantibus, Didymoticho reductus quidem eſt CPlin, ſed monaſterio Choræ incluſus, cum gravi interdicto, ne cum Andronico ſeniore, quem anima ſua cariorem habebat, ullum vel verbulum commutaret, vel commercium inſtitueret litterarum. In miſero hoc ſtatu vixit, ſi vivere dicendus eſt, qui ad ſummam egeſtatem cum liberis ſuis ſe redactum videt, uſque ad diem 13. Martii A. 1332. quo vanitati mundi vale dixit, in hoc beatus, quod Andronicum ſuum, 30. ante diebus mortuum, mox ſequi potuit, & apud inferos cum eo coniungi. Nicephorus *Gregoras* funebri eum oratione laudavit, quæ hic in libro noſtro præmiſſa eſt. *Wharton* in Appendice p. 4. *Olearius* P. II. 195. & *Meurſius* in Dedicat. & Præloq. de Theodoro Metochita.

Michaël *Glycas*, ſiculus, claruit anno 1120. multaque, & varii generis ſcripta conſignavit, videlicet Annales quadripartitos ab O. C. uſque ad obitum ALEXII, Diſputatiunculas II. Epiſtolas

plures,

plures, Tractatus aliquot adhuc ineditos de proceſſione Spiritus ſancti, de azymo, an Chriſtus eo in ſuprema cœna ſit uſus? deque animabus a corpore ſeparatis, & quædam Exegetica in Scripturam ſacram. *Cave* 456. *Olearius* Biblioth. eccleſ. P. I. 487. I. A. *Fabricius* l. c. & *Crenius* Diſſert. II. de furib. librar. §. 32.

Petri GASSENDI Vita Nic. Cl. *Fabricii* de Peireſc. Hagæ Comitum 1655. Editio tertia, auctior, correctior & diſtinctior. Recuſa eſt Quedlinburgi A. 1706. 8. Et profecto præſtantiſſimum eſt ſcriptum, magnisque laudibus a ſummis viris celebratum: *Mauritius* enim de Princip. iur. publ. c. 2. n. 31. vocat opus incomparabile: *Conringius* de antiq. ſtatu Helmſtadii p. 12. hiſtoriam inuſitata diligentia deſcriptam: *Morhoſius* Polyh. liter. l. 1. c. 19. n. 17. magna diligentia conſcriptum librum, continentemque varia memorabilia antiquaria, philologica, phyſica, politica, quaſi per cumulum congeſta. *Dum enim* (ita pergit vir inſignis) *perſequitur omnes viri iſtius labores, occaſione iſta ad multa curioſa, ab illo vel inventa, vel notata, dilabitur. Plane in hoc labore exercuit ingenium ſuum* Gaſſendus, *& dum varia philoſophemata proponit & iudicia, pulcherrimis ſubinde contemplationibus totam viri huius hiſtoriam illuſtrat, & ſub illa rei literariæ tum temporis in Gallia ſtatum.*

Pet. *Gaſſendus*, dinienſis in Gallia civis, (quamvis non Diniæ natus eſſet, ſed in dinienſis pago ſeu oppidulo, Campotercerio) presbyter, eiusdemque eccleſiæ præpoſitus, & in academia pariſienſi regius Mathemathicæ profeſſor, vir, ſi quis alius, omni eruditione imbutus, nec tamen eruditione, quam iudicio, candore, verique & honeſti ſtudio nobilior, ſcripſit Exercitationes paradoxicas adverſus *Ariſtoteleos*, Exercitationes pro Marino *Merſenno* adverſus Robertum *Fluddum*, Epp. de apparente magnitudine ſolis humilis & ſublimis, motu impreſſo a motore translato, ac proportione, qua gravia decidentia accelerantur, Inſtitutionem aſtronomicam ſecundum hypotheſes tam veterum, quam *Copernici* & Tychonis *Brahe*, horumque & G. *Peurbachii* ac Io. *Regiomontani* Vitas, Philoſophiam Epicuri, & alia: omnia autem opera in VI. tomos diſtributa, prodierunt Lugduni A. 1658. in folio, & clariſſimus *Wilkinſius* occupatur in collectione Epiſtolarum auctoris noſtri. Tandem philoſo-

loſophari ac ſcribere deſiit vir inclytus, ſeque totum Chriſto & ſacris meditationibus tradens, placide in Domino obdormivit IX. Kal. Novembris A. 1655. ætatis quaſi 64. mortuumque luxit univerſus orbis eruditus. *Sorberius* in *Wittii* Memoriis philoſophor. T. II. 201. *Allatius* Apib. Vrban. 92. *Wagenſeil* in Dedicat. Sotæ 10. *Craſſus* Elog. P. I. 296. *Pope-Blount* 964. *Acta erudit.* A. 1718. 519. *Sorberiana* 100. *Crenius* Animadverſ. P. VI. 6.

EIVSDEM Vita Epicuri. Hagæ-Comitum 1656. Scripta inſtigatione Fran. *Luillerii*, pariſini, Rationum magiſtri, cui etiam auctor eam dedicavit. Et abſolvitur IIX. libris: quorum 1. agitur de ortu ac ſerie vitæ Epicuri. 2. de morte & ſucceſſione illius. 3. de occaſione & autoribus quæſitæ Epicuro infamiæ. 4. de obiecta ei impietate. 5. de obiecta gula, 7. de obiecta Venere. 8. de obiecto odio liberalium diſciplinarum. Atque ita oſtendit Gasſendus, Epicuro iniuriam vulgo fieri, quando ut homo turpiſſimis voluptatibus ac vitiis deditus concipitur, aliisque talis proponitur, quin potius eum maxime ſobrium & continentem fuiſſe, nullamque Philoſophorum ſectam illius ſecta fuiſſe ſanctiorem. Atque hoc etiam fuſius docuit Gaſſendus in Philoſophia Epicuri. Interim non poſſumus præterire iudicium de Epicuri apologia, quod Sam. *Parkerus*, vir laudatiſſimus, fert in Diſp. I. de Deo §. 12. ſcribens: *Nemo aut verius, aut uberius, aut quidem felicius Epicuri apologiam confecit, quam Petrus* Gaſſendus.

CII.

Ioannis MICRAELII Syntagma hiſtoriarum eccleſiæ omnium. Cum Continuatione Dan. *Hartnaccii*. Lipſiæ 1679. Editio quarta, quam ſecutæ ſunt quinta, & ſexta. Abſolvitur tribus libris, ita ut primo Patriarcharum & moſaica eccleſia introducatur; altero, qualis in N. T. ad Carolum uſque magnum ſub Imperatoribus ethnicis & orientalibus græcis fuerit; tertio, quid ſub Imperatoribus germanicis ad noſtra uſque tempora in eccleſia contigerit. Additur Tabula chronologica, quæ inſtar Lexici hiſtoriæ eccleſiaſticæ eſſe poteſt. *Hartnaccii* Continuatio novas ſectas, & ſchiſmata, ut vocat, recenſet: videlicet, Socinianorum, Arminianorum, Helmſtadienſium, Ianſeniſtarum, Menoni-

noniſtarum, Browniſtarum, Independentium, Quackerorum, Henrico-Nicolaitarum, Stengerorum, Labadieſtarum, Carteſianorum, Cocceianorum, & Conſcientiariorum.

Pag. 562. Lotharius Saxo Imp. *circa annum* 1135. Leges Romanas per Irnerium ICtum *in ſcholas revocavit*, & ius ex iis doceri *mandavit*.	*Anno* demum 1136. ſecunda vice in Italiam abiit. Reliqua *fabula* ſunt. G. *Calixtus* Epit. theol. moral. 112.
742. G. Calixtus *ſyncretiſmum* non cum Reformatis tantum, ſed etiam cum Papiſtis, & *varias novitates* propoſuit.	Hæc *calumniis* accenſet filius, Fr. Vlr. *Calixtus* in Epiſt. dedicat. paterno ſcripto de Tolerantia Reformatorum præfixa):( ):(
743 Mart. Chemnitius Bibliothecæ ducali Regiomonti præfuit. Inde, *cum & iam rectoratum ſchola oppidana* aliquamdiu adminiſtraſſet, Brunſvigam ad munus presbyteri evocatus eſt.	Rector fuit ſcholæ oppidanæ *in Kniphof, antequam præfectus eſſet bibliothecæ*. *Rehtmeyer* Hiſt. eccleſ. brunſv. P. III. 286.
744. Dav. Chytræus D. *Palatinus* ex *Monzinga*.	*Suevus ex Ingelfinga*. *Kœnig* 191. *Serpilius* Epitaph. aliquot ſuevor. Theologor. 97.
755. Georg. *Grosheim*.	*Groſſehain*.
759. Cenſuris D. *Rohtmanni*.	*Rothmaleri*.
762. Matth. *Iudex* obiit Roſtochii, *quo exul* excurrerat, *anno* 1587. *ætatis* 79.	Excurrerat, ſed *invitatus*, *anno* 1564. *ætatis* 36. *Crenius* Animadverſ. P. VI. 51. 70. 71.
767. Iac. Martini, primum gymnaſiii *Neidenſis* rector.	Gymnaſii *Nordenſis*. *Gundlingiana* P. I. 27.
768. Io. Matheſius *vix LI. annum exceſſit*.	Vixerat LXI. *annos*, cum moreretur. Melch. *Adamus* in Vitis theologor. 403. 405.
774. Caſp. *Pafradius*.	*Pfafradius*.
Io. Pappus D. *Lindovienſis*.	*Lindavienſis*.
778. Vrbanus Regius. Extant eius opera Latina in *duos* To-	Latina in *tres* Tomos diſpoſita: Germanica *IV. partibus*.

mos diſpoſita, ut & Germanica *uno volumine*,	
782 *Val.* Schmuck.	*Vincentius* Schmuck. *Crenius* Animadverſ. P. XIIX. 233.
Io. Schröderus, *Profeſſor altorfinus*.	*Paſtor noribergenſis*.
Sal. *Schvveiggrus*.	*Schvveiggerus*.
783. Nic. Selneccerus. *paſtor* Ienenſis.	*Profeſſor* ienenſis. *Leuckfeld* Antiqq. gandersheim. p. 318.
837. Tannerus nec vocatus ad diſputandum, *nec iuſſus a Magiſtratu*, ſe ipſum collocutorem conſtituit in Colloq. ratisbonenſi.	Poſt II. Seſſiones, per D. Ioach. Donſpergerum *iuſſus fuit* a ſereniſſimo Duce Bavariæ ſymbolam ſuam conferre. *Tannerus* Relat. de Colloq. ratisbon. p. 14.
856. Adam Neuſſerus ad Turcas confugiens, *abiurata chriſtiana religione, machometaniſmum* ſuſcepit. *Idem* de Io. Paulo *Alciato* annotatum invenimus.	*Ex aliorum relatione*: quorum tamen nomina non proferuntur. Alciatus Dantiſci vitam per aliquot annos *chriſtiano ritu* ſingulari cum pietate exegit, & *moriturus animam Chriſto ſervatori commendavit*. Mart. *Ruarus* Epp. Cent. I. 225. 226.
859. Caſp. Schwenckfeld *verbo Dei ſepoſito, ſpretoque eccleſiaſtico miniſterio* ſomnia ſua iactavit.	*Utrumque negat* in Confeſſione ſua.
Hartnaccius in Continuatione. pag. 967. A Georgio Calixto *Schiſmati* (calixtino) nomen venit.	Illud *fabula eſt*, protrita a G. *Calixto*, eiusque *filio* in Præfat. in Tractatum de Tolerant. Reformat. & Præfat. in Refutat. Harmoniæ Calovianæ, atque in Epicriſi A 3. Vide *Conſiderat.* meam controverſiarum p. 275.
982. *Improbantur a Wittebergenſibus* Helmſtadienſium dogmata. (120)	Videndum autem, *quo iure*. Et legendum eſt iudicium *Glaſſii* de his controverſiis.

Io.

Io. *Micralius*, Coslinio-pomeranus, *Crameri*, *Krakevvizii*, *Bat-ti* & *Maſchovii* diſcipulus, ad muſices, græcæ linguæ, & poëſeos culturam peculiari naturæ concitatione latus, primum profeſſor eloquentiæ in gymnaſio urbis ſtetinenſis, deinde ſcholæ ſenatoriæ, & amplius regii pædagogii rector, tantam apud auguſtiſſimam Reginam gratiam obtinuit, ut communis menſa, bonarum mentium, quarum ſoror eſt paupertas, ac Iuris, Medicinæ & Mathematum profeſſores in Gymnaſio conſtituerentur, ipſe etiam regiis ſumtibus honores doctorales Gryphiswaldiæ poſſet aſſumere; tandem vero cum doloribus nephriticis colluctari cœpit: cumque hic morbus cum contumaci iſchuria, & totali urinæ ſuppreſſione reverteretur, inque vitam & partes vitales capitale ſibi ius vindicaret, factum eſt, ut quod mortale erat in viro clariſſimo, exſtingueretur anno 1658. ætatis 62. Superſunt tamen ſcripta eius, interque ea Syntagma hiſtoriarum politicarum, Demonſtratio innocentiæ D. Iac. *Fabricii* adverſus M. Sebaſt. *Meierum*, cum hiſtorica controverſiarum de Verſionibus extraordinariis relatione, Progymnaſmata *Aphthoniana* explicata, Lexicon philoſophicum, Tabellæ hiſtoricæ, Diatribe de Erhardi Comitis *Truchſes* de Wenzhauſen Recognitione ecclesiæ univerſalis antiquæ, Tertia parænesis ad *eundem* cum Refutatione Iod. *Keddii*, & Reſponſio ad *eiusdem* Epiſtolam, Refutatio Iſaaci *Peyrerii*, Chronicon pomeranum, & inter Diſputationes una de inaudita philoſophia Io. Bapt. *ab Helmont*. *Witte* Memor. theologor. 1282. ubi Henr. *Schevius* magnas ei laudes tribuit, immo tandem dicit, virum eſſe ſua, & fortaſſe omni laude ſublimiorem. Et *Voglerus* Introduct. in notit. ſcriptor. c. 6. p. 38. ſcribit: *Quibus addi poteſt Catalogus precipuorum theologorum, qui poſt reformationem ſcripſerunt, quem ſua Hiſtoria eccleſiaſtica ſubiunxit vir doctisſimus Io. Micralius.* Sed addit: *Maiorem laudem promeritus, ſi nihil affectibus in eo dediſſet.* Et *Schurzfleiſchius* Epp. ſelect. p. 148. notat, *eum ſepe alias hiſtoriæ, temporumque rationes turbare, etiam in ipſa hiſtoria domeſtica Pomeranorum.*

Dan. *Hartnaccius*, pomeranus, primum ludi magiſter apud Erfurtenſes, deinde, cum carcere elapſus eſſet, paſtor bræmſtedtenſis, & ſegebergenſis conſiſtorii aſſeſſor, *Stengeri* iuratus hoſtis, ſcripſit Animadverſiones in Franciſci *Sanchez* tractatum, quod Nihil ſciatur, item de periculoſis Ieſuitarum molitionibus, de noti-

oribus natura et nobis, varios tractatus contra *Stengerum*, &c, ſub nomine *Maſaneſi*, Confutationem Defenſionis Pilati, a *Stellero* ſuſceptæ, vivereque & tumultuari deſiit A. 1708. ætatis 66. cum dimidio. *Arnold.* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. III. 137. *Erſkhein* (qui eſt Frid. Vlr. *Calixtus*) contra Hændelii Paſquillum p. 44. item in Ep. dedicat. Conſultationis paternæ de Tolerantia Reformat.):( ):(& *Spenerus* P. I. Conſil. theol. latin. p. 435. ubi ad theologum quendam, fortaſſe Io. Melch. *Stengerum*, ita ſcribit: Micrælium Hartnaccii *in bibliopolio vidi, & inſpexi, ſed quem perlegerem, nentiquam dignum credidi: nam bonas horas melius collocandas arbitror; nec video, cur animi tranquillitatem talium lectione turbem. Vt reſpondeas, nemo vetuerit; ſed quaſo te, manſuetudinis ne obliviſcare, chriſtiano & theologo digna.* Et P. III. 46. *ingenue fatetur, ſe* Hartnaccio *indignari, cum apud eum pleraque* (in cauſa cum primis Stengeriana) *malitioſo animo ſuſcepta fere conſtet.*

CIII.

Timanni GESSELII Hiſtoria ſacra & eccleſiaſtica. Traiecti ad Rhenum 1659. Conſtat II. partibus, quarum prior exhibet hiſtoriam a mundo condito uſque ad annum Chriſti 725. poſterior ab anno Chriſti 726. uſque ad annum 1125. Vtrique ſubiunguntur Addenda: & priora quidem petita ſunt ex Ant. *Godavii* Hiſtoria eccleſiaſtica; poſteriora continent Excerpta ex *Blondelli* Diatribe de formulæ *Regnante Chriſto* uſu, attinentia vitam GREGORII Papæ VII. 2) Regiminis mutationes in Eccleſia p. 405. 3) Scripta irenica, quorum multa iam pridem Io. *Duraus* publici iuris fecit. p. 572. 4) Colloquium lipſienſe A. 1631. p. 597. 4) Sententias theologorum gallorum, anglorum &c. de pace eccleſiaſtica inter Euangelicos procuranda, in Conventu Ordinum Francofurti a Io. *Durao* productas. p. 617. Confer Prolegomenorum paginam, ut ego quidem notavi, 19. In Dedicatione & Præfatione id agit auctor, ut ſuadeat pacem & concordiam eccleſiaſticam; Præfationi autem ſubiungit Teſtimonia quorundam auctorum de conſenſu Patrum, videlicet *Irenai, Tertulliani, Vincentii* lirinenſis, *Anglicana eccleſia*, Phil. *Melanchthonis*, Petri Martyris (*Vermilii*,) *Caſſandri, Gallaſii, Eraſmi, Sculteti, Caſauboni, Grotii*, Ger. Io. *Voſſii, Salmaſii, Riveti*, G. *Calixti*, & Gisb. *Voetii*. Hæc eſt illa Hiſtoria, quam excel-

excellentiſſimus *Boineburgius*, quando a ſereniſſima Domo Palatino-neuburgica legatus miſſus ad Comitia Regni Poloniæ varſovica, & Noribergam pertranſiens, bibliothecam noſtram perluſtrabat, parenti meo, hic autem poſtea Sev. Walt. *Slutero*, iter germanico-belgicum mecum aggreſſuro, commendavit. Et ſane merito commendanda eſt, quia eius ſcopus eſt, non tantum veritatem geſtorum proponere, ſed etiam moderationem, & concordiam lectorum animis offerre, laudare, & quaſi implantare. Atque hinc ſimilia eius encomia apud alios virtute ac eruditione præſtantes viros leguntur, ut, *Sluterum* Propyl. hiſt. eccleſ. 31. *Sagittarium* Introd. in Hiſt. eccl. 347. Guid. *Patinum* in Epp. Brantii 264. F. V. *Calixtum* Via ad pacem 340. *Schurzfleiſchium* Epp. ſelect. p. 53. Chriſtian. *Thomaſium* Cautel. circa præcogn. Iurisprud. eccleſ. 28. *Maſtrichtium* Catal. biblioth. ſuæ 609. & *Clarmundum* Introduct. ad notit. hiſtor. 225.

CIV.

Friderici SPANHEMII Brevis Introductio ad Hiſtoriam ſacram utriusque teſtamenti, ac præcipue chriſtianam. Francofurti & Lipſiæ 1698. Nata ex tribus aliis editionibus: prima enim, ſub titulo Introductionis ad hiſtoriam & antiquitates, inſcio prodiit auctore Lugduni Batavorum A. 1674. altera emendatior & auctior ibidem A. 1683. tertia, inſcripta Summa hiſtoriæ eccleſiaſticæ, A. 1689. Et hanc excepit Brevis introductio, ibidem 1694. eademque fere nova & purgatiſſima; ſecundum quam & noſtra eſt facta. Accedunt duæ Orationes noviſſimæ, una de chriſtianiſmo degenere, altera de corruptis emendandisque ſtudiis. Præfatio eſt parænetica, pro commendando ſtudio antiquitatis eccleſiaſticæ: commendat autem eam a dignitate, utilitate, & ſuavitate. Et hiſtoriam chriſtianam deducit uſque ad annum 1518. Utiliſſimum hunc librum fore, ſi auctior compariturus ſit, vaticinatus eſt *Morhofius* Polyhiſt. T. III. lib. IV. p. 36. Et illuſtris *Thomaſius*, qui perfectiorem eius editionem vidit, eundem commendat, & cum fructu legi poſſe iudicat in Cautelis circa præcognita Iurisprud. eccleſiaſt. p. 31. Neque diſſentit *Tenzelius* in Colloquiis menſtruis, A. 1690. 55. hoc tamen addens, non tam facere pro tironibus, quam pro exercitatos in theologia ſenſus habentibus, quia auctor

 hic

hic & illic hypotheſes in cauſa ſacramentali & prædeſtinatione immiſceat, quæ non ab omnibus approbentur; neque etiam ei fidendum in hiſtoria rituum, quia illos vel pro novis venditet, vel plane reiiciat, cum tamen bene ſtare poſſent; methodum quoque ſive rationem proponendi hiſtorias non per omnia eſſe adprobandam, ob nimiam ſectionem in particulas; denique omiſſa ſæpe eſſe loca & ſcripta illorum, quos excitet laudetque, auctorum. Cui adde clariſſimos Collectores *Actorum eruditorum* A. 1683. 422. & A. 1688. 272.

Pag. 369. *Occaſio reſtituti Iuris romani fuit* Pandectarum opus, repertum in Apulia, ſub LOTHARIO II. Saxone.

Seculo quidem chriſtiano duodecimo reſuſcitatum eſt in Italia Ius Iuſtinianeum, ſive Tribonianum; *ſed neſcio equidem, quo pacto.* Georg. *Calixtus* Theol. moral. p. 111.

Frid. *Spanhemius*, genevenſis, Friderici filius, præcocibus ingeniis adnumerandus, fratris Ezechielis æmulus, *Heereberdii*, *Coccеii*, *Gelii*, *Triglandii* & *Heidani* diſcipulus, doctiſſimis & efficaciſſimis concionibus, ad quas ei Claſſis amſtelodamenſis, prævio examine, aditum conceſſit, inſignem totius auditorii adplauſum meruit atque retinuit, donec ſereniſſimus Elector Palatinus ad Rhenum iuvenem 23. annorum ad profeſſionem academiæ heidelbergenſis theologicam vocaret, quam, ſumtis prius honoribus doctoralibus, & voce, & ſcriptis, & induſtria ita ornavit, ut omnibus eſſet admirationi, & fama eius longe lateque diffunderetur. Hinc factum, ut ab aliquot Magiſtratibus exteris ad commutandam ſpartam ſolicitaretur; quibus ille tamen modeſte reſtitit uſque ad annum 1670. quo ab illuſtriſſimis Hollandiæ Ordinibus expugnari ſe paſſus eſt, ut Leydam concederet, & munere ibi profeſſionis theologicæ fungeretur. Quo tamen onere multis ante obitum annis, ut eo commodius libris ſcribendis operam poſſet dare, benigniſſime ſublevatus fuit: probe enim ſciebant Patroni ſapientiſſimi, latius doceri poſſe calamo, quam ore, maioremque academiæ claritatem vel ex unico bono & elaborato opere accedere, quam ex centum nugacibus & obſcuris lectionibus. Tandem vero laborum & vitæ finem fecit anno 1701. cum in terris am-

ambulaſſet annos fere 70. mortuoque parentavit *Iac. Triglandius*; quæ oratio alteri Operum Spanhemii tomo præfixa: omnia enim eius opera, tribus voluminibus comprehenſa, Lugduni Batavorum edita ſunt anno 1703. quamvis initium huius editionis ab ipſo vivente factum ſit anno 1701. Vide *Tenzelii* Curioſam bibliothecam A. 1704. clariſſimum *Eckhartum* Extract. menſtr. A. 1700. p. 825. & A. 1701. m. Octob. p. 101. atque *Acta eruditorum* A. 1701. 325. & A. 1704. 241. Adverſarios nactus eſt Ioannem *van der Wayen*, *Carteſianos*, & *Cocceianos*, ſicut ipſe in ſcriptis oppugnavit *Baronium*, *Allatium*, *Maimburgium*, Natalem *Alexandrum*, & alios. *Benthemius* de ſtatu eccleſiar. & ſcholar. in Hollandia P. II. 82. 400. qui teſtatur, magni eum ob ſummam eruditionem æſtimatum fuiſſe apud Britannos, magis autem æſtimandum ob pacis & concordiæ inter Proteſtantes faciendæ, quo totus arſerit, votum ac ſtudium.

Io. Amos COMENII Hiſtoria Fratrum Bohemorum, qua eorum ordo & diſciplina eccleſiaſtica deſcribitur. Cum non nullis aliis. Halæ 1702. Et illa quidem ſunt, 1) eorum Ordo & diſciplina eccleſiaſtica, ad eccleſiæ recte conſtituendæ exemplar. 2) Eccleſiæ bohemicæ ad Eccleſias, nominatim anglicanam, de optima eccleſiaſtici regiminis forma pie ſolicitam, Parænefis. 3) *Comenii* Panegerſia, ſive Excitatorium univerſale, ad cuiusvis ordinis & loci in Europa viros, quo ſalubria ſuppeditantur conſilia, quomodo communis rerum humanarum emendatio ſuſcipi atque fieri poſſit, ex Opere eius, ut vocat, panſophico, nec dum edito, depromtum. 4) D. *Io. Fran. Buddei* Præfatio, pia ſane & gravis, de inſtauranda diſciplina eccleſiaſtica. Omnia hæc ſcripta eo tendunt, ut perſuadeatur, chriſtianiſmum non abſolvi puritate doctrinæ, ſed etiam poſtulare pietatem & integritatem vitæ. Atque in hoc nobis exemplo ſuo præeunt Fratres bohemi, de quibus eorumque eccleſiis Comenius, teſte *Buddeo* in Præfat. p. 23. nihil ſcripſit, quod nec veritati conſentaneum ſit, nec alii quoque luculenti ſcriptores ſuo calculo comprobent. *Lutherus* certe faſſus eſt, *non ſurrexiſſe a temporibus Apoſtolorum homines, quorum eccleſia propius acceſſiſſet ad doctrinam & ritus apoſtolicos, atque Fratres bohemos.* Et Ioachimus *Camerarius*, vir integerrimus veroque Dei timore præditus, cuius exſtat Hiſtorica narratio de Fratrum orthodoxorum eccleſiis in Bohemia, Moravia & Polonia, hæc de iis recitat: *Sana qui atq*

tendere

tendere animum voluerint, faterique verum, ii negare non poterunt, quin apud eos Chriſti eccleſia non ſolum in veritate & re ipſa, ſed manifeſta etiam ſp-cie retenta, adminiſtrataque & geſta ſit; ut eos reprehendentes vix effugere invidia & obtrectationum ſuſpicionem poſſe videantur: cum ipſi quidem Fratres in nullorum ex ipſis res rationesque curioſe inquirant, nullorum inſtituta obſervationesque damnent, aut vituperent, ac potius omnes, quos norunt veritatem doctrina cœleſtis profiteri, & ſacrarum litterarum ſtudia colere, & propagare religionis pietatisque ſanctitatem, & errores impietatis ac ſuperſtitionum odiſſe & repudiare, non diligant ſolum, ſed etiam in honore habeant. Nulla enim reperietur apud ipſos ambitio, neque principatus appetentia: nulla inter eos rixa, altercatio, contentio, ad alios malevolentia, inſectatio, iurgium. In illis nullus eſt animorum exultantium inſcitus ardor, ad ceteros nihil acerbitatis aſperitatisque. Non apparent ne veſtigia quidem avaritiæ, cupiditatis, libidinis. Non quæſtus fiunt aut lucra fœnerando, aut ullo cum emolumento alterius incommodum complectendo. Summa & eximia eſt ſincera caritatis affectio omnium erga omnes, deſidia & otio inerti atque ignavo locus prorſus non eſt: officia præſtant, quacunque & quibuscunque poſſunt. Nullam in ſuo cœtu diſcordiam ſerpere patiuntur, & efferentem ſtatim reprimunt & opprimunt. Aliorum iniurias & vim fortiſſimis animis tolerant: neque reſiſtendo, nedum vindicando, ira, indignationisve ſignificationes nullæ ab eis dantur. Hiſce recitatis exclamat *Buddeus*, nec male: *Quam procul ab iſta vera Chriſti eccleſia imagine noſtri diſtant mores!* Et tamen boni illi Fratres, religioſi illi Ieſu Chriſti cultores, atque imitatores, paſſim eiecti atque expulſi ſunt, & in triſte miſſi exilium, tanquam indigni, qui inter Chriſtianos viverent.

Io. Amos *Comenius*, moravus, primum ſcholis, dæinde eccleſiæ Fratrum bohemorum docendæ, cuius appellatur *epiſcopus* more inter ipſos conſueto, id eſt, presbyter ſive paſtor, operam dedit, donec expellerentur, & in Bohemiam fugere teneretur. Vbi quidem ſedem invenit apud Baronem Georgium *Sad-vvski* de Slaupna; ſed, ingruente mox perſecutione Proteſtantium, hinc etiam ſe proripere conſtrictus eſt. Abiit igitur Pleſnam in Poloniam, & labores ſcholaſticos repetiit, ea quidem celebritate, ut & Sueci & Tranſilvaniæ Princeps ad recte conſtituendas ſcholas ſuas eum vocarent, nec infeliciter conſiliis eius uterentur. Sed Pleſnam ex itineribus reverſus non diu quiete frui poterat: capta e-

nim

nim a Polonis & concremata urbe, incendioque abſumtis MSStis præter Panſophiam & Explicationem Apocalypſeos Ioannis omnibus, ſicut & in direptione urbis moravicæ Fulneci totam bibliothecam cum multis MSStis perdiderat, (ſic enim Deus affligere ſolet eos, quos amat) per Sileſiam, territorium Brandenburgicum & Hamburgum, Amſtelodamum uſque protruſus eſt, ubi poſt pugnas cum Valeriano *Magno*, *Zvvickero*, *Mareſio*, & Nicol. *Arnoldo* habitas, eo abiit, ubi nulla eſt afflictio, nulla calamitas, exilium nullum; idque contigit anno Chriſti 1671. quum ætatem ad annum prope octogeſimum provexiſſet. Inter ſcripta eius, quorum didactica uno volumine in folio Amſtelodami A. 1657. prodiere, ſunt decantatiſſima Ianua linguarum, Phyſica ad lumen divinum reformata, Vnum neceſſarium. Stilo uſus eſt non quidem elegantiſſimo, ſic tamen ſatis tolerabili, atque a *Buddeo* in Præfat. dicitur ſatis notus eſſe omnibus & ob pietatem & ob eruditionem excellentem, ſperatque præclarus vir, ſibi occaſionem alibi oblatum iri de eo ex inſtituto commentandi, & abſtergendi maculas, quæ vulgo ei adſperguntur. *Witte* Diar. biograph. Gggg 4. *Lexicon univ. hiſtor.* T. I. 703. *Arnold* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. III. 200. auctor *Præfat.* in Comenii Conſultationem catholicam (a) 2. *Mareſius* apud Crenium Animadverſ. P. IV. 89. *Crenius* Methodorum Tomo II. 452. *Placcius* de Anonymis p. 563. *Buddeus* Introduct. ad H. P. E. 245. *Leibnitius* in Felleri Monumentis litterar. ineditis p. 112. & auctor *Bibliotheca nova*, Tomo IX. 839.

CV.

Pauli SARPII Hiſtoria concilii tridentini. Lipſiæ 1699. Anteá ſæpius edita, nunquam tamen ab ipſo Sarpio, videlicet Londini 1621. Francofurti 1621. Genevæ ſub nomine di Pietro *Soave* Polano, per anagramma, Paolo Sarpio Veneto, 1629. Gorichomii 1658. & ab Elzeviriis. Marcus Anton. *de Dominis* primus eam vulgavit italice, Adamus autem *Neutonus* latine reddidit. Translata quoque eſt in germanicam linguam, itemque in gallicam, primum quidem a Io. *Deodato*, ſed melius ab *Amelotio* de la Houſſaye, qui ſub nomine de la Mothe Ioſſeval ſe ſe occultare ſtuduit. Et in noſtra quidem editione, quæ accepta referenda eſt Frid. Benedicto *Carpzovio*, quippe qui typographo non tantum conſilio, ſed

& ope atque ſumtibus adfuit, præmittuntur 1) *Newtoni* Præfatio, in qua ait auctorem omnes hiſtoriæ conſcribendæ numeros adimpleviſſe, abſtruſa autem iſta & recondita debere Epiſcopo *Fabrianenſi*, Cardinali *Montano*, Epiſcopo *vintimiglienſi*, Cardinali *Amulio*, & Cardinalis Mantuani ſecretario, quo familiariter utebatur, Camillo *Olivo*, Deique providentiæ adſcribendum, quod aureus hic partus, qui Romæ non poterat non invifus atque ingratus eſſe, & de quo parens abiiciendo aut perimendo cogitavit, ſervatus, maximique Regum cura atque auſpiciis in lucem productus ſit. 2) Edmundi *Campiani* Encomium Synodi tridentinæ. 3) Andreæ *Duditbii* Epiſtola ad MAXIMILIANVM II. Cæſarem, in qua cauſam refert, cur petitiones calicis laicis concedendi, & ſacerdotum coniugii fuerint vanæ atque inauditæ, nimirum, numeratas in Concilio illo, non ſuis monumentis ponderatas eſſe ſententias: ſingulis ſuorum centenos de ſuis Papam potuiſſe opponere: nil habuiſſe cum illo conventu S. Spiritum commercii: omnia fuiſſe humana conſilia, quæ in immodica & pudenda Pontificum dominatione conſumta: ratum potuiſſe nihil eſſe, quod Epiſcopi, tanquam plebs, ſciſcerent, niſi Papa auctor fieret. 4) Vita auctoris, a Patre *Fulgentio* conſcripta: id quod revelatur a *Scavenio* Catal. n. 39. *Placcio* P. I. 651. & *Morhofio* Polyhiſt. T. I. 240. Subiunguntur autem ipſius Concilii tridentini Canones & decreta, cum pontificiis Bullis ad id ſpectantibus.

Lib. II. p. 256. Theologorum pars maior contra differebat, verſionem vulgatam *pro divina authenticaque* in omnibus ſuis partibus neceſſario habendam -- poteſtate vero unicuique facta in eam inquirendi, utrum proba ſit, nec ne, vel *cum aliis interpretibus eam comparando,* vel *contextu Hebræo & Græco conſultis*, tum novos hoſce Grammaticaſtros omnia interturbaturos.

Non tamen propterea reiectus eſt vel textus hebræus, vel LXX. interpretum verſio, vel aliæ verſiones. Rich. *Simon* Hiſt. crit. V. T. lib. II. c. 14. p. 266. & F. Andr. *Vegius* in ipſius Sarpii libro p. 259.

Paulus

Paulus *Sarpius*, venetus, ordinis Servitarum, non minus felicis, quam præcocis fuit ingenii: unde factum, ut anno ætatis viceſimo dignus habitus ſit, qui ſuorum nomine in Synodo Servitarum generali mantuana legatus adſideret. Idem divinarum humanarumque rerum ſcita 318. illuſtriora difficilioraque publico ibidem examini propoſuit, tantamque ſibi hoc exercitio, ac prudentia in Synodo oſtenſa, gloriam & admirationem apud omnes peperit, ut ſereniſſimus Mantuæ Dux, rectus ingeniorum æſtimator, eum ſecum habere voluerit, & collato Theologi ducalis mantuani titulo, Lectorem canonum ſacrorum, caſuumque conſcientiæ conſtituerit. Quam provinciam tam dextre geſſit, & tanta eruditionis fama vixit, ut diu, poſtquam diſceſſerat, vulgo prædicaretur, *Non venirà mai più un Frà Paolo*, i. e. Fratri Paulo qui comparari poſſit, non erit unquam. Quamvis autem magna iam eruditione præditus eſſet, tanto tamen cum ardore ſtudiis omni tempore dedit operam, quaſi eorum initium facere deberet. Atque hinc factum, ut Theologiam, Ius civile & canonicum, medicinam, chemiam, anatomiam, mathematicas diſciplinas omnes, mechanica, herbas, plantas, mineralia, univerſam philoſophiam, linguas eruditorum, hiſtorias, omnium gentium politias, & quidquid ubique ſcitu eſſet dignum, perdidicerit, & penitus cognoverit. Tanto eruditionis theſauro inſtructus, immo abundans, ſumma cum laude creari potuit doctor theologiæ. Atque hic vir πολυμαθέστατος is ipſe eſt, qui primus invenit venarum valvulas & motum ſanguinis circularem, quem doctiſſimus *Harvæus*, ab Hieronymo *Fabricio*, cui ille arcanum aperuerat, edoctus, poſtea uberius & accuratius indagavit, ac pro libertate provinciæ ſuæ divulgavit. Sed nec ingratus erga eius merita fuit venerabilis Servitarum ordo, conſtituens eum curatorem non tantum provincialem, ſed poſt aliquod tempus etiam generalem; cumque ſereniſſima Venetorum Reſp. in contentione, ipſam inter & PAVLVM V. papam orta, opus haberet præſtanti theologo, qui pro iure legum ſuarum, quas Pontifex immunitati eccleſiaſticæ contrarias eſſe, & Sedis apoſtolicæ dignitatem libertatemque imminuere cauſabatur, dimicare valeret, digniorem quam Fratrem *Paulum* nuſquam reperire ſibi viſa eſt. Hunc igitur conſtituit conſiliarium ſuum eccleſiaſticum, cum titulo Theologi & Canoniſtæ Reipublicæ. Quan-

tum autem is commodi attulit patriæ ſuæ, cum conſiliis, tum ſcriptis, (quæ ſunt, Trattato dell' Interdetto della Santità di Papa PAOLO V. Conſiderationi ſopra le cenſure della Santità di Papa PAOLO V. contro la sereniſſima Rep. di Venetia: Trattato e riſſoluzzione di Gio. *Gerſone* ſopra la validità delle ſcommmuniche: Apologia per le oppoſitioni fatte dell' Illuſtriſſ. e reverendiſſ. Card. *Bellarmino* in materia della validità di ſcommuniche: Diſcorſo dell' origine, forma, leggi ed uſo dell' Officio nell' Inquiſitione della Città di Venetia: Hiſtoria delle conteſe frà la Santità di Papa PAOLO V. e lo Stato veneto: Informatione particolare dell' accommodamento: Confirmatione delle Conſiderationi contro le oppoſitioni del R. P. M. Gio. Ant. *Bovio*: & liber de iure aſylorum) tantum odii reportavit ab Aula romana: immo & ab illa citatus fuit ad dicendam cauſſam. Quamvis vero non compareret, iras tamen, & machinationes, atque inſidias, quæ vitæ ſuæ ſtruebantur, evitare non potuit: nam in urbe patria, quæ libertatis ſedes eſt, circa veſperem aliquando ad monaſterium retrogredientem V. ſicarii adſultantes ferro invaſerunt, duobus in collo inflictis vulneribus, tertioque per aurem dextram & maxillam ſuperiorem iuxta naſum adacto. At quid ſaucius religioſus noſter? In monaſterium illatus extractum e vulnere ferale ferrum, manibusque ſuis contrectatum, & oculis perluſtratum, Crucifixo appendi iuſſit, cum inſcriptione: FILIO DEI LIBERATORI. Neque tamen poſtea inſidiæ ceſſarunt, ſed variis ſunt modis, quamquam irrito eventu, tentatæ. Interim quum odia nullis modis leniri Romæ, multo minus exſtingui poſſent, & *Gregorius* XV. Reip. Legato adſeverare non dubitaret, fruſtra pacem concordiamque ſperari, ni *Paulum* dignitate auctoritateque exutum amoliantur deturbentque Veneti, tempori & infortunio ſerviendum eſſe ratus, peregre abire conſtituit, ſolumque vertere. Dum vero conquirit reculas, paratque profectioni neceſſaria, Deus aliter diſponit, morboque correptum, & mente ac memoria pollentem pia placidaque donat analyſi anno Chriſti 1623. cum bonus vir annos vixiſſet 71. In Epitaphio, quod illuſtriſſimus Io. Ant. *Venerius*, patricius venetus, eleganti ſtilo condidit, celebratur theologus ita prudens, integer, ſapiens, ut maiorem nec humanorum, nec divinorum ſcientiam, nec integriorem & ſanctiorem

vi-

vitam deſiderares: intelligentia per cuncta permeante, ſapientia affectibus dominante præditus: nulla unquam cupiditate commotus, nulla animi ægritudine turbatus: ſemper conſtans, moderatus, perfectus, verum innocentiæ exemplar, Deo mira pietate, religione, continentia addictus. Vide *Fulgentium* in Vita Pauli, *Placcium* de pſeudon. 514. *Magirum* 749. *Pope-Blount* 864. *Thuanum* lib. 137. in fine, Georg. *Calixtum* diſp. de Autoritate S. Scripturæ & numero libror. canonicor. P. II. §. 100. abbatem *Schmidium* in Continuat. Introduct. Sagittar. in Hiſtor. eccl. p. 1435. *Boſium* de Compar. prudent. civ. §. 67. *Ancillon*. P. II. 287. *Whear*. Relect. hiſtor. 170. *Critopulum* in Cenſura Eclogar. Mayeri 61. *Menagiana* T. IV. 7. *Conringiana* p. 28. 192. *Chevraana* 16. & *Bibliothecarium* nulli parti addictum p. 299. Hiſtoriam tamen Sarpii impugnarunt Ter. *Alciatus*, Tarq. *Gallutius*, Scipio *Henrici*, Sfortia *Pallavicinus*, Phil. *Quorlius*, qui prius latitaverat anagrammatico ſub nomine *Porphilii Quplii*, Io. *Stozius*, & Natal. *Alexander*; ſed nec caruit defenſoribus ſuis, inter quos non ultimus eſt Petrus *Iurieu*. Illuſtris auctor *Delineationis* (des Abriſſes) eccleſiæ catholicæ p. 731. & 771. æque, ac litteratiſſimus *Du Pin* Tomo XV. & XIX. 216. Bibliothecæ eccleſiaſticæ, ſic de Sarpio & Pallavicino iudicat, ut fateatur, ſicut ille contra Sedem romanam multa coacervare laboravit, cetera neceſſariis ad tantum opus adminiculis ſatis inſtructus, eoque dicendi genere uſus, quod coloribus, argutiis, obſcuris reſervationibus, & maledicentia caret, ita hunc nimiam erga illam Sedem propenſionem præ ſe tuliſſe.

CVI.

Iſtoria del Concilio di Trento, ſcritta dal Padre Sforza PALLAVICINO, Sfortiæ *Pallavicini* Hiſtoria Concilii tridentini. Mediolani 1717. Volumina III. Hæc eſt nitidiſſima illa, atque optima editio, cuius mentionem fecimus in Parte II. Hiſtoriæ noſtræ bibliothecariæ p. 353. quæque recenſetur nel *Giornale* de Letterati d'Italia, Tomo XXIX. 374. Præmiſſæ ſunt duæ Præfationes, tam vetus, quam nova, in quibus auctor de inſtituto ſuo diſſerit. Vide *Conringiana* p. 68. 254. *Sagittariana* Introduct. in Hiſt. eccleſiaſt. Tomum II. in Continuatione, quam celeberrimus adornavit abbas *Schmidius*, p. 1436.

CVII.

Iac. MEHRNINGII S. baptiſmi Hiſtoria. Germanice. Tremoniæ 1646. Diviſum eſt opus in duas Partes, quarum prima loci N. Tti de baptiſmo, eiusque inſtitutione ex mente eorum, qui pædobaptiſmum & adſperſionem improbant, explicantur: ſecunda Chriſtianos paulatim ab illa norma receſſiſſe, neque tamen defuiſſe, qui veterem ritum ſequerentur, veterum ac recentiorum a primo poſt natum Chriſtum ſæculo uſque ad XVII. oſtenditur, certe oſtendi laboratur. Io. MONTANVS eam deſcripſit ſermone belgico cum nudis allegatis; ex eius vero ſchedis, aliorumque auctorum ſcriptis amplificavit, & in teutonicam transtulit linguam *Mehrningius*. Pag. 180. meminit auctor doctoris alicuius catholici, qui ſcripſerit Obſervationes eccleſiaſticas de antiquis baptiſmi ritibus ac cærimoniis: hic autem eſt Ioſ. *Vicecomes*; quem ipſe etiam auctor nominat p. 191. & pluribus aliis locis. In pag. 466. recitatur hiſtoria a *Victore* uticenſi de Elpidophoro, apoſtata, cui oſtenderit Muritta, qui eum baptizaverat, lineam quam a baptiſmo geſtaverat veſtem. Ex hac *Strigenitius* in der Chriſtburde p. 82. facit induſiolum lineum, cui hodie infantes baptizati involvuntur, quodque germanice vocamus *Weſterhemd*.

Thomas III. Sum. qu. 61. art. 8. Latini baptizant ſub hac forma: Ego te baptizo in nomine P. F. & Sp. Sancti: Græci autem ſub iſta: *Baptizetur* (werde getauffet) ſervus Chriſti N. in nomine P. F. & Sp. S. *Baptizatur*, wird getauffet. *Cyrillus* in Epp. præſtant. viror. 361. *Smith* Epiſt. de Eccleſiæ gr. ſtatu hodierno 105. *Tollius* Inſign. itiner. italici 173.

Io. *Montanus* ex Miniſtro belgico reformato factus anabaptiſta, ſive, ut Io. Henr. *Ottius* in Annalib. anabapt. p. 320. tradit, ἀθέτερος, vixit ſæculo XVII.

Iac. *Mehrning*, holſatus, divinæ veritatis, ut ipſe ſe vocat, ſtudioſus, non eſt Chriſtoph. *Raſelius*, quippe quem ipſe excitat p. 1067. incidit autem in duos adverſarios, qui ſunt Io. Henr. *Ottius*, & Iodocus *Edzardi*, quorum ille errores eius hiſtoricos in Annalib. anabapt. paſſim notavit, hic non nulla ei regeſſit im

Geiſt-

Geiſtlichen badetuch, prout diligentiſſimus obſervat *Mollerus* Iſag. ad hiſtor. cimbr. P. II. 114. 115. Cui adde *Sagittarium* Introd. in hiſt. eccleſ. p. 829.

CIIX.

Io. STELLAE Vitæ CCXXX. ſummorum Pontificum. Baſileæ 1507. A S. Petro uſque ad Iulium II. Impreſſus eſt liber etiam Coloniæ A. 1535. & A. 1650. in eoque lit. E ij. de IOANNE IIX. dicitur, tradi, fuiſſe feminam, ac peperiſſe in proceſſione inter Coloſſeum & S. Clementis ædem, & G iiij. ALEXANDRVM VI. ad ianuas templi S. Marci in urbe Venetorum, Imperatoris FRIDERICI Barbaroſſæ collum pede compreſſiſſe, adiectis his verbis: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

H iij. Gregorius X. ad Lugdunum Galliarum urbem pro celebrando Concilio ſe contulit. Ad quod *Pelagius* Græcorum Imperator profectus, iam tertia decima vice cum Romana eccleſia unionem fecit.

Imperator *Michaël Palaeologus Comnenus Legatos eo miſit.* Seth. *Calviſius* Chronol. 866. *Petavius* Rationar. temp. 486.

Io. *Stella*, venetus, ædis S. Mariæ formoſæ ſacerdos, veteri ac ſimplici uſus ſtilo, Deum quidem teſtatur, ſe non falſa propoſuiſſe, fateturque, ſe de induſtria plura prætermiſiſſe, pericula undique præcaventem, maxime in noviſſimis temporibus geſta, quæ ſine quorundam nota ſcribi non potuiſſent; ſed *Whartonus* Append. ad Cavii Hiſtor. literar. p. 134. hoc ita interpretatur, eum noviſſimis Pontificibus, Alexandro VI. & Iulio II. omnium peſſimis turpiſſime adblandiri. Vixit A. 1505. ediditque Venetiis A. 1503. Libellum auguſtalem, ſive deſcriptionem Imperatorum romanorum ad ſua uſque tempora. *Wharton* l. c. p. 133. *Olearius* Biblioth. Scriptor. eccleſ. T. II. 174. & *Boſius* de Compar. prudentia civili §. 65. quorum hic teſtatur, eum non omnino male Pontificum vitas ſcripſiſſe.

Petri AVREOLI Tractatus de conceptione Mariæ virginis. Sine expreſſione loci & anni. Videtur autem prodiiſſe Tholoſæ A. 1514.

A. 1514. Et abſolvitur VI. capitibus: quorum primo auctoritates Scripturæ canonicæ & SS. Patrum producuntur, quæ videntur inferre, B. Mariam virginem conceptam eſſe in peccato originali; ſecundo ponuntur diſtinctiones de conceptione ex peccato originali; tertio probatur, Deum potentia abſoluta virginem, ne contraheret originale peccatum, potuiſſe præſervare; quarto, eundem ſumma decentia, & potentia ordinata potuiſſe eam præſervare; quinto, absque periculo fidei erroris poſſe ſtatui, quod Deus eam præſervaverit de facto; ſexto auctoritates & rationes, primo capite adductæ, ſolvuntur. Librum hunc ſcripſit auctor, ut in fine eius legimus, A. C. 1338.

Petrus *Aureolus*, ſive *Oriol*, natus Verberiæ ad Oeſiam flumen in Picardia, ordinis Minorum, S. theol. doctor, eamque profeſſus Lutetiæ Pariſiorum, dictus Doctor facundus, ad archiepiſcopatum aquenſem A. 1321. promotus, ſcripſit Commentaria in IV. libros Sententiarum, Quodlibeta varia & Breviarium Bibliorum, ſive Epitomen univerſæ S. Scripturæ, iuxta litteralem ſenſum, mortalitatemque exuit poſt annum 1345. die 27. Aprilis. *Wharton* Append. ad Hiſtor. litterar. Cavii p. 15. *Bellarminus* de Scriptor. eccleſ. p. 215. *Labbe* T. II. 183. *Olearius* T. II. 74.

IACOBI *de Erfordia* Tractatus de erroribus & moribus Chriſtianorum. Lubecæ 1488. Scriptus A. 1452. Cum Tractatulo de difficultate ſalvandorum. Vterque eſt lectu utiliſſimus, dignusque, qui iteratis typis in lucem exeat; & in illo quidem graviter auctor taxat vitia hominum, cuiuscunque ſint conditionis, etiam prælatorum, ſacerdotum, monachorum.

Iacobus, S. theol. D. ordinis carthuſienſis in Erfordia, vir venerabilis & egregius, præco iuſtitiæ, & promotor honeſti, floruit medio ſæculi XV.

CIX.

PROFESSORVM VNIVERSITATIS IVLIAE Hiſtorica narratio de illius introductione. Helmſtadii 1579. Liber ex Bibliotheca Conr. *Rittershuſii*, qui ſuum ei nomen inſcripſit, pervenit ad D. Iac. *Schopperum*, & ab huius nepote mihi fuit legatus. Contenta eius hæc ſunt: 1) Præfatio, qua oſtenditur, non poſſe ſatis laudari, qui chriſtianas ſcholas aperiant, vel collapſas inſtau-

inſtaurent. 2) Hiſtorica narratio de introductione ſcholæ Iuliæ, cui inſerta ſunt ſequentia: (a) IVLII Ducis Brunſvic. ac Luneb. Programma, denuncians diem promulgationis. (b) Oratio D. Timothei *Kirchneri*, (*) qua ſereniſſimus Princeps Iulius in via ante oppidum Helmſtadium exceptus eſt. (c) Reſponſio D. Ioachimi *Mynſingeri* a Frondeck, nomine Principis. (d) Oratio eiusdem *Mynſingeri* duabus partibus conſtans, quarum prior Privilegiorum promulgationem continet, cui eorundem exemplum ſubiectum eſt; altera renunciationem primi Rectoris, & traditionem purpureæ epomidis, privilegiorum, Bibliorum & Corporis doctrinæ, ſceptrorum, ſtatutorum, clavium, ſigillorum. (e) Oratiuncula magnificentiſſimi Rectoris, HENRICI IVLII, poſtulati Epiſcopi halberſtadienſis, Ducis brunſv. & luneb. quo poſtulatur a Decano relaxatio examinis publici. 3) Concio D. Mart. *Chemnitii*, (cui, teſte *Rehtmeyero* Hiſt. eccleſ. brunſv. P. III. 422. Hiſtorica hæc narratio cenſenda fuit tranſmiſſa) in Lucæ 6, 12-16. qua integra traditur hiſtoria ſcholaſtica ex V. & N. T. præcipuisque hiſtoriis eccleſiaſticis. 4) Oratio HENRICI IVLII de officio Magiſtratus ſcholaſtici & ſubditorum. Habita in auditorio academico. 5) Oratio Timothei *Kirchneri* de beneficiis per Principem IVLIVM huic Ducatui collatis. 6) Oratio M. Oueni *Guntheri*, Decani philoſophici, habita in promotione Magiſtrorum. 7) Quæſtio in promotione propoſita de dicto Pſalmi XXVII, 4. *Vnum petii a Domino -- in templo eius*: & ad eam Reſponſio D. Timothei *Kirchneri*, vicerectoris. 8) Gratiarum actio, recitata a M. Heimberto *Oppechino*. 9) Carmen Religionis, Iuſtitiæ, & Muſarum Iuliarum in prandio magiſteriali pronunciatum, auctore Pancratio *Crugerio*. 10) Catalogus Principum, Comitum, Baronum, Prælatorum, Nobilium, Doctorum, & aliorum ex præcipuis, qui illuſtriſſimo Fundatori in Introductione præſto fuerunt. Ex hac autem Relatione diſcimus, Legatos Ducis IVLII præ aliis ex 3. diverſis locis apud auguſtiſſimum Imp. MAXIMILIANVM II. impetraſſe gratiam erigendæ academiæ: Magiſtratum brunſvicenſem ad hanc Introductionem certis de cauſſis non fuiſſe invitatum: pædagogium gandersheimenſe Helmſtadium translatum, atque in Academiam eſſe converſum: communem menſam pro

(*) De quo diximus P. I. 464.

144. ſtudioſis inſtitutam: domum Vniverſitatis ſive Collegium eo in loco ædificatum, ubi Abbas cœnobii Mariæ vallenſis ſpacioſas & amplas ædes habuerat: ſcholaſticorum numerum initio in magnam frequentiam excreviſſe: HENRICVM IVLIVM Epiſcopum & Ducem, ab ipſo ſacratiſſimo Imperatore ſingulari quodam conſilio motuque proprio deſignatum primum Academiæ Iuliæ rectorem: IVLIVM, in proceſſione, Mynſingero, quaſi Cæſaris vices gerenti, locum tribuiſſe honoratiorem, (ſicut eundem in templo dicturum ad cathedram deduxit) ac poſtea etiam filio ſuo, creato academiæ Rectori magnificentiſſimo, cum ab æde ſacra equitarent ad Collegium; tunc enim ille in medio ivit, ad dextram habens Mynſingerum, ad ſiniſtram parentem IVLIVM: nobiles ſtudioſos in proceſſione proximos fuiſſe a Profeſſoribus, eosque modeſte ſecutos reliquos: Magiſtros etiam Philoſophiæ doctores vocari cum in Privilegiis cæſareis huius academiæ, tum a Duce HENRICO IVLIO: nomen *Helmſtedt* derivari ſive a galea, ſive a viridantis Elmi nemore propinquo: ſalutem ſcholarum ſitam eſſe in hiſce duobus, videlicet in doctrina ac diligentia præceptorum & ſtudioſorum, ac bona, honeſta, ſeveraque diſciplina: Scholas ſeu academias non eſſe humanorum ingeniorum, & mortalium ſapientiæ, ſed divinæ & ſapientiſſimæ Maieſtatis inventum, ac proinde eſſe debere ſedes pietatis, & arces omnium honeſtarum diſciplinarum; loca, in quibus viva ſeminaria plantari quotidie poſſint, & in eccleſiis & in politia adprime neceſſaria, ut ſic religio & iuſtitia, velut duo præcipua rerum publicarum bene conſtitutarum fulcimenta, ſe ſe invicem oſculari poſſint; cuſtodes ac bibliothecas incorruptæ veritatis, ſedulasque cultrices ac propagatrices honeſtarum artium & litterarum; denique domicilia atque officinas pietatis, ac omnium honeſtiſſimarum virtutum, ac præclara ſeminaria eccleſiæ ac reipublicæ, in quibus ſuaviſſima & tenerrima iuventus doctrina pietatis ac virtutum pie, recteque imbuta ac inſtructa, tandem ad res eccleſiæ ac reip. pie, iuſte, feliciterque gubernandas, tanquam ad viva exercitia pietatis & virtutum mature adhibetur, ut ea, quæ ſummis vigiliis atque laboribus perceperit, ad eccleſiæ ac reipubl. ſalutem, veriſſimum ſcilicet ſtudiorum finem, commode referre diſcat atque aſſueſiat. Notandum quoque, Abbates, qui tunc erant præ-

ſen-

ſentes, *Gerhardum* regioluteranum, *Andream* amelunxbornenſem, *Ioannem* riddagshuſanum, & *Caſparum* Mariævallenſem, cognomina habuiſſe, primum quidem *Gladenbachii*, ſecundum *Steinhaueri*, tertium *Lorberii*, & quartum *Schosgenii*; & regio-lutheranum, quamvis poſtremo omnium conſtitutus fuerit abbas, primum tamen locum, iure & conſuetudine, ut etiam nunc conſtanter obſervatur, Sereniſſimique Decreto obſervandum eſt, habuiſſe. Neque ab inſtituto noſtro alienum erit, ſi Academiæ Iuliæ elogia aliqua, quibus illa a variis auctoribus ornatur, in ipſius decus, & docentium in ea diſcentiumque incitamentum, protulerimus. Nam *Keslerus* Præfat. in Methodum diſputandi p. 10. eam vocat felicem acutioris iudicii officinam; Io. *Reinboth* in Concione inaugurationis academiæ Kilonienſis p. 30 exemplum, e quo pateat, quantum boni per Academias, earumque inſignes doctores (ut *Caſelium*, *Cornelium*, *Calixtum*, *Horneium*, *Habnium*) fieri & propagari queat; *Morhoſius* Polyh. liter. lib. 1. c. 24. n. 42. ſcholam, ex qua (præcipue ſub informatione *Caſelii*) prodierint viri doctiſſimi, ad genium antiquitatis & veræ ſapientiæ formati; *Reineſius* Ep. 2. ad Io. Vorſtium. 10. abundantem viris ſolide doctis: quam laudem ſi qui ei invideant, paſſivam rem eſſe: *Schurzfleiſch* Diſp. XCVII. de Meritis Germanorum §. 7. inter celebriores Germaniæ academias non ultimam; Io. *Moller* Hypomnem. ad Schefferi Suec. literat. p. 381. inter alias Germaniæ academias cultu optimorum ſtudiorum vero, & mimine fucato eminentem; Frid. *Strunzius* in Epiſtola ad Beniam. Hoffmannum, diſputationis de ululatu in ſacris Minervæ ſubiuncta, auctorem, academiam, in qua litteræ non parum florent, atque in dies magis excoluntur; Io. *Oderborn* in Dedicat. Vitæ Io. *Baſilidis* magni Moſcoviæ Ducis A 3. academiam, ad quam homines ex omnibus Europæ partibus confluunt, & quaſi e ſinu Conditoris, eiusque ex fontibus æternas animi opes hauriunt, imo in qua nobiliſſimarum diſciplinarum pulcherrimi flores rara felicitate a multis decerpuntur; Gerh. Io. *Voſſius* Ep. DCCLI. p. 390. talem, ut nihil ex Germania Amſtelodamum deferatur, quo æque capiantur meliores animæ, ac illis ex academia Iulia; *Metrophanes Critopulus* in Dedicat. Confeſſionis orientalis eccleſiæ p. 1. λαμπροτάτην celeberrimam, deque cuius multiiuga doctrina & bona diſciplina iam pridem audiverit, nec minora illa,

 cum

cum adveniſſet, ſed longe maiora, ſummiſque laudibus digna deprehenderit; *Ferdinandus*, Epiſcopus monaſter. & paderborn. S. R. I. Princeps, L. B. de Fürſtenberg in Ep. ad Vice-rectorem & Profeſſores acad. Iuliæ, quæ eſt numero XVII. in mutuis ipſius & Conringii epiſtolis, p. 35. florentiſſimam, atque a primis ſtatim exordiis ſuis omnium diſciplinarum & liberalium artium viris mirifice excultam; auctor *Præfationis* in Refutationem commenti Buſcheriani, publico nomine, ut videtur, ſcriptæ * ij inclytæ Domus Brunſv. Luneburgicæ nobiliſſimum cimelium; & Rein. *Reineccius* in oratione funebri Ducis IVLII teſtatur, eum iſto terrarum ſuarum cimelio nihil potius duxiſſe, immo illis, quam hoc, carere maluiſſe, illam ut filiam amoresque ſuos quotidie in ore habuiſſe, ſibique etiam dormienti curæ eſſe dicere ſolitum fuiſſe. De fundatione academiæ Iuliæ etiam legi poteſt *Rehtmeyerus* Hiſt. eccleſ. brunſv. P. III. 416.

G. 4. Imperator Lotharius Ius Romanum ex Italia *in hanc provinciam* (ſaxonicam) reduxit.	*Italis reliquit.* Georgius *Calixtus* Theol. moral. p. 120.

Iulius, Henrici iunioris filius, Dux brunſvic. ac luneburg. in iuvenili ætate multa inquiete iactatus, & paternis odiis ab amorem religionis evangelicæ exagitatus, multa præclara geſſit: prædicta enim religione terras ſuas donavit, academiam Iuliam erexit & liberaliſſime dotavit, Corpus doctrinæ, ab ipſo Iulium dictum promulgavit, cum Brunſvicenſi civitate novam conventionem iniit, vicum Caſtro wolfenbuttelano adſitum ornavit; & iure atque inſignibus civitatis donatum, in patris memoriam, Henrici Civitatem appellari iuſſit, mortalitatemque exuit A. C. 1589. Vide *Imhofium* Notit. Procer. Imp. p. 155. & *Rehtmeyerum* Hiſt. eccleſ. brunſvic. P. III. 315. Laudes eius legi poſſunt in Rein. *Reineccii* Oratione funebri, *Oderbornii* Dedicatione Vitæ Io. Baſilidis, magni Moſcoviæ Ducis, Metrophanis *Critopuli* Dedicatione Confeſſionis orient. eccleſiæ, & Chriſtoph. *Schraderi* Orat. ſeculari academiæ Iuliæ.

Henricus Iulius, Iulii filius, Dux brunſvic. ac luneburg. poſtulatus epiſcopus halberſtadienſis, primus academiæ Iuliæ rector, Halberſtadium a reliquiis corruptelarum repurgavit, Iuleum magnum

magnum ſive ſplendidam collegiorum domum, (cuius inaugurationi filius ipſius Fridericus interfuit Ulricus) Helmſtadii condidit, Reinſteinenſem Comitatum, de quo adhuc lis eſt, cum Blanckenburgico poſſedit, cum aliquot Electoribus & Principibus inter Imperatores RVDOLPHVM & MATTHIAM pacem fecit, atque ut intimus conſiliarius cæſareus diu Pragæ vixit, ibique vivere deſiit A. 1613. ætatis 49. *Imhof.* Notit. Procer. Imp. l. c. *Lexicon univ. hiſt.* P. III. 66. & *Rehtmeyer* Hiſt. eccleſ. brunſvic. P. III. & IV. Erat Princeps multa prudentia ornatus, iuris ſcientia probe excultus, chemiæ, matheſeos, antiquitatum, aliarumque ſcientiarum cultor eximius; atque ideo laudatur a *Taubmanno* in Dedicatione Plauti, & *Caſaubono* Ep. CCLVI p. 290. qui ad Caſelium ita ſcribit: *Audivimus agones tuos: pervenitque etiam ad nos ingens Principis veſtri decus ac fama, qui pro ſua prudentia ac ſapientia barbariem ſimul & σοφιςικην e ſuis terris eliminavit.*

Ioach. *Mynſinger* a Frondeck, ex antiqua & nobili familia, quæ olim in Helvetia reſplendebat, prognatus, Studgartiæque cum dente editus, Vigilii *Zuichemi*, & Udalr. *Zaſii* diſcipulus, I. V. doctor, & adſeſſor Iudicii Cameræ imperialis, aliquandiu *Henrici* Iunioris & *Iulii* Ducum brunſvic. ac luneburg. cancellarius, pariterque Ducatus huius archicamerarius hereditarius, & Comes palatinus cæſareus, vir vere nobilis, iuriſque antiſtitum illius temporis facile princeps, ſummis Ducibus, Comitibus, ipſique auguſto Cæſari gratus, & omni memoria digniſſimus, tam modeſtus etiam, ut, cum animadverteret, uxorem ſuam, Agnetem *ab Odershauſen*, ægre ferre, ſi quis ipſum vel Doctorem, vel Cancellarium ſalutaret, ipſe iſtos titulos lubentiſſime admitteret, diceretque, *Nobilem a Doctore & Cancellario ſervatum eſſe, & quaſi poſtliminio reductum*, ætate ad ſenium vergente, cum paulatim corporis robur imminui, & vires decreſcere ſentiret, cancellariatus munere, cum Principis ſui aſſenſu, ſeſe abdicavit, atque Helmſtadii in otio litterario, quod reliquum erat vitæ, traduxit, defunctus in arce Alslebiana A. C. 1588. ætatis ſuæ 74. Ipſe etiam auctor fuit celſiſſimo Duci Iulio, ut academiam hic loci erigeret, & honeſtis ſumtibus foveret, æternis propterea laudibus merito a nobis celebrandus. Inter eruditos inclaruit ſcriptis partim poëticis, partim iuridicis: eius enim ſunt Neccarides, Naufragium venetum,

 Batra-

Digitized by Google

Batrachomyomachia *Homeri*, Exhortatio ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum, Hymni & Epigrammata, Auſtriados libri II. Commentarii in Inſtitutiones Iuſtiniani ac Decretales, Obſervationum cameralium centuriæ, Conſiliorum decades, Ordinatio Dicaſterii Ducatus brunſvicenſis, & Apotelesmatis recenſio inchoata, ab Arnoldo autem *de Reiger* completa. Melch. *Adamus* in Vitis Iureconſultorum p. 293. Gebh. Theodor. *Meier* Memor. ICtor. helmſtad. p. 75. *Magirus* 609. *Reineccius* in Append. ad CAROLI IV. Vitam, & *Conringius* de Orig. iur. german. 229. qui eum vocat Cancellarium optime meritum, ſummique nominis ICtum.

Pancratius *Crugerius*, in academia Iulia Latinæ linguæ & Poëſeos profeſſor, præter Carmen Muſarum ſupra memoratum, edidit Hiſtoriam baptizati Chriſti, latino & teutonico carmine expoſitam, cum Iulii Ducis filiola, princeps Dorothea Auguſta, baptizaretur, Henricopoli A. 1577. 4. & Epithalamium Georgii a Marenholz, & Sophiæ Mynſin geriæ, A. 1580. 4. annique ſequentis die XI. Aprilis Lubecam diſceſſit ad regimen Gymnaſii illius ſuſcipiendum.

Rectoratus Io. Thomæ FREIGII. Noribergæ 1577. quo exhibentur 1) Oratio Phil. *Camerarii*, habita Altorfii A. 1576. cum ampliſſimi Norimbergenſis Senatus nomine, in præſentia trium Scholarcharum, Bilibaldi *Schlüſſelfelderi*, Phil. *Genderi* & Hieron. *Paumgartneri*, in poſſeſſionem rectoratus ſcholæ immitteret D. Io. Thomam *Freigium*. 2) Oratio *Freigii*, qua regimen ſcholæ in ſe recipit. 3) Georgii *Glaciani* Oratio, quæ Freigio & Io. Prætorio mathematico, recens introductis, ſuo ſuorumque collegarum nomine gratulatur. 4) Σκιαγραφια prælectionum ſcholæ Altorfinæ.

Io. Thom. *Freigius*, Friburgi in Briſgoia natus, *Glareani*, *Zaſii* & *Rami* diſcipulus, & aſſiduus ſectator ac defenſor, legum doctor, docuit Friburgi & Baſileæ; ſed cum læta ac ſperata ſtudiorum præmia non ſequerentur, parum aberat, quin illis relictis animum ad culturam agri, typographiam, aut aliud honeſtum opificium adplicaret, niſi Deus aliter diſpoſuiſſet, & ſuaſore Hieron. *Wolfio* ad ſcholæ altorfinæ nuper apertæ rectoratum, in locum Valentini *Erythrai*, qui eum primus geſſerat, evocatus eſſet. Hoc in munere explicuit hiſtoricos, poëtas, Inſtitutiones Iuſtinia-

nia-

nianeas, & alia; nec diutius tamen, quam per ſexennium eo functus eſt: finito enim hoc tempore, neſcio quam ob rem, Baſileam rediit, ſed & ſequente, h. e. 1583. peſte correptus & exſtinctus eſt. Fuit unus ex numero eorum, qui in diducendis ſapientiæ rivulis, & labaſcentibus diſciplinis fulciendis, humanæ ſocietati utilem navarunt operam, eique rei, ſuis commodis poſthabitis, ſtudium omne impenderunt, philoſophiæ, philologiæ & iuris cognitione inſignis, ſicut eius ſcripta teſtantur. Inter illa eminent Schematiſmi breves trium logicarum artium, Quæſtiones geometricæ & ſtereometricæ, logicæ & ethicæ, œconomicæ & politicæ, Pædagogus, Ciceronianus, Orationes, Hiſtoria de bello africano, in quo SEBASTIANVS Portugalliæ Rex A. 1578. die 4. Auguſti periit, Martini *Forbiſſeri* Hiſtorica narratio latine reddita, Partitiones Iuris utriusque, Paratitla ſeu Synopſis Pandectarum, Logica ICtorum, Quæſtiones Iuſtinianeæ, & *Zaſius*, h. e. Commentarius ab Ulrico Zaſio diffuſe tractatus, a Freigio autem multis apodicticis auctus. Melch. *Adamus* in Vitis ICtor. p. 252. *Omeis* Glor. acad. Altdorfinæ p. 42. *Morhof.* Polyhiſt. T. I. 280. *Stolle* Introd. in Hiſtor. literar. P. II. 133. 134. & Phil. *Camerarius* in prædicta Oratione, lit. B. qui eum ſalutat virum clarum, doctum, & egregiis virtutibus ornatum. Sed Notæ eius in Ciceronis Orationes *Baeclero* Bibliograph. crit. p. 68. videntur eſſe futiles.

GEORGII IOANNIS, Comitis palatini Rheni, Oratio de ſcholæ heidelbergenſis inſtauratione. Heidelbergæ 1558. Qua in laudes decurrit OTTONIS HENRICI, Electoris palatini, reſtauratoris & amplificatoris academiæ heidelbergenſis.

Georgius Ioannes, Comes palatinus Rheni, OTTONIS HENRICI conſanguineus, erat tunc temporis, cum orationem recitaret, heidelbergenſis academiæ rector honorarius, eaque facundiæ & eloquentiæ ſuæ dotes præclare explicuit.

Sophoniæ PAMINGERI Reformatio & Conſtitutio ſive ordinatio Scholæ latinæ. Ratisbonæ 1576. Laudatur a D. Ierem. *Hembergero* in Præfat. eo, quod conformis ſit optimæ deſcriptioni, a Phil. *Melanchthone* aliisque viris prudentibus traditæ. Et ſane præclara in ea monita leguntur, ut, collegam debere alterius claſſis diſcipulum peccantem, abſente eius præceptore, punire: abſtinen-

ſtinendum eſſe ab amplis digreſſionibus & minime neceſſariis annotationibus & dictatis: diſcipulos trium claſſium ſuperiorum debere latine loqui: pædonomiam ſive civilitatem morum quavis hebdomade prælegendam: ad examina non tantum inſpectores venire debere, verum etiam omnes miniſtros eccleſiæ, & alios viros civitatis doctos ac pios, ut iuventus eorum auctoritate magis excitetur.

Sophonias *Paminger*, veteranus ſcholæ rector, edidit etiam duos libros Poëmatum A. 1557. *Kœnig* 602.

Laurentii *Publeri* Oratio de origine, primiſque & antiquiſſimis inſtitutis vitæ ſcholaſticæ. Wittebergæ 1580. Recitata Græcii, in publico Procerum Stiriæ conventu. Atque in ea docetur, ordinis ſcholaſtici ſemina in natura hominis reperiri, eſſeque notitias communes, & naturale illud ad diſcendum res in homine deſiderium, immediate autem ſapientiam provenire a Deo: iuventutis informationem primum exercitam in familiis patriarcharum, deinde in ſcholis publicis: eandem curæ fuiſſe Aegyptiis, Perſis, in Græcia præcipue Lacedæmoniis, & Latinis, hosque alias etiam exercitationes pro iis inſtituiſſe. Additur alia Oratio, in publicis progreſſionibus ſcholaſticis recitata A. 1579. in qua explicatur hæc quæſtio: Vtrum fortitudo mediocritas ſit, nec ne, quidque ab heroica virtute differat? Docet nimirum, mediocritatem hic non ſumendam eſſe ſtricte pro medio, æquali diſtantia interiecto, ſed pro illo gradu actionis animi, qui ſecundum rectam rationem dirigitur, atque ab utroque vitio exceſſus & defectus abducitur; & fortitudinem communiter pluribus adeſſe, & uſu atque aſſuefactione aliquo modo conciliari poſſe; ſed heroicam virtutem raro & paucis contingere, & eſſe ornamentum divino afflatu conciliatum.

Laurentius *Publer*, laureacenſis, opt. artium & philoſ. magiſter, Græcii eo tempore, quo Orationem priorem recitavit, docendæ iuventuti ſcholaſticæ fuit præfectus, ita ut oratione illa munus ſuum auſpicaretur.

CX.

Io. FECHTII Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſeculi XVI. Supplementum. Durlaci 1684. Conſtans 1) Apparatu ad Epiſtolicum opus

opus hic contentum recte intelligendum, atque ad uſum eius in hiſtoria eccleſiæ repræſentandum. 2) Epiſtolarum theologicarum ad Marbachios partibus IX. 3) Tabulis chronologico-hiſtoricis, in quibus univerſa eius temporis, quo Epiſtolæ illæ ad Marbachios ſcriptæ ſunt, hiſtoria quaſi in compendio repræſentatur. Vide *Acta eruditorum* A. 1684. 286. & Sev. Walth. *Sluterum* Propyl. hiſt. eccleſ. 38.

CXI.

Ioachimi MOERLINI Hiſtoria von der Oſiandriſchen Schwermerey, de Andreæ *Oſiandri* fanaticiſmo in Pruſſia, & quid eius gratia peractum, cum omnibus Actis. Brunsvigæ 1554. Hic quidem invenies accuſationes adverſariorum, Explicationes & defenſiones Oſiandri, *Alberti* Ducis Pruſſorum adhortationes ad theologos, ut pacis & concordiæ, & mali exempli evitandi cauſſa litibus & contentionibus peſſulum obderent, ſeque mutuo tolerarent: ſed nullus erat diſſidiorum finis, donec celſiſſimus Dux Mœrlinum removeret, ſolumque vertere iuberet. Ac de *auctore* hoc diximus P. IV. 248.

CXII.

LIPSANOGRAPHIA, ſive Theſaurus ſanctarum reliquiarum electoralis brunſvico-luneburgicus. Germanice. Hanoveræ 1697.

EADEM, latine. Ibidem 1713. Sed multo auctior & emendatior: ſcripta & edita a Gerardo Woltero MOLANO. Reliquiæ iſtæ ſunt Chriſti, domini noſtri, B. Mariæ virginis, Euangeliſtarum & Apoſtolorum, plurimorumque aliorum Sanctorum, & religioſarum Virginum, ab Henrico Leone partim Conſtantinopoli, ex liberalitate Imperatoris MANVELIS COMNENI A. 1172. partim ex oriente & aliis locis allatæ, ab eodemque ædi S. Blaſii in urbe brunſvicenſi donatæ & conſecratæ, tandem vero poſt urbis huius deditionem, quæ contigit A. 1671. ad Ducem laudatiſſimum Io. Fridericum, adeoque Hanoveram tranſlatæ, inque æde ſacra aulica adſervatæ, quæ omnibus curioſis & videndi cupidis, promte liberaliterque ibi monſtrantur.

Gerardus Wolterus *Molanus*, hamelenſis, natus A. 1633. Kalendis Novembribus, magnum & venerabile inter eruditos, eos-

que beatos, ac felices, nomen: prodiit enim e ſpectabili familia, atque e ſchola G. *Calixti*, qui eum docuit ore & exemplo ſuo amorem erga bonas litteras, philoſophiam ſobriam, accuratiorem theologiam, hiſtoriæ & antiquitatum culturam, & moderationem in diiudicandis theologorum controverſiis. His præſidiis munitus atque ornatus, profeſſioni mathematum, ac poſtea, impetratis in ſupremo h. e. ſacro ordine honoribus, etiam theologiæ in univerſitate rintelenſi admotus eſt. Sed hic nondum erat terminus dignitatum, in quo ille ſubſiſtere deberet: fata enim, dexteritatis viri rationem habentia, altioribus eum deſtinaverant. Hinc anno 1672. ad Abbatiam luccenſem (eſt autem Lucca monaſterium ordinis ciſtercienſis, IV. ab Hanovera lapidibus diſtans) proviſionaliter electus, & A. 1677. a ſereniſſimo Duce *Ioanne Friderico* confirmatus, pariterque primas Ordinum provincialium Ducatus calembergici, præſes Conſiſtorii hanoverani, Cleri ſupremus director, & primarius memorati Ducatus theologus conſtitutus eſt. Atque hic eſt ille Molanus, quem *Leibnitius* Introduct. in III. Tomum Scriptor. brunſvic. illuſtr. p. 25. inclytum Abbatem: Ioach. *Meierus* de Claris Bœhmeris Diſſert. p. 43. virum maximi in Europa nominis, inexhauſtæ eruditionis, & infinitorum in re eccleſiaſtica meritorum: *Heideggerus* in Vita Io. Lud. *Fabricii* p. 56. theologum lutheranum ſummi iudicii lectiſſimæque eruditionis: & ipſe hic *Fabricius* Operum p. 295. accuratiſſimum vocat. Pauca ſcripſit, ſed plura legit, eiusque modi bibliothecam ſibi comparavit, quæ non ſolum multitudine, ſed etiam præſtantia librorum cum quavis altera privati hominis certare poſſit. In primis laudanda eſt viri curioſitas atque elegantia, qua egregium rariorum numiſmatum veterum recentiorumque theſaurum collegit; ubi, præter alia, pene perfecta eſt Numiſmatum brunſvicenſium collectio, hiſtoriæ illuſtrandæ, *Leibnitio* iudice, perutilis. Atque, ut ad ſcripta eius redeamus, etiamſi pauca ediderit, ea tamen, quæ edidit, aut alii edenda tradidit, quæque adhuc in ſcriniis latent, magnæ diligentiæ ſummique iudicii ſunt documenta: ut, Theſes mathematicæ, Diſputatio de Communicatione & prædicatione idiomatum, Diſſertatio philologica de regimine verborum active ſignificantium, Series abbatum luccenſium, a *Leibnitio* edita in Tomo III. Scriptor. brunſvic. illuſtr. p. 693. Oratio in funere *Wilhelmi*

ni VI. Landgravii Haſſiæ Caſſellis in ſplendidiſſima panegyri recitata, &, quæ quidem nondum adſpexit lucem, Methodus expoſitoria in controverſiis cum Pontificiis, a me laudata in Conſiderat. controverſ. cum Pontificiis & Reformatis p. 9. 45. 110. ſed nunquam ſatis laudanda: in ea enim clare exponit ſtatum controverſiæ, quidque utrinque credatur, aut non credatur, indicat, & æquum ac moderatum, neque a vero alienum de ſingulis controverſiis facit iudicium, oſtendens, controverſiæ ſtatum a plurimis perperam fuisse formatum, *Tridentinum* vel *Confesſiones* noſtras aut aliud, aut alio ſenſu docuiſſe, & propter terminorum æquivocationem, Andabatarum more, fuiſſe pugnatum; adeoque ſtatuit, non tantum tolerari Pontificios & Reformatos, ſed actualem cum iis pacem & concordiam iniri poſſe, neque eos, quamquam non levibus obnoxii ſint erroribus, fundamentum fidei evertere, & ſtricte loquendo hæreticos eſſe. Plura quidem ſunt illius Expoſitionis, ſeu mavis conciliationis capita, & circiter L. ſed ad meam notitiam non niſi XII. pervenerunt, videlicet 1. de abſoluta certitudine converſionis, pœnitentiæ, abſolutionis, fidei, iuſtificationis, ſanctificationis, & ſalutis æternæ. 2. de ratione formali iuſtificationis. 3. de ſacrificio miſſæ. 4. de Vulgata verſione, declarata authentica. 5. de ſacrificio miſſæ. 6. de oratione pro mortuis facienda. 7. de utilitate harum orationum. 8. de invocatione Sanctorum, & uſu peregrinæ linguæ in celebratione miſſæ. 9. de oblatione pro vivis & mortuis, quæ fiat in miſſa. 10. de miſſa, ut ſacrificio propitiatorio pro vivis & mortuis. 11. de quæſtione, an Romano-catholicis amplius ſit imputandum, quod doceant, *miſſam eſſe opus, quod peccata actualia dimittat, crucis autem ſacrificio tantum originale deletum eſſe?* 12. de ſacramentis, quod conferant gratiam ex opere operato.

Io. Iac. BAIERI Beſchreibung, Deſcriptio univerſitatis ſtudiorum noribergenſis, quæ Altdorfii eſt. Altdorfii 1714. & poſtea ſub larva anni 1717. Agitur in ea de ortu & incremento oppidi altdorfini, eiusque amœno ſitu, variis ſecundis & adverſis caſibus, quos illud expertum eſt, de præſente eius ſtatu, fundatione ſcholæ, novis privilegiis, quibus academia erecta eſt in univerſitatem, inauguratione univerſitatis, de novis & perfectis privilegiis, quorum beneficio etiam Theologis data eſt poteſtas creandi

di Doctores, Curatoribus & Procancellario univerſitatis, eiusdemque Rectore, Senatu, IV. Facultatibus ſive Ordinibus, Studioſis & ſociis univerſitatis, lectionibus profeſſorum, diſputationibus & promotionibus, ædificio Collegii univerſitatis, bibliotheca, theatro anatomico, laboratorio chemico, horto medico, & notabilioribus monumentis atque epitaphiis. Nec deſunt elegantes figuræ, e. g. ſitus & viciniæ Altdorfii, ipſius urbis, Collegii & horti medici, & numiſmatum in memoriam Univerſitatis cuſorum. Vide *Supplementa* Actorum eruditorum, Tomo VI. 36.

Io. Iac *Baier*, natus Ienæ A. 1677. patre celeberrimo theologo, D. Io. Guil. *Baiero*, illuſtris *Wedelii* & ceterorum academiæ patriæ Doctorum diſcipulus, iam Medicinæ doctor, eiusque in univerſitate altorfina profeſſor primarius, nec non phyſicus noribergenſis & poliater altorfinus, edidit Diſſertationes de literatorum ſanitate tuenda, de viſco, de adagiis medicinalibus, de equitationis utilitatibus & incommodis, aliisque, & excellenti eruditione, felici artis ſalutaris exercitio, & inſigni morum ſuavitate eam conſecutus eſt celebritatem, ut CL. Iac. *Burckhardus* in Medico humanitatis ſtudiorum indice illuſtribus eum viris, Mich. Frid. *Lochnero*, & Godefrido *Thomaſio* adnumerare nullus dubitet, pag. 102.

CATALOGVS van alle de principaelſte Rarieteyten, potiorum raritatum, quæ in Theatro anatomico leydenſi conſpiciuntur. Leydæ 1669. Quæ hodie auctæ ſunt plurimum.

Phil. Iul. REHTMEYERI der Stadt Braunſchweig Kirchenhiſtorie, Antiquitates eccleſiaſticæ inclytæ urbis Brunſvigæ. Partes V. Volumina III. Brunſvigæ 1707. 1710. 1715. 1720. Sunt, inquam, Partes V. quarum prima deſcribitur externa conditio monaſteriorum, ædium ſacrarum, Calendarum, ſacellorum, xenodochiorum in & extra urbem ſitorum, eorumque altaria, reliquiæ Sanctorum, catalogus Prælatorum; ſecunda, internus ſtatus eccleſiæ brunſvicenſis, quam faciem ſub papatu habuerit in regimine eccleſiaſtico, doctrina & vita, quamque fortunam expertus ſit urbis patronus, S. *Auctor*; tertia, hiſtoria reformationis, cum recenſione Conſtitutionum eccleſiaſticarum, Corporis doctrinæ Iulii, publicorum conventuum, colloquiorum, controverſiarum, teſtiumque veritatis, Superintendentium, Coadiutorum, paſto-

Paſtorum, Scholæ rectorum, aliorumque virorum celebrium: quarta, continuatur materia tertiæ Partis ab A. 1586. uſque ad præſentia tempora: & quinta exhibentur Appendices, Epiſtolæ, Conſilia, Reſponſa & Supplementa, cum Indicibus in totum opus. Neque deſunt Præfationes, Primam, Tertiam, Quartam & Quintam Partem ornantes, quarum prima, quæ celeberrimi abbatis *Schmidtii* Allocutionem ſequitur, auctor inſtituti ſui rationem exponit, & patronos ac fautores, qui ad id opem tulerunt, laudibus extollit: ſecunda eos, qui theſauros poſſident epiſtolarum, quæ ad hiſtoriam eccleſiaſticam faciunt, rogat, ut eos in uſus edant publicos, & Quartæ partis contenta indicat: tertia rogat, ut res a ſe traditas non aliter accipiat quam referentis & hiſtorici, & quid apud Brunſvicenſes per *Senatum culinarem* intelligatur, docet: quarta fatetur, Quintam partem non niſi ſupplementis conſtare, neque quidquam hiſtoriarum adferre. Cenſuræ & Reſponſa academicarum Facultatum & Miniſteriorum in cauſa Paſtorum brunſvicenſium contra Tribunos plebis A. 1604. quæ p. 245. Partis IV. deſiderantur, editæ ſunt A. 1722. a D. *Odelemio* ſub titulo Reliquiarum Papo-Cæſariæ rom. in diſciplina eccleſiaſtica apud Lutheranos. Omnia Rehtmeyeriana ex tabulariis, raris MSStis, & probæ fidei Hiſtoricis depromta ſunt, ita ut in Appendicibus ipſa etiam Documenta & Scripta, tanquam teſtes omni exceptione maiores, addantur & producantur. Hoc opus laudatur ac recenſetur in *Supplementis* Actor. eruditor. T. IV. 69. T. V. 48. *Narrat. innocuis* ad A. 1707. p. 705. A. 1715. 652. *Neuen Bücher-Saal* T. I. 284. atque a venerabili Abbate, D. Io. Andr. *Schmidtio* in præfatione in hunc librum.

Phil. Iul. *Rehtmeyer*, brunſvicenſis, natus A. 1678. Alberti *Gebhardi*, in Gymnaſio martiniano, *Bechmanni*, *Treuneri* & *Danzii* in Salana, *Schmidtii* autem & ceterorum theologorum in academia Iulia diſcipulus, ex itinere belgico in patriam reverſus, primum fuit conſtitutus adiunctus S. Miniſterii, nunc paſtor eccleſiæ Michaëlitanæ, vir pietate, integritate, omnique alia virtute, & ſingulari hiſtoriarum notitia maxime conſpicuus, atque indefeſſi laboris, in publicum emiſit Diſſertationem de oblatis euchariſticis, quæ hoſtiæ vocari ſolent, Varias inſcriptiones, Myſterium perfectionis numeri LXXIII. in iobeleo gamico Henrici Hæſeleri,

Vitam D. Ioach. *Luckemanni*, Epiſtolam gratulatoriam ad nobiliſſimum & conſultiſſimum *Luedekenium*, in qua recenſentur Syndici brunſvicenſes, & antiquum Iudicium vemicum, iamque parat Chronicon brunſvicenſe *Leznero-Buntinglanum* ex documentis, ſigillis, inſignibus & numiſmatibus, idque ad noſtra uſque tempora ingenti labore & ſtudio perducit.

CXIII.

Io. Georgii BERTRAMI Evangeliſches Luneburg, Luneburgum evangelicum, ſeu Hiſtoria reformationis & eccleſiæ antiquæ civitatis Luneburgi. Brunſvici 1719. Qua ædes ſacræ & monaſteria huius urbis deſcribuntur, initium reformationis, eiusque progreſſus exhibetur, vitæ, mortes, & potiora ſcripta Superintendentum, Paſtorum ac Miniſtrorum verbi, uſque ad annum 1717. recenſentur, Colloquia tripolitana, ſeu trium civitatum (Lubecæ, Hamburgi, Luneburgi) adnotantur, & controverſiæ enarrantur theologicæ. Omnia ex adiectis, ut auctor vocat, raris documentis, ſcriptis authenticis, & inſignium theologorum epiſtolis, Reſponſis & Iudiciis. In Præfatione diſſerit ille de providentia Dei erga ſuam eccleſiam, deque ſuo inſtituto, in quo veritatem ſectetur, citra favorem & odium, & ſcripta, quæ ſive in utero ingenii gerit, ſive ad edendum in promtu habet, ſponte ac liberaliter indicat: eaque ſunt 1) Hiſtoria eccleſiaſtica totius Ducatus luneburgici, 2) Plenior deſcriptio vitæ ERNESTI Ducis Brunſvic. ac Luneburgenſium, & Superintendentium in terris luneburgicis, 3) Hanovera evangelica, 4) Hildeſia evangelica, 5) Minda evangelica, 6) Corpus Decretorum conſiſtorialium, 7) Deſcriptio monaſteriorum Principatus luneburgici. Quibus præclaris conatibus Euge, Feliciter, adclamamus. Vide *Acta erudit.* A. 1720. 9. & *Narrat. innoc.* A. 1719. 1120.

Io. Georg. *Bertram*, luneburgenſis, Iacobi, paſtoris ad S. Nicolai, filius, natus A. 1670. *Bechmanni* & *Baieri* ienenſium diſcipulus, antehac fuit per biennium paſtor caſtrenſis, deinde miniſter verbi divini in eccleſia giffhornienſi, nunc vero paſtor ad S. Martini in inclyta urbe Brunſvicenſi, familiam ſuam a tempore Henrici Leonis deducens, quia ille Bertramum aliquem ex Anglia

in

in Germaniam, & in urbem quidem Brunsvicenſem, ſecum adduxit, in iuventute egeſtate preſſus fuit, & aliquoties vitæ periculo expoſitus, ſed miram ſupremi moderationis providentiam ſemper expertus eſt. Ienæ diſputavit de conſcientia anxia & timida. Scripſit etiam Vitam *Ernesti*, Ducis Brunſvic. ac Luneb. primi confeſſoris evangelici, atque Epiſtolam duorum cum dimidio quaternionum, qua D. Polyc. *Lysero*, ſeren. ac potentiſſ. Electoris Brunſvico-Luneb. Conſiliario conſiſtoriali & eccleſiaſtico, & luneburgenſi Superattendenti generali, Quæſtionen hiſt. eccleſ. Utri eorum, qui in conſtantienſi Concilio ob confeſſionem fidei combuſti ſunt, Iohanni ne *Husso?* an *Hieron. Pragensi*, verba plerisque nummis Huſſiticis, qui circumferuntur, impreſſa de ratione poſt C. annos Deo & ſibi reddenda, rectius tribuantur, decidendam ſubmiſſe offert, eique de digreſſu ab ephoria Eccleſiæ calenbergenſis ad capeſſendam ſupremam cellenſem gratulatur. Brunſvigæ literis Zilligerianis. Scripta autem eſt, ut in fine exprimitur, Giffhornii, feſtinante calamo, die IIX. Decembris A. O. R. 1707. Anno ſuperiore (1721.) Dominica Reminiſcere in ſuggeſtu docens apoplexia perculſus, & tamen poſtea per Dei gratiam ita reſtitutus fuit, ut ad officium redire ſuum potuerit. Paratus etiam eſt, ſi DEVS vires largiturus ſit, ad edendum reliquas partes ſuæ Hiſtoriæ.

CXIV.

Io. Georg. LEVCKFELDII Antiquitates walckenredenſes. Lipſiæ & Nordhuſæ 1706. Germanice, ſicut & ſequentes eius aliæ Antiquitates. Sunt deſcriptio hiſtorica imperialis ac liberæ Abbatiæ Walckenried, Ordinis quondam ciſtercienſis, in cuius priore Parte de monaſterii huius origine, provincia, ſitu, loco, nomine, ordine monaſtico, exſtructione, inauguratione, filialibus, eccleſiis, ſacellis, fraternitate, reliquiis, ſepulcris, cura animarum, Bullis pontificiis, Privilegiis cæſareis, bonis, prædiis, expilatione, reformatione & ſchola; poſteriore de monaſterii fundatrice, Advocatis, Abbatibus, Adminiſtratoribus, Prioribus, Subprioribus, Cellariis, Burſaciis, Paſtoribus lutheranis, & Rectoribus ſcholæ agitur. Hæc auctor collegit ex litteris fundationis, raris MSStis, aliisque probatis Hiſtoricis, in primis, ut in Præfatione fatetur, ex

Io.

Io. Henr. *Hoffmanni*, qui tamen fatis abreptus non X. ſed III. duntaxat libros Rerum ſive Antiquitatum walkenridenſium reliquit, & Henr. *Eckſtormii* Chronico walckenredenſi, addens iuſtas Annotationes, & figuras neceſſarias. Vide *Acta eruditorum* A. 1705. 409.

Io. Georg. *Leuckfeld*, natus Heringæ, oppidulo Comitatus Schwarzburgico-ſtolbergenſis in regione aurea (in der Guldenen aue) A. 1668. die 4. Iulii, olim reverendiſſimæ ac ſereniſſ. Ducis HENRIETTAE CHRISTIANAE, Abbatiſſæ gandersheimenſis, a ſecretis, nunc paſtor primarius grœningenſis haud procul Halberſtadio, vir æque in ſacris, ac hiſtoricis ſtudiis exercitatiſſimus, & ſuaviſſimæ humanitatis, præter antiquitates, quæ iam ſequentur, ſcripſit, ediditque Scriptores rerum germanicarum, Vitam Io. *Spangenbergii*, & Herm. *Hamelmanni*, & Antiquitates nummarias halberſtadienſes & magdeburgenſes: ne quid de iis dicam laboribus, quos indeſeſſum eius ingenium meditatur, aut iam orſum eſt. *Clarmundus* P. II. 197. *Hubner* Biblioth. hiſtor. pro iuventute hamburgenſi, Cent. IV. 62. ipſe *Leuckfeld* Antiqq. groeningenſ. 146. *Acta erudit.* A. 1715. 103. ubi antiquitatum germanicarum vocatur diligentiſſimus indagator: & auctor *Narrationum innoc.* A. 1712. 314. qui eum in hiſtoricis haud vulgarem famam conſecutum eſſe teſtatur.

EIVSDEM Antiquitates gandersheimenſes. Wolffenbuttelii 1709. Cum 1) deſcriptione monaſteriorum, Brunshuſæ, Cluſæ, & S. Mariæ: 2) CHRONICO rhythmico idiomatis Saxoniæ inferioris: 3) HROSWITHAE Carmine latino de exſtructione Cœnobii huius: & 4) binis Præfationibus, quarum altera eſt auctoris, in qua de Henr. *Bodonis*, Io. *Letzneri*, & Mich. *Rupii* Relationibus, item de Chronico rhythmico & *Wrosvvitha* Carmine latino iudicium fert, & utilitatem hiſtoriarum celebrat; altera venerab. abbatis *Schmidtii*, qua inquiſitio, extractio, & publicatio ſcriptorum, diplomatum, & documentorum, quæ in tenebris cœnobiorum & collegiorum ſepulta iacent, vehementer etiam atque etiam commendatur. Vide *Acta erudit.* A. 1710. 313. & nota, Diploma fundationis abbatiæ gandersheimenſis, atque Confirmationem SERGII papæ, falſi ſuſpecta eſſe *Calvörio* in Saxonia inferiore p. 315. & *Actis erudit.* 1715. 103.

CXV.

CXV.

Io. Georgii LEVCKFELDI Antiquitates pœldenſes. Wolfenbuttelii 1707. In quibus genealogiæ traduntur Comitum Lutterbergenſium, Scharzfeldenſium, Clettenbergenſium; item Nobilium de Sulingen, Riemorum, de Bockelhagen, de Eſpelingerode, de Oſterode, de Windhauſen, de Hattorf, & Wurmiorum. Vide *Acta erudit.* A. 1708. 330.

EIVSDEM Antiquitates blanckenburgenſes. Quedlinburgi 1708. Sunt genealogica & hiſtorica deſcriptio Comitum Blanckenburgenſium, uſque ad ſæculum XIV. cum relatione de Sylva hercynia ſive Hartzwald, antiqua cæſareo-ſaxonico-palatina civitate Wallhauſen, & tabulis genealogicis Nobilium de *Oldershauſen*, qui hereditario iure ſunt mareſchalli Ducum brunſvicenſium & luneburgenſium. *Acta erudit.* A. 1709. 138.

EIVSDEM Antiquitates michaëlſteinenſes & amelunxbornenſes. Wolfenbuttelii 1710. Cum Io. *Letzneri* Deſcriptione liberi imperialis loccumenſis, ſive Luccæ monaſterii. *Supplementa* Actor. erud. T. IV. 419. *Muſeum novum* T. I. 563. 565.

EIVSDEM Antiquitates ilfeldenſes. Quedlinburgi 1709. Cum Laurentii *Rhodomanni* Ilfelda hercynica, carmine heroico latino (nam græca omiſſa ſunt) expreſſa, Iuſti *a Dransfeld* Lucubratiuncula de ſchola ilfeldenſi reviviſcente, & Bertholdi *Nihuſii* ſcriptis II. de Iure Præmonſtratenſium in Monaſterium ilfeldenſe.

EIVSDEM Antiquitates grœningenſes. Quedlinburgi 1710. In quarum Præfatione auctor ſtudium ſuum antiquitatum & hiſtoriarum indicat, & errorem p. 67. commiſſum corrigit, ubi inter Epiſcopos halberſtadienſes, quorum aliqui Grœningæ ſederunt, numero XLVIII. omiſſus eſt *Chriſtianus Wilhelmus*, Marchio brandenburgicus. Vide *Supplementa* Actor. erudit. T. IV. 459.

EIVSDEM Hiſtoria Spangenbergenſis, ſive Deſcriptio vitæ, doctrinæ & ſcriptorum Cyriaci *Spangenbergii*. Quedlinburgi 1712. Qua ea, quæ in *Adamo*, *Wittio*, *Fechtio* & *Vhſio* deſunt, præcipue ex monumentis ineditis, ſupplentur: pariterque auctor in Præfat. promittit alias etiam theologorum vitas ſimilem in modum

conſcribere ac publicare, ſi hanc lectoribus non ingratam fuiſſe intellexerit. Libellus hic recenſetur Tomo II. *Muſei novi* p. 492. atque in *Narrationibus innoc.* ad A. 1712. p. 314. libris theologicis realibus ſive optimis adnumeratur.

CXVI.

Io. Georg. LEVCKFELDI Antiquitates burſfeldenſes, ringelheimenſes & northeimenſes. Wolfenbuttelii 1713. In Præfatione refert auctor, quomodo monaſteria ordinis S. Benedicti, quorum tempore Concilii baſileenſis A. 1431. 82732. utriusque ſexus numerabantur, ſenſim a regula ſua defecerint, neque eorum reformatio, quamvis ab abbate cluniacenſi *Bernone* eiusque ſucceſſore, & *Odone*, aliisque tentata, diu durauerit, uſque dum Congregatio burſfeldenſis A. 1446. primo eius præſide, ac Monaſterii burſfeldenſis abbate Ioanne *Hagen*, erecta & confirmata fuerit: & quia uſque in illum diem nulla huius Congregationis accurata narratio exſtabat, ideo ſe manum operi admouere, atque ex probæ fidei documentis hanc ipſam contexere voluiſſe.

EIVSDEM Antiquitates katelenburgenſes. Cum hiſtorica Relatione de cœnobio Auguſtinianorum Kaltenbornenſi diœceſeos halberſtadianæ, & cœnobio Ciſtercienſium Wienhuſa, in Ducatu luneburgico, uno a Cellis lapide. Wolfenbuttelii 1713. Katelenburgenſes, a Io. Henr. *Hoffmanno*, celebri antiquario & archivario hanoverano, collectas, & chronologiæ adaptatas, auctor noſter, ut ipſe in Præfatione narrat, in ordinem redegit, in capita diſtribuit, & antiquis documentis, aut hiſtoricorum teſtimoniis confirmavit. Vide *Muſeum novum* T. III. 629.

EIVSDEM Antiquitates halberſtadienſes. Wolfenbuttelii 1714. Hæ autem ſunt tantum prior Pars huius hiſtoriæ, complectens res III. ſæculorum a tempore fundationis Epiſcopatus halberſtadienſis, & vitas XV. Epiſcoporum, cum rebus geſtis Imperatorum illius temporis, & vicinorum locorum. Pleniorem huius ſcripti recenſionem dant *Acta eruditorum* A. 1715. p. 89.

CXVII.

Io. Georg. LEVCKFELDI Antiquitates præmonſtratenſes duorum olim clarorum iſtius ordinis Monaſteriorum, videlicet

delicet S. Mariæ in urbe Magdeburgenſi, & Gratiæ Dei prope Calbam. Magdeburgi 1721. In quibus auctor de S. *Norberto*, Ordinis præmonſtratenſis fundatore, eiuſque ſepulcro, item de Monaſteriorum illorum fundationibus, bonis, privilegiis, Præpoſitis, & aliis illuc ſpectantibus rebus agit, eique Deſcriptionem addit antiqui iudicii ſub alta arbore prope Quedlinburgum: ſicut in Præfatione eorum ſententiam, qui editionem relationum de cœnobiis reformatis & ſeculariſatis pro re illicita habent, examinat & refellit.

EIVSDEM Hiſtoriſche beſchreibung, Hiſtorica deſcriptio trium in atque ad Auream augiam ſitorum locorum. Lipſiæ & Wolfenbuttelii 1721. Nimirum 1) monaſterii ciſtercienſis S. Georgii in Kelbra, cui inſeritur genealogia Comitum Beichlingenſium. 2) Palatinatus cæſarei alſtedenſis. 3) Palatinatus walhuſani.

EIVSDEM Antiquitates numariæ. Lipſiæ & Wolfenbuttelii 1721. Sunt hiſtorica deſcriptio multorum argenteorum nummorum bracteatorum, quos diuerſi Epiſcopi halberſtadienſes, Archiepiſcopi magdeburgenſes & Abbatiſſæ quedlinburgenſes cudendos curarunt: ipſi etiam bracteati accurate ligno inſculpti repræſentantur, notisque illuſtrantur neceſſariis. Præfatio eſt D. Iuſti Chriſtoph. *Bœhmeri*, in qua ille commendat ſtudium rei numariæ, & potiores auctores, qui de illa ſcripſerunt, interpoſito æquo de ipſis iudicio commemorat.

EIVSDEM Vita Henrici *Meibomii*: Cum HVIVS Chronico Monaſterii ad Fontem Mariæ, zu Marien-Born. Magdeburgi 1720. Quæ recenſentur in *Actis erudit.* A. 1721. 276.

CXIIX.

CLAVDII Confeſſio fidei, cum Iobi *Ludolfi* Verſione latina, Notis & Præfatione, reuiſa, iterumque publicata a Io. Heinr. *Michaëlis*. Halæ magdeburg. 1702. Atque hic novus editor in Præfatione ſua indicat, primum eam a Ludolfo luci datam fuiſſe Londini 1661. deinde ab eodem Francofurti in Commentario hiſtoriæ æthiopicæ A. 1691. utriusque editionis Notas hic exhiberi, aliamque & novam plane Regis ADIAM-SAGHEDI, poſt

Claudium in Habaſſia imperantis, Fidei confeſſionem in Galliam delatam eſſe, cuius ſumma capita de S S. Trinitate, Incarnatione Verbi, Baptiſmo, S. cœna, & Reſurrectione mortuorum tractent, ac poſſideri Pariſiis a *Beraldo*, ſyriacæ linguæ profeſſore regio. Ludolfus autem præfatur de admiranda inter tot ac tanta obſtacula propagatione religionis chriſtianæ, per totum orbem terrarum, deque ratione, qua nactus ſit præſentem Confeſſionem: nimirum CL. V. Ezram *Edzardum* eam, a luſitano quodam comparatam, boni publici cauſſa benevole ſecum communicaſſe; cumque codex ille MStus auro & holoſerico ornatus ſit, haud vane coniici, fuiſſe munus regium, Luſitanorum proregi in India miſſum: quandoquidem in gratiam Luſitanorum, atque ut auxilia contra hoſtem ſuum impetraret Claudius, & iudaiſmi ſuſpicionem a ſe ac ſuis pariter amoliretur, eam ediderit. Confeſſio hæc concinnata eſt ad modum Symboli apoſtolici, quo Aethiopes alias carent, eiusque loco utuntur Nicæno. Ex eadem diſcimus, illos agnoſcere tria Concilia oecumenica, nicænum, CPtanum & epheſinum: non credere proceſſionem Spiritus ſancti a Filio: obſervare utrumque ſabbatum, vetus & novum; illud vero non ex lege moſaica, ſed ex vetuſtiſſimo primorum Chriſtianorum uſu: adminiſtrare in ſabbato S. cœnam, & exhibere agapas, ſeu convivia caritativa: circumciſionem admittere, etiam in femellis, non ex ritu iudaico, ſed ſecundum conſuetudinem regionis: neque etiam abſtinere ab eſu carnis ſuillæ ob legem moſaicam, ſed ex libertate, cum omnia mundis ſint munda.

Claudius, Davidis, cognomento Wanag-ſaged, filius, natus A. C. 1523. patri in regno ſucceſſit A. 1541. atque in prœlio occubuit A. 1559 vitæ 36. Atrociſſimum enim bellum perpeſſus eſt a *Graino Adelenſi*, qui modicæ alias potentiæ Rex maxima tum vi graſſabatur, cæſisque aliquot exercitibus vaſtum illud regnum adeo debilitaverat, ut parum a ruina abeſſe videretur. Itaque Claudius in Damotam, quod regnum ultra Nili fontes remotum eſt, ſe recipiens, externa auxilia quærebat, Luſitanorum maxime, quorum tunc inclytum nomen erat, per Africæ provincias longe lateque diffuſum. Vt autem eos magis propitios experiretur, & ſocietate religionis ſe ſe apud illos inſinuaret, iſtam, de qua agimus, Confeſſionem in litteras redegit, redactamque ad illos perferendam curavit. *Ludolfus* in Notis p. 7. Io-

Ioan. Henr. *Michaëlis*, natus Clettenbergæ, quæ illuſtriſſimorum Comitum witgen- & hohenſteinenſium ſedes erat, anno 1668. die 15. Iulii, in pueritia ex præſentiſſimis vitæ periculis ſingulari Dei miſericordia ſervatus, ad doctrinam religioſiſſimi *Damii* verum ſtudiorum fundamentum in piis ad Deum precibus poſuit, & poſt mercaturæ tirocinia ad ſtudia litterarum rediit, eaque adeo feliciter tractavit ſub Io. Ern. *Mullero* in linguis orientalibus, ſub Alberto *Chriſtiani* in rabbiniſmo, ſub *Seligmanno* in morali doctrina, ſubque Io. *Schmidio*, Io. *Oleario*, Io. Bened. *Carpzovio*, *Rivino*, *Ittigio*, *Rechenbergio* Lipſiæ, item ſub *Breithauptio*, *Franckio*, Io. Guil. *Baiero*, *Antonio* Halæ Saxonum in ſacris, ut poſtea quotannis curſum in hebraicis, chaldaicis, ſyriacis, ſamaritanis, arabicis atque rabbinicis litteris, maximo cum diſcentium emolumento, abſolvere potuerit. Nec propterea, quod alios doceret, lectiones theologicas, more eorum, qui ſibi iam ſatis eruditi videntur, audire intermiſit. Didicit etiam a ſummo philologo Iobo *Ludolfo* linguam æthiopicam & amharicam tam ſecundo ſucceſſu, ut ei in adornandis atque edendis Lexico æthiopico & Grammatica amharica opem ferre valuerit. Poſt hæc profeſſioni linguarum græcæ & orientalium, ac tandem theologiæ admotus, atque in iobeleo lutherano altero doctoris in prima Facultate honoribus auctus, adeo nihil in fide atque induſtria ſua deſiderari paſſus eſt, ut freno coërcendus, ſuæque valetudini parcere iubendus fuerit. Eruditionis ſuæ ſpecimina publica non edidit nulla, videlicet Diſputationes de accentibus Hebræorum proſaicis ac metricis, Epicriſin philologicam de M. Michaëlis *Beckii* Diſquiſitionibus philologicis, Pſalterii æthiopici novam verſionem latinam cum notis philologico-exegeticis, Diſputationem de rege Ezechia, eccleſiæ iſraëliticæ ſive iudaicæ reformatore, & alia. Neque laborem recuſavit in Bibliotheca academiæ halenſis conſignanda & transferenda, atque in emendanda Lexici *Opitiani* hebræo-chaldaici impreſſione. Vide hæc floridius narrantem venerandum *Breithauptium* in Programmate, quo ad candidati ſui, noſtri huius Michaëlis, lectiones curſorias & diſputationem inauguralem invitat A. 1717. die 24. Octobris, & *Catalogum* ſcriptorum halenſium, *Acta eruditorum* A. 1705, 64. & illuſtrem virum, Iobum *Ludolfum*

Præfationibus in Grammaticam & Lexicon amharicum, nec non in Lexicon æthiopicum, atque in Pſalterium æthiopicum a litteratiſſimo Michaëlis noſtro latine redditum, notisque illuſtratum.

Ioach. HILDEBRANDI Hiſtoria conciliorum a N. C. uſque ad ſeculi XVII. annum 45. in eccleſia habitorum. Helmſtadii 1707. Eſt labor iuvenilis, quem auctor in ſe ſuſcepit, cum, Facultate theologica conſentiente, collegium ſive ſcholam privatam aperiret Helmſtadii in acad. Iulia: atque ut auditores alliceret, in folio circumambulante tractationem hanc iis ut utilem propoſuit 1. ad aſſerendam, cui nati ſumus, fidem catholicam: 2. ad dignoſcendas hæreſes: 3. ad notitiam rituum, eorumque originis: 4. ad legum ſacrarum cognitionem: 5. ad abuſus ſeu corruptiones, quæ in eccleſia contigerunt, notandas.

EIVSDEM Libellus de hæreſibus a N. C. ad ſeculum XVI. Helmſtadii 1710. Præfator auctorem excuſat, ſi errata aut minus accurata offenderis, vel quando eum diverſos ſub eodem hæretici titulo exhibere obſervaveris: nam de hæreticis hodie aliquid commentari, admodum difficile ait eſſe, cum ſæpe multi illorum catalogo fuerint inſerti, de quibus ob genuinorum defectum monumentorum certi nihil ſtatuere poſſimus: multis diverſa partium ſtudia hunc titulum impoſuiſſe: multos, quovis modo errantes, ſtatim pro hæreticis habitos.

EIVSDEM Rituale euchariſtiæ veteris eccleſiæ. Helmſtadii 1712. In quo ſermo fit de euchariſtia veterum, & oblationibus, precibus ad euchariſtiam, precibus pro defunctis, præfatione, conſecratione, & elevatione ſacrorum ſymbolorum, de ipſis ſacris ſymbolis, ſacris calcibus, intinctione panis in calicem, ritibus communicantium, cultu ſacrorum ſymbolorum, varia veterum communione, & aſſervatione ſacrorum ſymbolorum.

Thomæ ITTIGII Hiſtoria Synodorum nationalium a Reformatis in Gallia habitarum. Lipſiæ 1706. Ex actis ſynodicis & aliis ſcriptoribus in epitomen redacta, & obſervationibus non nullis theologicis theoreticis pariter ac practicis illuſtratur. Et quænam ergo ſunt illæ Synodi? Pariſienſis A. 1559. Pictavienſis 1560. & Aurelianenſis 1562. Edita quoque eſt Hiſtoria ſynodi lugdunenſis A. 1563. Reliqua ad eiusmodi Synodos pertinentia in MSStis

MSStis cubant, quæ fortaſſis a CL. profeſſore *Ludovici*, in ordinem redacta, luci aliquando exponentur.

THOMAE de Lypſia Defenſio Diſſertationis Ittigianæ de hæreſiarchis ævi apoſtolici, & apoſtolico proximi, adverſus Catalecta F. Lotharii Mariæ *a Cruce*, ordinis F. Minorum. Lipſiæ 1709. F. Lotharius Mariæ *a Cruce* fertur eſſe Petrus *Zornius*, Thomas autem de Lypſia ipſe D. Thomas ITTIGIVS. De quo diximus p. 140. huius Partis.

Io. Mich. HEINECCII Diſſertatiuncula de antiquæ Goslariæ tutelaribus, B. Maria, Simone & Iuda Thaddeo, ac Matthia, apoſtolis. Goslariæ 1706. In qua docet, per *cæcos* & *claudos* 2. Sam. 5, 6. 7. intelligendos eſſe deos tutelares Iebuſæorum: ex oriente in Europam profectam hanc ſuperſtitionem, tandemque improbo auſu in eccleſiam traductam: numos Marianos, *die Mariengroſchen*, ſic dici ab effigie, quam geſtant, Mariæ, primumque cuſos Goslariæ: Simonem & Iudam Goslariæ, ut patronos, commendatos ab HENRICO III. Imperatore; hinc eos in ſigillo & quibusdam numis videri adſtare vel inſiſtere mœnibus: S. Matthiam, cuius reliquiæ Treveris A. 1126. repertæ, & forte a CONRADO III. aut FRIDERICO I. Goslariam translatæ, tandem præcipuum Goslarienſibus habitum patronum, eiusque imaginem primitus impreſſam fuiſſe numulis, quos ab eo vocarunt vocantque *Mattier*, 4. valentes numos.

Ioannes Michael *Heineccius*, Eiſenberga-oſterlandus, philoſ. magiſter, & V. D. miniſter in urbe goslarienſi, iam S. theol. doctor, ſacri Tribunalis in Ducatu magdeburgico conſiliarius, eccleſiarum halenſ. & per Diœceſin ſalanam inſpector, paſtor ad D. Virginis primarius, ſcholarcha, ibidem ſenior, regiæque ſcientiarum Societatis collega, laudatus in *Actis eruditorum* A. 1709. 442. atque a *Leibnitio* Introduct. in Scriptores rerum brunſvicenſ. T. II. 13. emiſit Antiquitates goslarienſes, Delineationem eccleſiæ græcæ, Diſſertationem de miniſtris Cæſarum gentilium chriſtianis, & aliam de ICtis chriſtianis priorum ſæculorum, Syntagma hiſtoricum de ſigillis, eorumque uſu & præſtantia, Chriſtum unicum caput eccleſiæ ſuæ, Examen novorum prophetarum, & alia.

CHRONICON MONTIS SERENI, ſive Lauterberg. Helmſtadii 1665.

Digitized by Google

1665. Promiſſum ultra LX. annos illud fuerat a Marq. *Frehero* & Henr. *Meibomio*, tandem vero cum aliis ſcriptis editum, tabulisque chronologicis illuſtratum a Ioh. *Madero*. Cetera illa ſcripta ſunt 1) Chronicon monaſterii GOZECENSIS, (Gozeka autem ſive Gosbik infra Naumburgum ad Salam fluvium ponitur a *Spangenbergio*) cum primis veterum Saxoniæ & Sommersburgi Comitum palatinorum, Thuringiæque Landgraviorum facta enarrans, ab anno Chriſti 1041. ad 1135. 2) Chronicon monaſterii PEGAVIENSIS, potiſſimum *Wiperti*, Luſatiæ quondam Marchionis, filiorumque eius hiſtoriam pertractans, ab A. 1040. usque ad 1212. Eſtque illius, quod *Reineccius* edidit, epitome: e contrario Gozecenſe, cuius tantum partem Reineccius produxit, integrum hic exhibetur. 3) Variorum Germaniæ monaſteriorum Fundationes, collectæ olim per *monachum* quendam *benedictinum*. 4) Genealogica ex Wolfg. *Lazio*, Rein. *Reinecio*, Dav. *Chytræo*, & Vbb. *Emmio*: quæ quidem his omnibus ſunt præmiſſa. In Præfatione editor erudite diſſerit de origine, ordinibus, & ſtudiis monaſteriorum, ac deinde ſpeciatim de ſcriptis paulo ante indicatis. Chronicon noſtrum cœnobii Montis ſereni, in Ducatu magdeburgico, duobus ab Hala lapidibus ſiti, res tractat unius ſæculi, incipiens ab anno 1124. & pergens uſque ad annum 1225. De auctore autem eius dubium eſt, ſit ne *Conradus*, presbyter cœnobii Montis ſereni, an ex eo Chronicon noſtrum compilatum: item, an idem ſit, quod Sanpetrinum, cuius *Albinus* mentionem facit. Vide *Maderum* Præfat. p. 21. *Placcium* de anon. 295. de pſeudonymis 412. *Neuium* in Mantiſſa ad *Whearum* 154. *Sagittarium* in Actis litterar. Struvii, Faſc. VII. 72. *Olearium* T. I. 434. & *Leuckfeldum* in Vita Henr. *Meibomii* 9.

In Præfat. p. 22. Ex Io. Iac. *Freigii* Bibliotheca Geſneri recognita.	*Friſii.*
In Chronico ipſo p. 16. Imperator Lotharius II. apud Bredinam villam II. *Non.* Decembris obiit.	III. *Non.* Decembris. Vide *Tollium* Epp. itinerar. p. 8. & *Annotationes noſtras* ad Letzneri Deſcriptionem monaſterii Regio-luterani p. 27.

Chronicon Theodorici ENGELHVSII. Helmſtadii 1671. Nunc

Nunç primum editum a Ioach. Ioh. *Madero*. Sed exſtat etiam in *Leibnitii* Tomo II. Scriptorum rerum brunsvicenſium, idque auctius: continens res eccleſiæ & reip. ab orbe condito ad annum Chriſti circiter 1420. De hoc Chronico, eiusque auctore locuti ſumus P III. 26. 30. Hoc tamen addendum, quod in *Muſei novi* T. II. 224. memoratur, Chriſtianum *Ezechielem*, rectorem ſcholæ Bernſtadianæ, poſſe illud locupletius edere, & cum continuatione Matthiæ *Dœringii* ad annum uſque 1490. Quod ſi faciet CL. V. de hiſtoriarum ſtudio & bono publico præclare merebitur.

CXIX.

Diploma fundationis Bergenſis ad Albim cœnobii, cum Simonis Friderici HAHNII Adnotationibus hiſtoricis. Magdeburgi 1710. Scriptum quidem iuvenile, & anno ætatis ſeptimo ac decimo adornatum, præſtans tamen, & multam hiſtoriarum notitiam ſapiens. Ipſum etiam Diploma fideliter exhibetur, atque ab auctore genuinum, & ipſi cœnobio, cum adhuc in urbe eſſet, datum agnoſcitur; in Præfatione autem diſſerit de inſtauratoribus artis diplomaticæ. Vide *Supplementa* Actor. eruditor. Tomo VI. p. 91. & ipſum *Hahnium* Orat. auſpicali de genuino ac ſalico CVONRADI II. Imp. ortu, & vera falſaque Salicæ ſtirpis cum Guelphis convenientia, qui p. 28. & ſeqq. illud contra obiectiones *Calvœrii* & *Lyſeri* defendit.

Simon Fridr. *Hahn*, Berga-magdeburgicus, natus A. 1692. d. 28. Iulii, philoſophiæ magiſter, & nunc hiſtoriarum profeſſor in academia Iulia percelebris optimeque merens, vir æque in iure, ac duplici hiſtoria exercitatiſſimus, ac ſtupendæ plane memoriæ, egregia edidit ſcripta, videlicet Orationem de ortu, incrementis & fatis Cœnobii bergenſis, *Leuckfeldi* Scriptoribus rerum germanicarum inſertam, & anno 1721. denuo impreſſam: *Meibomii* Chronicon bergenſe ad annum 1708. perductum: Programma de neceſſitate noviſſimæ hiſtoriæ; & aliud de medii ævi Geographia, per Germanos uberius excolenda: Diſſertationem de HENRICO aucupe: & aliam de iuſtis limitibus arelatenſis regni, & derelictione eius RVDOLPHO habsburgico perperam adſcripta: Orationem de genuino & ſalico CONRADI II. ortu, cum Vindiciis Diplomatis bergenſis: Diſſertationem de ele-

ctione & coronatione CONRADI II. & Plenam introductionem in Imperii romano-germanici hiſtoriam & Ius publicum; præter ea, quæ I. & II. Bibliothecæ Thomaſianæ tomo, ac tomo Supplementorum Lexici hiſtorici Buddeani inſerta ſunt.

Georgii Guilielmi KIRCHMAIERI Commentatio de Witteberga Saxonum. Wittebergæ 1713. In qua, quæ ad nomen & originem urbis ædemque omnium Divûm pertinent, ex tabulis ſanctioribus, atque aliis exquiſitis litterarum monimentis eruuntur atque evolvuntur. Neque, ut in Præfatione ſcriptum exſtat, ante auctorem noſtrum quisquam fuit, præter unum Petrum *Albinum*, qui in nomen originemque urbis, ædem omnium ſanctorum, aliaque de antiquis Saxoniæ ſuperioris gentibus earumque demigrationibus, inquireret.

Georg. Guil. *Kirchmaier*, wittebergenſis, Polon. Regis & Electoris Saxon. a conſiliis, Comes palat. cæſar. & Græcæ linguæ profeſſor in academia patria, clariſſimi parentis Georgii Caſparis feliciſſimus heres, (quantæ enim ingenii & doctrinæ dotes in illo erant conſpicuæ, tantas in hoc veneratur præſens ætas, ac poſtera demirabitur) multa ſcripſit, & quidem I. Diſputationes 1) ex criticis: de ſigillo Numinis, Dei Hominis, ex Apoc. I, 8. 11. deque Vlphila, ſeu verſione IV. Evangeliſtarum gothica. 2) ex arte oratoria: de decoro generatim, ac ſpeciatim oratorio, de decoro actionis oratoriæ, de apoſtoli Pauli eloquentia, de magnifico orationis panegyricæ adparatu, de enthymemate oratorio, de decoro imitationis oratoriæ, de numero oratorio. 3) ex Matheſi: de Vitemberga munienda. 4) ex græca litteratura: de germana pronunciatione græcæ linguæ vocalium & diphthongorum, de novo fœdere recte interpretando, de dialecto Græcorum communi, de pane επιυσιω ex Matth. 6. & Lucæ 11. de φιλολογιας uſu in demonſtrandis theologiæ capitibus de S. Triade, Creatione, Peccato, Lege, Iuſtificatione & S. Coena ſumme neceſſario, de ſepulcro Chriſti contra *Salmaſium*. II. Orationes. III. Programmata de φαντασια principe oratoris parte, de acroſtichide illuſtri: Ιησυς χειστος, Θευ υιος, σωτηρ ςαυρος, de contemtu litterarum elegantiorum, cum præſentiſſimo eruditionis pariter atque religionis periculo invaleſcente, deque admiranda academiæ vitembergen-

fis

ſis origine. Hæc viri CL. opuſcula laudantur a I. C. *Neu* in Mantiſſa de Hiſt. particular. p. 252. in *Novis literar.* German. in *Fama erudit.* Seb. *Kortholto* in Elegia funebri, & G. Iac. *Schvvindel* in der prieſter-bibliothec p. 471. Et ſuperioribus addenda ſunt. 1. Expoſitio rerum ſingularium, quæ ſuperiori Academiæ ſeculo Vitembergæ evenerunt. 2. Clariſſimorum virorum ad G. C. Kirchmaierum Epiſtolæ, quæ ſuperſunt, cum huiusdem Epiſtolis & Poëmatibus non nullis. 3. Opus, quod nunc meditatur, hiſtorico-genealogicum germanicum de illuſtriſſima *Wazdorfiorum* gente, in quo intimos antiquitatis germanicæ, genealogiæ, geographiæ, & heraldicæ receſſus perſcrutabitur auctor excellentiſſimus. Vide Io. Chriſtoph. *Kruſikei* Athenas florentes, Hamburgi A. 1721. editas, p. 11. Cum potentiſſimus Rex Poloniæ, & Elector Saxoniæ clementiſſime ei conferret dignitatem conſiliarii, hoc ad ſanctiores Conſiliarios mandatum perferri iuſſit: FRIEDERICH AVGVST, König in Pohlen &c. Churfürſt zu Sachſen &c. Demnach wir den profeſſorem zu Wittenberg, Georg Wilhelm Kirchmaiern um ſeiner Uns gerühmten erudition willen zu unſerm Raht erkläret, und Ihm eine jährliche zulage von 100. Thl. in gnaden bewilliget, als begehren Wir hiermit gnädigſt, Ihr wollet, daſs ihm ſolches prædicat beygeleget, und hiervon an unſer Marſchallamt und geſammte Collegia, damit er als Unſer Raht geſchrieben und tractiret werden möge, gewöhnliche notificationes ertheilet, ihm auch von nechſt inſtehenden quartal an jährlich Ein hundert Thaler gegen ſeine quittungen aus dem Procurator-Amte Meiſſen gereicht werden, verfügen. Hieran &c. Und wir &c. Datum Dreſden den 15. Aug. 1721. Nec dubitarunt magnificus academiæ wittebergenſis Rector Patresque conſcripti in Teſtimonio A 1698. d. 18. Febr. publicato, in tantum eius commoda & promotionem commendare, in quantum eruditio, induſtria & probitas intelligi a quoquam poteſt.

Andreæ CHARITII Commentatio hiſtorico-literaria de viris eruditis Gedani ortis, ſpeciatim iis, qui ſcriptis inclaruerunt. Wittembergæ 1715. Sunt hæc Commentatio primitiæ exercitationum auctoris accademicarum, ita tamen adornatæ, ut legentibus utiles, & laude dignæ cenſeantur. Vide *Acta germanica eru-*

Qq 2 *dit.*

dit. T. IV. 223. Nec dubium, præclare mériturum auctorem, ſi inſtitutum hoc cum tempore continuabit.

Andr. *Charitius*, natus Gedani A. 1690. d. 3. Decembris, in patrio Gymnaſio *Krigii*, *Schelgvigii*, *Willenbergii*, Io. *Sartorii*, in academia vitembergenſi *Wernsdorfii*, *Chladenii*, Io. Guil. *Bergeri*, *Iani* & *Weidleri* diſcipulus, ingenuarum artium Magiſter, primum admotus fuit generoſæ iuventuti Zechianæ, quæ Dresdæ floret, in litteris ac pietate inſtituendæ, deinde, cum hic bene rem geſſiſſet, ad diaconatum templi cathedralis vitembergenſis vocatus; eoque etiam nunc præclare & naviter fungitur, re ipſa oſtendens, vere de ipſo ſpectatæ doctrinæ & virtutis theologum, D. *Chladenium* in Programmate ad audiendam Memoriam B. Frid. Chriſtiani Bucheri, quam Charitius formaverat, ac poſtea edidit, ſcripſiſſe, eum quadriennium apud Vitembergenſes ſingulari & modeſtia & ingenii contentione, & operæ in eruditiſſimis quibusque ſcholis nunquam perditæ fructu traduxiſſe, præclarisque, ſacris maxime, ſtudiis ornatum eſſe. Sique famæ credendum, ſuo tempore aliud ingenii atque induſtriæ egregium monumentum ab eo habebimus.

Antonii ZUCCHELLI Miſſions- und Reiſebeſchreibung, Deſcriptio miſſionis & itineris in regnum Congo Æthiopiæ. Francofurti 1715. Qua narratur non tantum quidquid hoc in itinere ex Stiria per Italiam, Hiſpaniam, Indiam verſus Aethiopiam contigit, ſed etiam mores & conſuetudines Indorum ethnicorum, eorumque idololatria & ſuperſtitio, forma reipublicæ, bella inteſtina & externa, vita & commercia, morbi eorumque medicamina, ritus ſepulturæ, fructus terræ, arbores, beſtiæ, piſces & reliqua: cuius etiam modi ſit miſſio hac in terra, & quanta hominum multitudo ab auctore ad Chriſtum ſit converſa. Hoc Itinerarium verſum eſt ex italico, cuius inſcriptio hæc erat: Viaggio e Miſſione di Congo nell Etiopia inferiore occidentale. In Venezzia A. 1712. quo & auctor Dedicationem libri ſcripſit ad auguſtiſſimam Romanorum Imperatricem ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM.

P. Antonius *Zucchelli*, natus Gradiſciæ in Foro Iulii, Concionator ordinis Capuccinorum in Stiria, & quondam miſſionarius apoſtolicus in Congo, editione huius Itinerarii tam bene meri-

meritus eſt de publico, ut eius nomen apud nos & poſteros omni tempore celebre ſit manſurum. *Bibliotheca nova* T. V. 492. *Muſeum novum* T.IV. 227.

CXX.

Cyriaci SPANGENBERGII Bonifacius. Smalcaldiæ 1603. Eſt de religione in Thuringia, Haſſia, Franconia, & Bavaria ab A. C. 714. uſque ad 755. in qua tota hiſtoria de S. Bonifacio interſpergitur. Hic Bonifacius, antea *Winifridus* dictus, natione anglus, utilem romano Pontifici, per converſionem ethnicorum in Germania populorum, operam præſtitit, dum illius pomœria hac ratione dilatavit, & multas ei animarum chiliadas adduxit, hoc beneficio Bonifacii nomen promeritus. Agit autem ſcripti huius auctor nudum relatorem ſive hiſtoricum, ita ut recitet, quæ apud alios legit aut invenit, minime vero iudicem aut adprobatorem. Vide Caſp. *Sagittarium* Antiqq. gentil. & chriſtian. thuring. p. 353. & *Narrat. innoc.* A. 1713. 751. Iuvabit etiam, uti *Collectores illarum* p.762. cenſent, cum hac Hiſtoria S. Bonifacii coniungere Iac. *Weberi* Conciones hiſtoricas de converſione Germanorum.

Henr. LEVCHTERI Antiqua Heſſorum fides chriſtiana & vera. Germanice. Darmſtadii 1707. Oppoſita libello Caſſellis excuſo auctoris alicuius reformatæ religioni addicti, & rubrum gerenti *Antiqua Cattorum fidei.* Nimirum A. 1605. proponebantur theologis marpurgenſibus & paſtoribus Principatus ſuperioris, partis Caſſellanæ, puncta emendationis, quæ hic leguntur p. 306. & agunt de humana Chriſti natura, fractione panis in S. cœna, redintegratione decalogi, abrogatione imaginum; & qui illis ſubſcribere recuſarunt, remoti ſunt a muneribus ſuis, tanquam erroneam & novam doctrinam tradentes, immorigeri, & ſuæ remotionis auctores. Scriptor igitur huius libri in præfatione tres haſce quæſtiones, 1. An remotorum doctrina ſit nova & erronea? 2. an illi ob denegatam ſubſcriptionem habendi ſint pro immorigeris? 3. an dici poſſit, illos ſe ipſos exauctoraſſe? movet, atque ad ſingulas negando reſpondet. In ipſo autem libro hiſtoriæ enarrat, quam fidem Heſſi tenuerint ab anno 1517. uſque ad annum 1607.

Henricus *Leuchter*, Meloſunga-haſſus, S. theol. & philoſ. D. & ſuperintendens eccleſiarum marburgenſium, poſtea concionator aulicus, tandemque ſuperintendens darmſtadianus, primusque inter eos, qui puncta emendationis marburgicæ recuſarunt, edidit Alcoranum mahometicum, & Speculum de ſummo bono, ac ſummo malo, denatus Darmſtadii A. 1623. ætatis 65.

CXXI.

Thomæ ITTIGII Diſſertatio de hæreſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi. Lipſiæ 1690. A *Doſitheo* uſque ad *Helceſaitas*. Cum Præfatione de ſcriptoribus antiquis, qui veterum hæreſium hiſtoriam, veterumque Hæreticorum catalogos ediderunt. Vide *Acta erudit.* A. 1690. 304. De *auctore* egimus ſupra, pag. 140.

Pag. 139. Marcionis ab Eccleſia ſeparationem *ſub Eleutherii Pontificatu* factam *Tertullianus* in lib. de præſcript. adv. hæret. c. 30. aſſerit.

Tertullianus teſtatur, Marcionem *ſub Eleutherio adhuc orthodoxum* fuiſſe. *Rechenberg* I. Append. ad Deutlichen Vortrag p. 45.

247. Quod Marſilius etiam *Ficinus* in Tertulliani librum de pallio commentatus fuerit, *quod Ellias du Pin* in Biblioth. Scriptor. eccleſ. tradidit, non credo.

Du Pin non de Marſilio Ficino loquitur, ſed de *Theodoro Marſilio*, quem ipſe Ittigius inter commentatores refert. Confer Labbe T. II. 387.

EIUSDEM Appendix Diſſertationis de hæreſiarchis ævi apoſtolici, & apoſtolico proximi. Cui accedit Heptas Diſſertationum. Lipſiæ 1696. Quarum I. agit de pſeudepigraphis Chriſti, Mariæ, & Apoſtolorum. II. de ſchiſmate Donatiſtarum. III. de ritu feſtum nativitatis Chriſti d. 25. Decembris celebrandi, eiusque nativitate. IV. de origine controverſiæ circa æqualem Petri & Pauli primatum, ante 50. annos per celeberrimum ianſeniſtam, Antonium *Arnaldum* excitatæ. V. de actis Synodi hieroſolymitanæ A. 1672. ſub patriarcha hieroſolymitano DOSITHEO adverſus Calvinianos habita; in qua inprimis de CYRILLI LUCARIS Confeſſione actum eſt. VI. de Photino, epiſcopo ſirmienſi,

mienſi. VII. de *Aramo*, ſcriptore eccleſiaſtico antipelagiano. Vide *Acta erudit.* A. 1690. 304.

CXXII.

Wilh. Erneſti TENTZELII Exercitationes ſelectæ. Lipſiæ 1692. In II. Partes diſtributæ; quarum priori, præter Symbolum apoſtolicum, *Clementis* romani, *Ignatii*, *Polycarpi*, *Iuſtini* martyris, *Athenagoræ*, *Theophili* antiocheni, *Tatiani*, *Hermiæ*, *Iacobi* niſibenſis, & *Ephremi* ſyri ſcripta expenduntur, ac præterea CONSTANTINI magni Baptiſmus, Natalitia epiſcoporum, Hymnusque *Te Deum laudamus* illuſtrantur: poſteriori diſciplina arcani, de qua *Wolfius* in Caſauboniana p. 111, in apricum producitur. Diſſertationes hæ, & quidem prioris Partis, in academia quondam vitembergenſi publice propoſitæ, nunc plurimum auctæ & emendatæ ſunt ab auctore, ſed eo abſente multis in locis vitioſe impreſſæ. *Acta erudit.* A. 1692, 539. In Præfatione narrat auctor, ſe hic diſputare contra *Schelſtratium*, & Io. *Fellum*; parentem ſuum ſibi conſilium dediſſe ſchelſtratiana argumenta examinandi, Fridericum autem Benedictum Carpzovium libris ſe ad hoc opus inſtruxiſſe, ſeque Notas & Animadverſiones in Caſim. *Oudinum* fere ad finem perduxiſſe. Neque tamen binos duntaxat illos viros in hiſce Exercitationibus impugnavit, verum etiam *Halloixium*, Stephanum *Le Moyne*, *Dodvvellum*, *Pearſonium*, *Garnerium* & *Queſnellium*.

Wilhelmus Erneſtus *Tentzelius*, natus Arnſtadii, Iacobi filius, Georg. Frid. *Meinhardi*, Michaël. *Waltheri*, Chriſtiani *Donati*, *Schurzfleiſchii*, *Stolbergii* & Conſtantini *Zigræ* diſcipulus, primum Gothæ docuit publice in Gymnaſio, & dignitate Hiſtorici Domus Saxonicæ, ex linea Erneſtina originem trahentis, ornatus eſt; deinde Dreſdam vocatus ad tabularium electorale, ſub titulo conſiliarii & hiſtorici, fidem, induſtriam & dexteritatem ſuam ubique demonſtravit. Profectus eſt in Belgium & Daniam, harum regionum & Germaniæ bibliothecas præcipuas perluſtavit, & cum doctiſſimis Europæ viris commercium litterarum coluit. Adverſam quidem fortunam Dreſdæ expertus eſt, ſed hoc non impediit, quo minus in utraque fortuna conſtans eſſet, ſorte ſua, quamvis exigua, contentus; ceterum

terum pie, ſobrie, pudice vitam agebat, a re abhorrebat uxoria, & amicitiæ leges tenacius obſervabat, hoc fortaſſe peccans, quod ex tædio non nullas ſchediaſmatum ſeu ſcriptorum ſuorum faſciculos in ignem coniecerit. Interim non pauca ſunt ſcripta, ab ipſo profecta: eius enim ſunt diſſertationes de medio præſentiæ divinæ circa futura contingentia, de proſeuchis Iudæorum & Samaritanorum, deque ritu lectionum ſacrarum, Eruditorum iudicia de Symbolo athanaſiano, Animadverſiones in *Oudini* Supplementum de ſcriptoribus eccleſiaſticis, Encomium D. Adami *Tribbechovii*, Saxonia numiſmatica lineæ Albertinæ, Saxonia numiſmatica lineæ Erneſtinæ, Colloquia per menſes edita ab anno 1689. uſque ad 1698. (quamquam hæc pro ſuis agnoſcere noluerit) item A. 1704. 1705. 1706. Epiſtola de ſceleto elephantino, Varia ſchediaſmata de numis ſaxonicis, & aliquod de moguntinis, Supplementum hiſtoriæ gothanæ, Vindiciæ pro Herm. *Conringii* Cenſura diplomatis fictitii Coenobii lindavienſis, Iubileum inventionis typographiæ, Schediaſma de MARGARETHA auſtriaca, FRIDERICI placidi, Electoris Saxoniæ, uxore, Parerga hiſtorica, Typus genealogiæ *Beuchlingicæ*, & alia. Tandem vero tot ſtudiis, & laboribus, animique ægritudine fractus confectusque, adeoque inter eruditos, quibus adverſa cum fortuna & egeſtate confligandum fuit, numerandus, deceſſit anno 1707. cum annos ætatis numeraret 48. Adolph. *Clarmundus*, vero nomine *Rudigerus*, in Memoria Tentzelii, quæ exſtat in II. decade Memoriar. Rollii, p. 363. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. IV. 585. *Parrheſiander* 325. *Schmidtius* in Vita Caſp. Sagittarii p. 87. Io. *Moller* de homon. 433. & Præfat. in Hiſt. cimbr. 65. *Henninius* in Epp. itinerar. Tollii 35. *Leibnitius* Introduct. in I. Tomum Scriptor. brunsvic. b 2. *Gravius* Præfat. & Epp. p. 64. & *Grabe* Spicileg. Patrum ſeculi II. p. 152.

CXXIII.

Catalogus Epiſcoporum hildeſienſium. Hildeſii. Auctore, non, ut vulgo creditur, Conr. Berth. *Behrens*, ſed Io. REMPEN. Cum brevi eorundem elogio, ex *Krantzio*, *Letznero*, *Tangmaro*, *Bucelino*, *Bruſchio*, aliisque Mss. vetuſtiſſimis excerptus. Incipit catalogus

talogus a Gunthario, qui deceſſit anno Domini 835. & finit in Iodoco Edmundo, S. R. Imperii principe, electo A. 1688.

Ioannes *Rempen*, natus Paderbornæ anno 1663. ibidemque in univerſitate Theodoriana nutritus, & creatus anno ætatis 17. philoſophiæ magiſter, ordinis primum Ieſuitarum, deinde S. Benedicti, atque in utroque profeſſor tam theologiæ, quam philoſophiæ, facto autem ad Lutheranos tranſitu profeſſor philoſophiæ extraordinarius in academia Iulia, monaſteriique S. Laurentii apud Scheningam præpoſitus, poëta, philoſophus & theologus exercitatiſſimus, ſcripſit in priore ſtatu contra Proteſtantes, atque in iis præcipue contra D. Io. Fridr. *Mayerum*, in præſente adverſus *Haſſelmannum*, Bernh. *Freytagium*, & D. G *Sonnemannum*, ediditque Theatrum euangelicæ veritatis, quo hanc defendere nititur contra Pontificios, nec non Delicias Parnaſſi, ſive Poëmata ſelectiora, tam latina, quam germanica; & latina quidem, maximam partem, eteoſtichis conſtantia: in hoc enim genere mirus eſt artifex. Hac tamen occaſione etiam de eo, cui Catalogus epiſcoporum hildeſienſium falſo tributus eſt, mentionem lubet, ac licebit facere.

Conradus Bertholdus *Behrens*, ex familia apud Hillesheimenſes antiqua conſulari, ac functionibus medicis in vicinis ſereniſſ. Brunsvic. ac Luneb. Ducum Aulis inde iam a ſæculo celebri, A. 1660. natus, *Meibomii*, *Sebizii*, *Drelincourtii* & *Schachtii* diſcipulus, Medicinæ doctor, ac primum caſtrenſis apud prædictorum Ducum Copias medicus in Hungaria, nunc ordinarius in urbe patria phyſicus, & per aliquod tempus ſenator, (ultro enim hanc functionem depoſuit) auguſtiſſimi Magnæ Britanniæ Regis archiater, & Societati tam Leopoldinæ naturæ Curioſorum, ſub nomine *Eudoxi*, quam Berolinenſi ſcientiarum adſcriptus, variis ſcriptis affatim oſtendit, quanta eruditione polleat, & medica, & hiſtorica: in Medicis enim A. 1685. emiſit Epiſtolam de morbis militum iſtius temporis, A. 1688. Schediaſmata de fallaci urinarum iudicio & mortibus ſubitaneis, (ex quorum poſteriore *Lanciſius*, archiater pontificius, anſam ſumſit eandem materiam publico ſcripto tractandi) A. 1689. Conſilium de morbis caſtrenſibus ac militari diæta, A. 1690. Tractatum de conſtitutione rei medicæ, A. 1707. Selecta quædam medica, in quibus epiſtolaris de medicinæ certitudine tractatio au-

ctior ſiſtitur, immo ipſa multis iam modis auctiora in muſeo auctoris quieſcunt, donec ad impreſſionem ea quis poſtulet, A. 1710. quædam ad Tomum I. Societatis regiæ Berolinenſis, ſicut & diverſis temporibus ad Tomos Societatis Leopoldinæ locupletandos ſymbolas ſuas contulit. Selecta diætetica; in hiſtoricis, pro nativa ſua ad genealogicum ſtudium inclinatione, A. 1695. Hiſtoriam familiæ *de Steinberg*, A. 1704. Hiſtoriam Præpoſitorum hillesheimenſium, quæ ſequenti anno cum Catalogo Decanorum ac Scholaſticorum auctior prodiit, & Faſtos carolinos, in quibus Vita CAROLI Magni ex Henr. *Turckii* Annalibus excerpta eſt. Ceterum, quantum a praxi aliisque negotiis ipſi datur otii, (datur autem valde parum) id omne Hiſtoriæ ſacratisſimæ Domus Brunsvico-Luneburgicæ, atque Operi genealogico familiarum illuſtrium, in quo iam eo uſque progreſſus eſt, ut ultra ſexcentas in parato habeat, impendit; cumque propter immenſitatem eius vix ſperari poſſit, futurum eſſe, ut illud ſumtibus unius bibliopolæ integrum edatur, ideo, ad requiſitionem illuſtrium virorum, qui ſuæ gentis hiſtorias vindicare amant, ſubinde quædam ſeparatim in publicum prodeunt, ut anno ſuperiore (1721) Familia Aſſeburgica; quam brevi ſequentur Monnighauſia & Werthernia. Selecta medica recenſentur in Tomo IV. *Supplement.* Actor. erudit. p. 64. & Selecta diætetica in *Actis erudit.* A. 1711. 76. Addendum & hoc, ampliſſimum Behrenſium noſtrum in ſacris etiam ſtudiis peritiam exercuiſſe ſuam, & Iudicium formaſſe de poſſibili concordia Evangelicorum & Reformatorum, eorumque in una viſibili Eccleſia coniunctione. Quod quidem adhuc in MSto latet, fortaſſis autem brevi in lucem prodibit. Hic etiam ille eſt, qui A. 1706. *Roſvvita* de conſtitutione cœnobii gandersheimenſis, ab eruditis deſideratum, primus e tenebris eruit, idque, iuſſu ſereniſſimæ Abbatiſſæ gandersheimenſis, Dominæ Henriettæ Chriſtinæ, Ducis Brunsvic. ac Luneburgenſis, clariſſimo *Leuckfeldio*, Antiquitates tunc gandersheimenſes edituro, tradidit, ab ipſo poſtea illis inſertum p. 410. Et hoc eſt illud Poëma, cuius illuſtris *Leibnitius* in Actis erudit. A. 1708. 487. mentionem facit, quodque dein magis emendatum Tomis ſcriptorum addidit brunsvicenſium. Sed & alia hiſtorica vir celeberrimus a boni publici perquam ſtudioſo Behrenſio accepit, quæ iam in prædictis tomis hono-

honorabilem locum occupant, nec ſine honoris præfatione ab excellentiſſimo collectore commemorata ſunt, ut, *Legatii* Chronicon Godehardinum, *Berſumii* Chronicon Marienduranum, & alia.

Erneſti Salom. CYPRIANI de eccleſia ſubterranea Liber. Helmſtadii 1699. In quo potiſſimum agit de cryptis Chriſtianorum, qui tempore perſecutionis in illis habitabant, & ſacra ibidem celebrabant, deinde de cryptis Kijovienſibus ex Io. *Herbinio*, tandemque de cryptis Gentilium. Vide *Acta erudit.* A. 1699. 477.

Prodromus monumentorum quorundam gottingenſium. Gottingæ 1702. Auctore, etiamſi nomen ſuum non exprimat, niſi in fine, Iuſto a DRANSFELD. Complectuntur illa ſuccinctiorem hiſtoriam ſacrorum, inprimis virorum, quos Gottinga tulit aluitque, quique olim curarunt, quæ ad ſacrorum religionem pertinent. Tales erant poſt Reformationem religionis Iac. *Corduvvagius*, Henr. *Winckel*, Iuſtus *Winther*, Io. *Sutelius*, Ioach. *Merlinus*, Cyriac. *Pflaumkern*, Hier. *Ratichius*, Theodoſ. *Fabricius*, Henn. *Tegetmeier*, Iuſtus *Groſſcurdus*, Frid. *Sengebahr*, Theodor. *Berckelmann*, Berthold. *Iani*, Henr. *Tollen*, Chriſtoph. *Fiſcher*, Phil. Lud. *Boehmer*, & Paul. *Müller*.

Gottfriedi WEBERI Quæſtio hiſtorico theologica, quot annis Chriſtus in his terris viſibiliter cum hominibus converſatus, & quoto miniſterii anno crucifixus ſit. Berolini 1697. Cui illuſtrationis loco additum Itinerarium Chriſti in diebus vitæ. Statuit vero auctor, Chriſtum in terra vixiſſe 33. annos cum dimidio, vidiſſe 4. paſchata, & crucifixum eſſe, cum 3. annos ac fere dimidium muneri ſacro operam dediſſet.

Gottfried *Weber*, philoſophiæ magiſter, & Gymnaſii berolinenſis rector, claruit verſus finem ſæculi XVII.

Sam. WERNERI Sermo de ſtella magorum, & qui cum hac quodammodo comparari poſſunt, cometis. Regiomonti (1681.) In ſpecie etiam hic agitur de illo cometa, qui fulſit in fine anni 1680. & in principio anni 1681. Neque vero auctor Sermonem hunc ipſe edidit, ſed Georg. Frid. *Maſerus*, Brandenburgo-marchicus, & S. theologiæ tunc ſtudioſus ex eius Prælectionibus de

 con-

concionandi methodo & Sermonibus de tempore excerpſit, excerptumque publici iuris fecit.

Sam. *Werner*, Medericia-polonus, philoſ. magiſter, & Eccleſiæ ſackheimenſis paſtor, poſt theol. doctor eiusdemque in academia regiomontana profeſſor extraordinarius, nec non Electoris brandenburgici concionator aulicus, prodire fecit Conciones de rigidiſſima hieme ac frigore maximo, de tempeſtatibus, de Principe ad bellum exeunte, ac Diſputationes de baptiſmo infantum, & ſalute infantum, ſine baptiſmo decedentium: ipſe autem deceſſit A. 1685. ætatis 47. *Witte* Diar. biograph. Xxxx 5.

EIVSDEM Iudicium veterum de capillis peregrinis, & aſcititiis, maxime Clericorum. Regiomonti 1684. In quo oſtenditur, veteres calvitium non obtexiſſe, ſed pro ſenectutis decore, prudentiæque & ſapientiæ ſigno habuiſſe, Eccleſiæ doctores comæ ementitæ neutiquam faviſſe, multo minus eam toleraſſe in Clericis; atque extremo ad obiectiones reſpondetur, quæ fere hæ ſunt: 1. Impoſſibile eſſe, penetrantem frigoris vim perferre. 2. Raſuræ defectum licere per artem ſupplere, ſicut edentulus dentium defectum poteſt ſupplere dentibus ſuppoſititiis. 3. conceſſum eſſe, pilis ovium, vulpium, aliorumque animalium contra aëris iniuriam ſe munire, quidni etiam capillamentis humanis? 4. Ex peccatillis non eſſe facienda peccata. 5. Nullum eorum, qui galericulo vel caliendro utitur, peccato id ſibi ducere. 6. In toto fere orbe nunc conſuetudine receptum eſſe, ut alieni adhibeantur capilli.

Io. FECHTII de ubertate & fructu ex eccleſiaſtica ſeculi a N. C. XVI. hiſtoria capiendo Commentatiuncula. Roſtochii 1690. Quæ quidem XI. capitibus abſolvitur, quorum 1. ſumma eccleſiæ, eius temporis principio, in fide, moribus, vita & litteris deformitas deſcribitur. 2. enarratur, quomodo in iſtis ſordibus divinæ tamen veritatis & pulchritudinis radii ſubinde emicuerint. 3. in depingendo reformationis negotio occupatur. 4. ſequuntur illuſtria huius operis præſidia & adminicula. 5. recenſetur, ut reformata religio longe lateque fuerit diffuſa. 6. exponitur, quibus tam admiranda veritatis propagatio ſubſidiis auxiliisque propagata fuerit. 7. impedimenta atque obſtacula huius operis commemorantur. 8. facies Eccleſiæ a maculis purgata, cumque venuſta-

te

te ac maieſtate lucens præſentatur. 9. in eccleſiarum a chriſtianiſmo alienarum ſtatum inquiritur. 10. alia, quæ ſive in civili vita, ſive in theatro naturæ memoratu digna acciderunt, recitantur. 11. ſubiiciuntur monumenta publica, & ſcriptores, qui conſervandæ tantarum rerum memoriæ, mentem calamumque ſuum impenderant. Hiſce adduntur Tabulæ, hiſtoriam eccleſiaſticam ſeculi XVI. repræſentantes.

Fran. Bernh. FERRARII de antiquo eccleſiaſticarum epiſtolarum genere libri III. Helmſtadii 1678. Editio nova, cum indicibus auctorum, rerum & verborum, curata a Gebh. Theod. *Meiero*. Libro I. agitur de canonicis, ſeu formatis epiſtolis: II. de reliquis eccleſiaſticis epiſtolis, ut, tractoriis, tractatoriis, paſchalibus, encyclicis, decretalibus, ſynodicis, clericis, confeſſoriis, privatis, captivorum, & commonitoriis: III. de univerſo eccleſiaſticarum epiſtolarum apparatu, ſive earum inſcriptione, ſalutatione, clauſula, & tabellariis.

CODEX CANONVM eccleſiæ univerſæ, a Iuſtiniano Imperatore confirmatus, editus nova cura Gebh. Theodori *Meieri*. Helmſtadii 1663. Ex Chriſtoph. *Iuſtelli* editione pariſina de A. 1610. repetitus, cumque MEIERI de Collectionibus canonum hiſtorica relatione. In qua docet, primam & antiquiſſimam canonum Collectionem eſſe græcam; ſecundam *Zoſimianam*, quæ cum Canones nicænos 20. ancyranos 25. neocæſarienſes 14. & ſardicenſes 21. complecteretur, per Zoſimi calliditatem titulum Canonum nicænorum gerebat; tertiam, eamque latinam, Codicem canonum africanæ eccleſiæ; quartam, Codicem canonum univerſæ eccleſiæ; quintam, Canonum Apoſtolorum; ſextam, Fulgentii *Ferrandi*: quo etiam refertur Codex Dionyſii exigui; ſeptimam, *Creſconii* epiſcopi africani Concordiam canonum. Obſervat autem, *Breviationem* dici, quando diverſorum conciliorum ſanctiones eiusdem argumenti ſub uno capite citantur, non autem recitantur; *Concordiam* vero, ubi ipſa canonum verba diſtincte recitantur: primæ collectionis auctorem ignorari, illamque aliam eſſe a Codice ſive corpore univerſæ eccleſiæ: inter omnium diœceſium Conciliorum ſanctiones, primas ſemper fama Africanas fuiſſe: Codicem canonum univerſæ eccleſiæ, ab initio non ab univerſa, ſed ſola Eccleſia græca receptum, vim legum publicarum accepiſſe per

IVSTINIANVM Imperatorem: ſanctiones eccleſiaſticas, canonicam duntaxat auctoritatem habentes, legibus cedere, e contrario leges infra canones eſſe, ſi canonicam hi & legalem auctoritatem habeant; & hinc ſequi, Codicem canonum univerſæ eccleſiæ in omnibus legum tabulis, cum dignitate, tum auctoritate, principe eſſe loco: Canones Apoſtolorum ex pluribus anteriorum Doctorum textibus compilatos: *Dionyſium* Exiguum romanæ Sedi addictiorem fuiſſe, primumque Apoſtolorum canones Collectioni canonum inſeruiſſe, nec tamen diffiteri, plurimos illis Canonibus conſenſum denegaſſe, valdeque a Dionyſiano codice illum diſcrepare, qui ſub titulo *Codicis canonum veteris Eccleſia romana*, cura *Wendelſtini* Moguntiæ A. 1525. fuit evulgatus. Atque hanc Relationem hiſtoricam Prorector & Senatus academiæ Iuliæ in Meieri noſtri Programmate funebri appellant eruditiſſimam.

Gebhardus Theodorus *Meier*, hanoveranus, *Buchneri*, *Sperlingii*, *Trenſchii*, *Calovii*, & Io. *Meiſneri*, relicto medicinæ ſtudio, in wittebergenſi, *Scheurlii*, vero, *Schraderi*, *Conringii*, Io. *a Felde*, *Calixtorum*, *Cellarii*, *Titii*, & *Hildebrandi* in academia Iulia diſcipulus, primumque in eadem Iulia extraordinarius theologiæ moralis, deinde, impetratis iam honoribus doctoralibus, ordinarius ſacrarum antiquitatum profeſſor, doctrina & ſcriptis, præcipue autem virtutibus theologo neceſſariis talem ſe præſtitit, ut cunctorum laudes ſibi acquireret, donec tandem ſedentaria vita cachexiam paulatim induxit, cumque ea icterum & hydropem, ita ut lento morbo exſtingueretur anno 1693. cum in hac vita annos exegiſſet 60. cum dimidio. Scripta eius ſunt Analyſis librorum ethicorum Ariſtotelis, Introductio in univerſum theologiæ ſtudium, Notæ in *Concilii eliberitani* quosdam canones & aliquot *Tertulliani* libros, Monumenta Iulia, vitas Profeſſorum theologiæ & iuris helmſtadienſium exhibentia, Chiliaſmus profligatus, Caſtigatio Animadverſionum *Peterſenii*, Hiſtoria religionum, Tractatus de legibus, & Diſputationes cum philoſophicæ, tum theologicæ. *Pipping* Memor. theologor. p. 534.

EIVSDEM Liber de tribus novellorum naſcentis eccleſiæ Chriſtianorum initiamentis, baptiſmo, catecheſi & manuum impoſitione. Helmeſtadii 1690.

Lo-

Pag. 21. Inde nuper *Variarum lectionum acervum accumulare inſtituerunt μικρολογως diligentes.* Quaſi vero *typographorum errata* & falſariorum corruptelæ in Variantibus lectionibus ſint habendæ.

d. In nupera Amſtelodami a Neophotinianis curata N.T. editione, vel *centum loca ſunt corrupta, tantum perverſa diſtinctione & interpunctione. Callidum conſilium hæreſin propagandi.*

Loquitur de re, *quam non ſatis examinavit*, ſicut abunde videri poteſt in Præfationibus editionis oxonienſis & D. Millii, ubi iſta obiectio ſatis eſt refutata. *Clericus* Biblioth. choiſie T. XXIII. 217.

Ego provoco, quicunque ſit, *ad indicandum vel unum locum, quem Curcellæus* conſilio & data opera corruperit. *Clericus* p. 218.

Phil. MVLLERI Chriſtliches Memorien-recht, Chriſtianum ius memoriarum. Ienæ 1696. Memoriarum videlicet Cæſarum, Regum, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, & aliorum piorum ac præſtantium hominum, qui teſtamento quid legarunt pro urbibus, terris, reſidentiis, epiſcopatibus, monaſteriis, collegiis, aliisque dominiis ſacris, pro academiis & ſcholis, pro domibus, in quibus mendici, ægroti, ſenes, orphani, peregrini aut exules aluntur, pro ergaſtulis, communi patria, proprio ordine, familia, & communitate, pro liberatione captivorum, miſſionibus ad converſionem infidelium, pro annuis eleemoſynis, aliisque piis erogationibus, eum in finem, ut ſui aliique ad devotionem exſtimulentur, ipſi autem quietum vitæ exitum obtineant, nominisque ſui commemoratio coram Deo & hominibus honeſtis rite ac laudabiliter fiat, & ad poſteros propagetur.

Phil. *Müller*, Sangerhuſæ Thuringorum nobili genere natus, ſed brachiis cute & carne exutis, (nam hoſtili terrore percuſſa mater fœtum immaturum peperit) ideoque toto triennio uberibus parentis lactandus, ſed & ſic ad eximia ſervandus, primum fuit paſtor eccleſiæ islebienſis, deinde eloquentiæ & poëſeos profeſſor in academia ienenſi, porro præpoſitus & prælatus monaſterii B. Virginis ordinis Præmonſtratenſium in urbe Magdeburgo & profeſſor theologiæ extraordinarius, tum, pileo doctorali decoratus, ordinarius, multas emiſit Diſputationes, tam philoſophicas,

cas, quam theologicas, ut, de amore ſui, de pluralitate religionum in eadem republica, de colloquio cum mortuis, de poculo ſalutis, de oſtraciſmo, Bene & male dicta *Machiavelli* in Principe, *Machiavellum* ariſtotelicum de flagitiis dominationis, Crocodilum lacrimantem ſeu ſinceratorem, de iure puniendi liberos propter peccata parentum, de inutili curioſitate Iac. *Maſenii*, de præſcriptionibus contra Luc. *Opalenium*, de diffidentia modica, de immutatione ſuperſtitum in fine mundi, Theſes de theologia compendiaria, & tractatum, quem inſcripſit Fang der Ehe, obiitque Ienæ in cœlibatu A. 1713. ætatis quaſi 73.

CXXIV.

Caſp. SAGITTARII Introductio in Hiſtoriam eccleſiaſticam & ſingulas eius partes. Tomus I. & II. Volumina duo. Ienæ 1718. I. Tomus dat notitiam ſcriptorum veterum atque recentium, qui vel hiſtoriam eccleſiaſticam univerſam, vel regnorum, aliarumque provinciarum, urbium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Superintendentium, monaſteriorum, Imperatorum, Pontificum & Cardinalium romanorum, hæreſium, conciliorum, colloquiorum hiſtoriam illuſtrant. II. exhibet Supplementa Tomi primi, eiusdemque continuationem (a pag. 707.) de conciliis & colloquiis. Supplementa collecta fuerunt a venerando Abbate, Io. Andr. *Schmidtio*, partim ex iis, quæ Sagittarius exemplari ſuo annotavit, partim ex *Sluteri* Propylæo; eiusdemque eſt Continuatio de conciliis & colloquiis: D. Theodoro *Haſæo* autem in Supplementis quatuor capita debentur, XIX. videlicet, XX. XXI. & XXII. Reſtat adhuc Tomus III. cuius erit tradere notitiam auctorum de ritibus, aliisque antiquitatibus eccleſiaſticis, perſecutionibus, martyribus, & martyrologiis, Sanctis, hierarchia eccleſiaſtica, & ordinibus religioſis utriusque ſexus. *Acta erudit.* A. 1695. 139. A. 1718. 415. *Narrat. innoc.* A. 1718. 153. *Nova biblioth.* T. X. 345. 388. *Bibliotheca Schraderiana* P. I. M 8. & Io. *Moller* Hypomnem. ad Morhofii Polyhiſt. librum V. p. 125. Ceterum notandum, pag. 96. magnum illum ICtum, qui pupugit iudicium Bœcleri, eſſe Io. *Strauchium*: p. 347. virum fide dignum, a quo id Sluterus acceperit, eſſe Io. *Fabricium*, parentem meum: p. 520. Ioannis *Magni librum de Vitis pontificum Suecia*, eundem eſſe; qui Hiſtoria

ſtoria metropolitana. Io. *Moller* Præfat. in Biblioth. ſeptentr. erud. 76. p. 699. Lud. *Iacobi Bibliothecam pontific.* non tantum Toleti eſſe editam, ſed etiam repetitam a *Baluzio* Miſcellaneorum libro III. p. 968. Virum, qui de ſacris obſcoenis librum ſcripſit, eſſe Io. *Saubertum*, tunc temporis profeſſorem helmſtadienſem; qui vero eius editionem diſſuaſit, Hermannum *Conringium*: p. 1156. Sectæ Priſcillianiſtarum obviam itum *factu*, dum ſcilicet Priſcillianus capite plexus, ut magia & blaſphemiis infamis. *Bibliotheca Schrader.* P. I. N. 7.

Pag. 11. Socrates *Novatianis favet.*	*Contrarium* tenent *Valeſius* de Vita & ſcriptis eius, atque in Annotationibus p. 35. *Cave* 240. & G. *Arnold* T. III. 7. 19.
120. Io. *Funccius* Chronologiam ſuam produxit *ad annum* CIϽIϽLX.	*Ad annum* CIϽIϽLXX.
137. Dubito, *an* Henr. Buntingius *præſens ſeculum* (XVII) morte ſua attigerit.	Obiit *anno* 1606. ætatis 61. *Leuckfeld* in eius Vita A 4.
279. M. Ludov. Lucius Centurias Magdeburgenſes *fideliter* recenſuit.	*Secus videtur* Io. Gottl. *Mollero* de Centuriis Magdeburg. p. 15.
282. D. Gebh. Theodor. *Meierus* jam a compluribus annis *in continuandis Centuriis Magdeburgenſibus occupatus eſt.*	Sic *fama* ferebat. Et bene *Editor atque Continuator* huius operis, Tomo II. p. 136. fatentur, non unius viri eſſe hunc laborem.
684. Stephanus Curcellæus, *Socinianus famoſus.*	Sandius quidem in Bibliotheca Antitrinitariorum p. 109. Socinianis eum adnumerat; ſed ipſe *Curcellæus aliud profitetur* lib. II. Inſtitut. relig. chriſtianæ c. 19. & 20.
743. His libris (M. Ant. de Dominis) *ſequentes ſenarii præfixi ſunt.*	His libris *icon auctoris & ſequentes* ſenarii præfixi ſunt: *& alia. Bibliotheca Schraderiana* P. I. N. 7.

Pag. 743. Scriptura, Patres, Concilia nolunt *cogi*.	Nolunt *tegi*.
823. Ob Servetum A. 1553. Genevæ *capite plexum*.	*Combuſtum:* ſicut & infra dicitur, p. 823.
921. Georgius Conradus *Difeldius*.	*Dilfeldius*.
In Iſagoge ad Hiſt. Cimbr. *pag.* 170.	*Parte* II. p. 170.

CXXV.

Rabbi LIPMANNI ספר נצחון i. e. Liber victoriæ, oppoſitus Chriſtianis, Sadducæis, atque aliis, (Atheis videlicet & Caræis) editus a Theodorico *Hackſpanio*, cum eiusdem Tractatu de uſu librorum rabbinicorum, tanquam prodromo Apologiæ pro Chriſtianis adverſus Lipmannum, triumphos ſomniantem. Altdorfii & Norimbergæ, A. 1644. Altorfi nempe impreſſus eſt liber rabbinicus, & quidem, deficiente perito typotheta, characteres, quos Academia illa nobiliſſimi viri, Io. Iod. *Schmidtmaieri* munificentia poſſidet, poſiti ab eruditis ſtudioſis, M. Io. Henr. *Blendingero*, M. Thoma *Hopfero*, Georg. Matthia *Kœnigio*, M. Io. *Friſchmuthio*, & M. Sebaſt. *Snellio*; Prodromus autem Noribergæ. Et quo Hackſpanius modo obtinuit illum codicem, alias rariſſimum? Pia, ut vocant, fraude, qua eum rabbino Schnettavienſi, qui interdiu theſaurum ei ſuum monſtraverat, nocturno tempore abſtulit, donec deſcriptus eſſet, exiſtimans, fas eſſe, libros chriſtianiſmo oppoſitos quacunque arte Iudæis extorquere, cum *Helvicus*, Io. *Gerhardus* & Balth. *Meiſnerus*, ſtatuant, ea demum lege recutitos intra Chriſtianorum pomœria ferendos eſſe, ſi miſſis contra Chriſtum eiuſque ſequaces blasphemiis, libros reconditos Chriſtianis exhibeant, ſive illi iudaiſmo expugnando ſerviant, ſive chriſtianiſmo ſint oppoſiti. Diſtinguendum autem eſt præſens Nizzachon 1. a MSto illo Academiæ argentoratenſis, quod *Wagenſeilius* deſcripſit, atque in Telis igneis ſatanæ edidit. 2. a Nizzachon *Matathiæ*, ſive Matthiæ. 3. a Nizzachon Synagogæ hanovianæ. Et confutatum eſt hoc noſtrum aliquot in locis a Seb. *Snellio*, Chriſtiano *Schotano*, Stephano *Bodeckero*, epiſcopo brandenburgico, circa annum Chriſti 1435, Io. Conr. *Wackio*, & Io. *Friſchmuthio* in diſſertationibus ſuis;

Digitized by Google

ſuis; ne quid dicam de Rich. *Kiddero* in Demonſtratione Meſſiæ. Vide *Hackſpanium* Præfat. in Prodromum p. 218. & I. C. *Wolfium* Biblioth. hebr. 735.

Lipmann, qui plenius a Iudæis vocatur Rabbi *Iom Tov Lipmann*, rabbinus mulhuſanus, vixit circa annum mundi 5159. Chriſti 1399. ac præter Nizzachon ſcripſit Commentarium in R. *Iehuda Chaſid* Canticum unitatis, pollicitus etiam Commentarium in Pirke Avoth, tantique a Iudæis æſtimatur liber Nizzachon nefarius, ut verba eius dicant fundata eſſe ſuper baſes auri ſolidiſſimi. Stilus auctoris minime eſt vulgaris, atque adeo perquam difficilis, quin etiam conciſus, mixtus, vix ut appareat, talmudiſtam ne, an rabbinum vulgarem audias; adeo gaudet capiturque alternis. *Hackſpan*, Præfat. in Prodromum p. 220. *Wolfius* l. c. p. 734. *Kœnig* 475.

Theodoricus *Hackſpan*, vinarienſis, Dan. *Schvventeri* diſcipulus, eiusdemque in profeſſione linguarum orientalium feliciſſimus ſucceſſor, (tanta enim linguæ ſacræ, nec non rabbinicæ, ſyriacæ, chaldaicæ & arabicæ peritia erat conſpicuus, ut, qui propius illum noſſent, parem ipſi facile reperiri non crederent, præſertim quum, exemplo rariſſimo, philoſophus acutiſſimus ſimul, & nitidiſſimus fuerit orator) poſt etiam theologiæ profeſſor, non ſatis habuit, theſauros eruditionis ſuæ mira facundia auditoribus ſuis diſpenſare, niſi etiam libris & tractatibus ſcribendis eos latius diſpergeret: inter quos ſunt Specimen theologiæ talmudicæ, Fides & Leges Mahomedis, præmiſſis Inſtitutionibus arabicis, Sylloge diſputationum theologicarum & philologicarum, Notæ philologico theologicæ in varia & difficilia Scripturæ loca, Miſcellanea ſacra cum Exercitatione de Cabala, & Interpres errabundus. Qui ſcripta eius legunt, facile deprehendent, virum multivaria eruditione & ſumma ακριβεια præditum fuiſſe, nec tantum ultra vulgus ſapuiſſe, ſed etiam ultra ſortem mediocriter doctorum. Vnde & a præſtantiſſimis æſtimatus eſt, hodieque æſtimatur viris. Et maiora ille ſine dubio præſtitiſſet, niſi & temporum malignitas, & calamitates domeſticæ, & valetudinis imbecillitas obſtaculum attuliſſent. Laboribus ergo & adverſis fractus atque attritus obiit A. 1659. ætatis 51. *Spizelius* in Templo honoris reſer. 388. & *Witte* Diar. biograph. Nnn 2. Laudatur non tantum a *Spizelio* l. c. ſed etiam

a I. M. *Langio* de Fabulis mahhammæd. p.16. I. B. *Carpzovio* in Epiſt dedicator. Iuris Regis Schickard. a 2. F. V. *Calixto* Demonſtrat. liquid. 61. *Scherzero* in Operæ pretio orient. 87. Io. *Sauberto* de Sacrificiis veterum c. XI. p. 262. *Schurzfleiſchio* Epp. arcan. P. II. 201. & Io. *Clerico* Bilibra veritatis & rationis de phraſi ממרא דיי p. 194. atque in Tomo XVI. de la Bibliotheque ancienne et moderne, p. 356.

CXXVI.

Sebaldi SNELLII Particulæ quædam *Nizzachon Lipmanniani* latine verſæ. Altorfii 1643. 1644. 1645. Illæ autem attingunt Gen. II, 17. libros Ieſaiæ & XII. Prophetarum: Ioſuæ, Iudicum, Samuelis, Regum, Ruthæ, Iobi, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Cantici canticorum, Threnorum, Eſtheris, Eſræ, & Paralipomenon libros: item libros Ieremiæ, Ezechielis, Pſalmorum, & Danielis.

Sebaldus *Schnell*, ſive *Snellius*, noribergenſis, *Hackſpanii* diſcipulus, & alumnorum noribergenſium in academia altorfina inſpector, proximum a Profeſſoribus locum habens, compoſuit doctiſſimum tractatum contra *Abarbanelem*, in quo argumenta eius contra fidem chriſtianam erudite examinat ac refutat, atque ut corpore erat infirmo & gibboſo, ita minime vitam in longum produxit: deceſſit enim anno 1651. ætatis 31. *Kœnig* 761. *Wolfius* Biblioth. hebr. 735. Cum ſupremis in philoſophia honoribus, qui magiſterii nomine veniunt, cohoneſtandus eſſet, Georgius *Noeſſlerus* non dubitavit eum magnifico ICto & Vniverſitatis altorfinæ Procancellario Georgio *Richtero* commendare, (de quo vide Epiſtolas Richteri p. 300.) ut præſtantiſſimum & doctiſſimum, eumque numeravit inter Candidatos forteſque bonoſque. Quid? audiamus etiam *Wagenſeilium*, qui hominem intus & in cute novit, eiusque dona ſatis ſuperque perſpecta habuit, quam egregio eum ornet encomio, in Præfatione in Correctiones, quæ Sotæ ipſius additæ ſunt, p. 4. ſcribens: *Sumſit tamen animum* (difficilem Lipmanni librum transferendi in latinum) *vir ante multos eruditione, pietate vero, ita me fides, ante omnes, quos nobis uſquam gentium videre contigit,* Sebaldus Schnellius, *ad bonam mentem & philoſophiam magiſter quondam noſter* (quando & Wagenſeilius inter alumnos erat) *fideliſſimus. Cumque in latinam linguam Lipmannum convertendi, circa IIX. numerum*

rum initio feciſſet periculum, eaque res ſucceſſiſſet ex ſententia, urſit gnaviter cœptum opus, & ſolis, qua in Pentateuchum antagoniſta noſter effutiit, exceptis, cætera eiusdem omnia donavit latinitate. Præſtitit vir ſanctiſſimus plura, quam licebat ſperare, nec meliorem mihi ex libro tam mendoſo verſionem procudiſſent, ſi omnes hebraice eruditi contuliſſent operas.

Ioannis FRISCHMVTHII Diſcurſus de Rege eligendo & deponendo. Ienæ 1653. Eſt ille ex *Deuteronomii* capite XVII. atque Ebræorum commentariis, Chriſtianorum manibus haud ita tritis conſcriptus, & quaſi ſpicilegium poſt meſſem clariſſimi apud Tubingenſes profeſſoris Wilh. *Schickardi*, qui de Iure Regum Hebræorum librum publicavit Argentinæ anno 1625. Lectu etiam digna eſt Epiſtola dedicatoria auctoris noſtri, in qua teſtimoniis ex Iano *Druſio*, *Schickardo*, & *Luthero* allatis oſtendit, profeſſoris ebrææ linguæ officium non in hoc conſiſtere, ut in grammaticis conſeneſcat rudimentis, ſed ut ad res ipſas, quarum gratia verba inventa ſunt, aſcendat, ſcripturas ſacras ex ſuis fontibus interpretetur, quasvis verſiones ſecundum illos emendet, & Iudæorum depravationes confutet ac refellat.

Io. *Friſchmuth*, Werthemio-francus, Chriſtoph. Adami *Ruperti*, & *Hackſpanii* diſcipulus, primum rector ſcholæ oppidanæ ienenſis, mox autem in academia illa græcæ atque orientalium linguarum profeſſor, multas ſcripſit doctiſſimas exercitationes, quas uno volumine, VI. Decadibus comprehenſas, denuo edere conſtituit; ſed morte præventus exſecutionem huius inſtituti iis, ad quos hæc res pertinet, reliquit, ipſe autem, miſſis caducis, plenus gaudii, plenusque votorum ad æterna tranſiit anno 1687. annos natus 68. cum dimidio. Vide *Programma* in funere eius poſitum, atque a *Gœzio* in Elogiis philol. hebr. p. 17. repetitum, *Zeumerum* Vit. philoſ. ien. p. 101. *Kœnigium* 319. & *Wittium* Diar. biograph. Aaaaa. *Crenius* Friſchmuthium noſtrum, Animadverſionum P. III. 185. doctiſſimum confeſſione omnium virum appellat; Chriſtoph. *Arnoldus* in Epiſtola ad Conr. *Frommüllerum* p. 8. τον πανυ. *Seldenus* vero abiectius de eo ſentit, lib. III. de Synedriis vet. Ebræorum c. 12. p. 114. ſcribens: *Prodit, dum hæc noſtra ſub prelo calent, de rege eligendo & deponendo diſcurſus, ebraica Reip. quomodocunque aptatus, auctore* Io. Friſchmuth, *profeſſore Ienæ germano, qui ſententiis Talmudico-*

rum receptioribus, tam de bello a rege qualicunque pro libitu ſuo gerendo, quam de aliis ad Ius Ebraeorum regium attinentibus, ſui ipſius commenta (illorum ſcriptis iuridicis minime ſatis inſtructus, ut ex ipſo liquet diſcurſu, nimisque inaſſuetus) anteferre libentisſime amat. Qui volet, eum conſulat: & qui poterit, de eo indicium ferat. Sed nos ei opponimus Io. Bened. *Carpzovium*, qui in notis ad W. Schickardi Ius regium Hebræorum p. 4. Friſchmuthium noſtrum defendit ac laudat, his uſus verbis: *Eius* (Abarbanelis) *ſententiam amplexus eſt, & propugnavit V. CL.* Io. Friſchmuth, *prof. ienenſis, erudito libro de Rege eligendo & deponendo, ante hos* 20. *annos edito, quem immerito ſuggillavit* Seldenus lib. III. de Synedr. vet. Hebr. c. 12. p. 195. *Longe aequius iudicium de eo tulit* Voetius parte VI. diſpp. ſelect. p. 228. *ubi egregium hoc ſcriptum* (ſunt verba eius) *lectori iſtarum rerum avido commendat.*

EIVSDEM Oratio inauguralis de pontificatu Moſis. Ienæ 1673. Scripta & dicta in illuſtri ſalana A. 1649. atque in ea diſputatur contra Bartoldum *Nihuſium*, qui irrito conatu & fruſtra pontificatum illum aſſeruerat.

Conradi FRONMVLLERI de diverſis ſententiis Rabbinorum, in quibus ſibi invicem contradicunt, II. Epiſtolæ ebraice ſcriptæ, una exploratoria, altera reſponſoria ad R. *Henoch* Ben Levi. Inſerta eſt etiam Epiſtola ipſius huius Rabbi, una cum verſione ſingularum epiſtolarum, & Epiſtola commendatitia Chriſtoph. *Arnoldi*. Altorfii 1679. Nimirum Fronmüllerus petit a rabbino, doceat ſe, uter duorum Rabbinorum, ſibimet invicem contradicentium, veritatem explicet; ſed hic ita reſpondet, ut nihil dicat. *Menaſſe* autem Ben Iſraël negat doceri apud Iudæos, ſi duo Rabbini contrarias habeant ſententias, utrique adhibendam fidem, eorumque verba, etſi contradictoria, eſſe verba Dei; mox tamen, quum urgeretur, conceſſit, talia dicta fuiſſe eo fine, ut vitaretur ſchiſma inter Iudæos, (quod accidere potuiſſet, ſi facile a ſententia Rabbinorum liceret diſcedere) adeoque dicta hyperbolice. Vide Collationem *Deſpagnii* cum *Menaſſeh* Ben Iſraël, Volum. I. operum Deſpagnii p. 114.

Conradus *Fronmüller*, noribergenſis, natus in Mittel-Diſchach, Dan. *Schvventeri* diſcipulus, paſtor eccleſiæ poppenreuthenſis in terri-

territorio noribergenſi, obiit A. 1681. ætatis 72. & laudatur ab *Arnoldo* & R. *Henoch* Ben Levi ob ſtili ebraici nitorem atque elegantiam, atque ille præterea teſtatur, audiſſe ſe compluries ex Wagenſeilio, Epiſtolas Fronmülleri maximi apud ipſum eſſe ponderis.

Iani DERNHAEVI S. B. Diſſertatio epiſtolica ad amicum ab E. P. S. de oratione Caſparis *a Lilien*, ſuperintendentis eccleſiarum ſuperioris Burggraviatus norici, quam habuit de Syncretiſmo in frequentiſſima Paſtorum Synodo Baruthi d. 11. octobris A. 1672. Pſeudonymus hic videtur eſſe unus ex Reformatis: horum enim cauſſam defendit, ſummum illum in territorio baruthenſi theologum & ſuperintendentem eccleſiarum generalem iubens deſcendere in ſe, & animum ſcrutari ſuum, an orationem illam non ſcripſerit recitaveritque eo fine, ut ſub odioſo ſyncretiſmi nomine odium erga pacem & concordiam eccleſiaſticam excitaret apud ſymmyſtas ſuos; eidemque exprobrat duo, ut vocat, abſurda, quæ in eadem exſtent oratione, quorum primum eſt, *Syncretiſtas* (i. e. Reformatos) *verbis concordiam ſonare, re ſervitutem exigere, & in exilium innoxios eiicere*; alterum, *omnia hactenus enumerata ſcripta Syncretiſmo oppoſita ſolide refellere debere, ſi poſſint, ſyncretismi fautores & architectos.*

Io. Rudolphi STVCKII Dulce triennium, ſeu diſputatio de hiſtoria Concordiæ witebergenſis, qua controverſia ſacramentaria non nihil compreſſa fuit. Tiguri 1647. Per dulce triennium intelligit annos 1536. 1537. & 1538. quorum illo inita fuit concordia Wittebergæ; iſto celebratus conventus ſmalcaldienſis, in quo Lutherus eiusmodi de ſacramento altaris ſententiam propoſuerit, quæ cum Helvetiorum confeſſione pulchre & amice conſpiret; hoc conventus Tiguri inſtitutus, in quo deliberatum, quid Luthero reſpondendum eſſet: atque ita reſponſum eſſe, ut Lutherus ne verbulo contradixerit. Quod autem proximis ab hoc triennio annis Eccleſias helveticas, & nominatim *Zuinglium* denuo inſectatus ſit, id eum, non ab Helvetiis, qui pactis fideliter ſteterint, ſed ab hominibus male feriatis adverſus Helvetios irritatum, feciſſe, *Melanchthone* interea, *Bucero, Crucigero, Frechto, Muſculo, Gervaſio*, & aliis, tum Saxoniæ, tum ſuperioris Germaniæ, theologis, dulciſſimam cum Helvetiis concordiam conſtanter tuentibus.

Io.

Io. Rudolphus *Stuckius*, Tiguro-helvetius, primum paſtor in patria urbe, deinde Rhetorices & Logices, porro ſacræ theol. profeſſor, tandemque ſcholarcha & bibliothecarius, ſcripſit Commentarium in Synopſin *Breitingeri*, Examen Dialogi de religione, & varias Diſputationes, vir æque moderatus, ac doctus, (erat autem doctiſſimus, & concordiæ amantiſſimus) obiitque A. 1660. ætatis 65. *Witte* Diar. biograph. O o o 4.

EIVSDEM Conſideratio ſeria quæſtionum, de quibus in Colloquio lipſiaco, A. 1631. inter theologos ſaxonicos, brandenburgicos, & haſſiacos inſtituto, non convenerat. Tiguri 1655. Quæ diſputatio etiam inſerta eſt Prodromo irenicorum tractatuum Io. *Durai* p. 538. Tres autem illas quæſtiones, ad ſcholaſticam potius ſpeculationem, quam ad ædificationem eccleſiaſticam, vel ad hominis chriſtiani ſalutem pertinentes, indicat eſſe ſequentes: 1. de modo percipiendi corporis & ſanguinis Chriſti. 2. de Chriſti ſecundum humanam naturam omnipræſentia. 3. de electione ex fide prævisa. Vnde hæc deducit poriſmata: 1. Lutheranas eccleſias non eſſe irreconciliabiles. 2. etſi plures controverſiæ moveri poſſent, de quibus inter Lutheranos & Reformatos agatur, tamen illas tanti non eſſe momenti, ut eccleſiæ tranquillitatem diutius turbare debeant. 3. abeſſe a piis debere αὐθαδείας & φιλονεικίας i. e. pertinaciam & ambitioſam vincendi contentionem.

Io. Frid. MIEGII Conſideratio exegetica vaticinii Bileamici de ſtella & ſceptro, Num. 24, 18. 19. Heidelbergæ 1669. Stellam de Meſſia, Sceptrum de eius regno interpretatur.

Io. Frid. *Mieg*, S. theol. D. ſanctæque linguæ & hiſtoriæ eccleſiaſticæ in electorali heidelbergenſi univerſitate profeſſor ordinarius, claruit medio ſæculo XVII. & amplius.

Sam. STRIMESII Tractatus theologicus de regeneratione. Francofurti ad Viadrum 1671. Conſtat III. diſputationibus, quarum prima agit de regeneratione in genere; ſecunda de converſione; tertia de præparatione.

Eliæ GREBENITII Diſputatio de fide temporaria. Francofurti ad Viadrum 1672.

Elias *Grebenitz*, natus in pago Hansberga, haud procul a Regiomonto Novæ Marchiæ diſtante, primum philoſ. deinde theologiæ

Digitized by Google

logiæ in academia francofurtana profeſſor & doctor, ingenio vir ſagace, promto, ſibi conſtante, intrepido, quamvis corporis iuſto obeſioris habitudo a ſtudiis eum revocare potuiſſet, tanta eorum tamen cupiditate flagravit, ut ne quidem prolabentibus eam viribus remiſerit, cumque provectior ætas ſcribendi laborem ferre non poſſet, amanuenſibus multa dictare conſuevit. Exinde magis magisque elanguit, corruptis humoribus afflictus atque oppreſſus, & poſtquam aliquandiu progrediendi in publicum facultate privatus eſſet, invicta animi conſtantia finem vitæ exſpectavit, isque venit anno Chriſti 1689. qui ei magnus erat climactericus. I. C. *Becmann.* Notitia univerſit. francofurt. p. 170. *Witte* Tomo II. Diarii biograph. p. 174. Ex eius ſcriptis, quorum indicem duumviri dant modo dicti, & ille quidem in Catalogo Bibliothecæ publicæ univerſitatis francofurtanæ p. 128. eminent Collegium politicum, Tractatus de Chriſto ἀναμαρτήτῳ, de Vniverſalis gratiæ negatione, de Conſenſu fundamentali Proteſtantium, de Deo, quod non ſit cauſa peccati, Inſtructio de eccleſiis reformata & lutherana, eiusque Defenſio contra Andr. *Mullerum*, & Invincibilis perſeverantia ſanctorum contra Alb. *a Burgh* f.

Epiſtola ad ſtudioſum aliquem academiæ altorfinæ, qua *Schopperiana* theſes de S. cœna examinantur. A. 1705. Autor huius Epiſtolæ eſt Reformatorum quis, & labore ſuo modeſte graviterque defungitur. Iacobus autem *Schopperus*, S. theol. D. & prof. altorfinus, Theſes ſuas A. 1604. die 5. Iunii diſputandas propoſuit.

CXXVII.

Mart. LVTHERI Enarratio pſalmi LI. edita primum a Vito *Dieterico*. Argentorati 1538. Recuſa Helmſtadii, auſpiciis ſereniſſimi Ducis Brunſv. & Luneb. Rudolphi Auguſti, ab Hermanno *von der Hardt* 1701.

R. ABARBANELIS Commentarius in Nahum, Latio donatus a Io. Diderico *Sprechero*. Helmſtadii 1703. Cum ipſo Abarbanelis Commentario rabbinico.

R. Don *Iſaac Abarbanel*, quem alii vocant *Abarbenel*, *Abarbinel*, *Abravanel*, *Abrabaniel*, *Abrabinaël*, filius Iudæ, ex ſtirpe Davidis regia, ſi ipſi & civibus eius credimus, oriundus, Vlyſ-

ſipone natus, Regis quidem ALPHONSI V. fuit conſiliarius, & negotiis aulicis tractandis admotus, ſed a ſucceſſore pulſus in exilium, quod poſtea repetitum fuit in Hiſpania & Neapoli, ita ut Venetias ſe recipere cogeretur: ubi compoſitione litium inter Luſitaniæ Regem & Venetorum Remp. auctoritatem ſibi magnam acquiſivit, ibidemque defunctus eſt anno Chriſti 1508. ætatis 71. ſepultus autem Patavii ſingulari cum pompa. Commentarios dedit in omnes fere libros V. Tti, Commentationes de paſchate, creatione mundi, & vaticiniis prophetarum, quæ nos de Meſſia, ille vero de redemptione Iudæorum imminente exponit; Commentarium in Pirke Avoth, & Reſponſiones ad XII. quæſita R. *Schaul*, ſacerdotis veneti. I. Henr. *Maius* in Vita Abarbanelis, *Wolfius* Biblioth. hebr. p. 627. *Kœnig* p. 1. *Acta erudit.* A. 1686. 528. *Buddeus* Introduct. ad hiſtor. philoſoph. iud. 177. *Novum muſeum* T. I. 948. *Bibliothecarius nulli parti addictus* T. I. 549. *L'Empereur* in Middoth, P. V. Miſchnæ Surenhuſ. 377. & apud Cartwright præfat. in Geneſin d 3. *Buxtorf.* apud Deylingium in Obſervat. SS. P. II. 440. *Friſchmuth* in epiſt. dedicat. diſcurſus de Rege eligendo & depon. *Lundius* Antiqq. iudaic. 67. *Palmroot* Not. in Abarbanelis Comment. in Ionæ c. 1. & 2. *Wagenſeil* Tel. ign. ſat. 74. & D. Val. Ern. *Læſcher* diſp. de antichriſto §. 12.

Ioannes Didericus *Sprecher*, natus Tangermundæ in Marchia veteri, Ienæ in humanioribus & philoſophicis audivit *Danzium*, *Schubartum*, *Poſnerum*, *Schmidtium*, *Hambergerum* ac *Treunerum*, in theologicis *Bechmannum* & *Baierum*, factoque per Italiæ partem itinere conſtitutus eſt profeſſor philoſophiæ in alma hac Iulia extraordinarius: quam ſpartam omni fide ac diligentia ornat, poſſetque, ni alia obſtarent, Theologiam Iudæorum exegeticam, Ritum recitandi celebre illud, *Audi Iſraël*, & alia edere; ſicut & prædicti *Abarbanelis* Commentarium edidit in prophetam Habacuc.

Io. Conr. DANNHAVERI Apocalypſis myſterii apoſtolici in epiſt. Pauli ad Romanos c. XI. v. 25. Wittenbergæ 1704. In cuius tractatione auctor proponit, ut eius verbis utamur, 1. Iſagogen ad hermeniam. 2. hermeniam ipſam. 3. hermeniæ carpophoriam. Hermenia autem, ſive interpretatio eius hæc eſt: Nolo vos ignorare, Fratres, myſterium hoc, *quod nunc vobis detegam, myſterium pridem ignotum, rationi paradoxum, arcanum cœleſtis curia ſtu-*

pen-

pendam, ne ſitis intra vos ipſos elato ſupercilio, quia cœcitas ſpiritualis ex parte *quoad numerum & gradum* Iſraëli *ſecundum carnem* accidit, *uſque* ad illud tempus, quo plenitudo, *ſeu magna aliqua ſylva gentium confertim in regnum gratiæ* introierit, *quo ipſo tempore currente & finito magna aliqua & ſolenni & exochica illuminatione gens iudaica obſequioſa ſerenabitur, & ſic conſtabit vaticiniis V. Ti ſua fides.* Sic totus Iſraël *Dei, non duntaxat Iſraël ex Gentibus, ſed & e Iudæis, paſſim terrarum palantibus, catervatim converſus, a Deo ſecundum præviſionem τάξεως divinæ obſervatæ electus,* ſalvabitur.

Io. Georgii DORSCHEI Analyſis ad entheas S. *Ieſaiæ* prophetias, cum Præfatione Io. *Fechtii.* Hamburgi 1703. Analyſis iſta ex operoſe collatis pene multis optimisque, tam hebræis, quam chriſtianis interpretibus inſtituta eſt, adeo ut commentarii vicem præſtare poſſit, præmiſſa ubique Apodixi, pœnitentiam urgente. Eſtque eadem prorſus methodo, qua Marcus, pertractata, ac talis, iudicio *Fechtii*, ut & brevitate placeat, & quæ difficilia dubiaque videntur, ſi aliquod in ſe contineant momentum, de iis iudicium ſuum interponat, ſcrupulosque vero ſenſui obſtantes removeat. In Præfatione D. *Fechtius* de interpretibus ſacrorum librorum verba facit, oſtendens, diverſis eos gubernari & dirigi finibus: alios enim eo collineare, ut omnes quaſi ſacri textus divitias & receſſus exhauriant, atque hos vaſta commentariorum volumina emittere, ut Alphonſum *Toſtatum* & Io. *Lorinum*; alios, ut ex linguarum ſubſidiis & contextus circumſtantiis, & fidei analogia, & argumentis aliis quibuscunque, ex frequenti Scripturæ tractatione obſervatis, verum perfectumque quorumlibet librorum locorumque ſenſum eruant, & una cum liquida rerum verborumque connexione legentis menti repræſentent, ut Seb. *Schmidium*; alios, ut ex ſolis ſacri textus præſidiis, & linguæ hebrææ arcanis, atque ex accentuum myſteriis criſin in libros biblicos, ſepoſitis interim ceteris interpretandi adminiculis, exerceant, ut Aug. *Varenium*; alios, ut verum ſenſum Scripturæ contra diſſentientium detorſiones & pſeudhermenias vindicent, ut Andr. *Prucknerum* & Abr. *Calovium*; alios, ut Notis tantum vel Obſervationibus difficilia Scripturæ dicta illuſtrent, ut Io. *Quiſtorpium*, & Andr. Dan. *Habichorſtium*; alios, ut œconomiam ſingulorum librorum biblicorum, materiæ in iis tractatæ argumentum, diſpoſitionem, & nexum complectentem, &

ſenſum in compendio exhibeant, ut Mich. *Waltherum*, & Io. Henr. *Heideggerum*; alios, ut meras paraphraſes darent, ut *Eraſmum*, Luc. *Oſiandrum*, & *Vinarienſes*; alios, ut paraphraſi obſervationes circa difficiliora iungerent, & breviora doctrinarum uſuumque indicia, ut Dav. *Chytraeum*, & Iuſtum Chriſtoph. *Schomerum*.

Iuſti Chriſtoph. SCHOMERI Exegeſis in omnes Epiſtolas S. Pauli minores. Roſtochii 1700. Edidit, & Præfationem de SS. litterarum ſtudio, in academiis exculto, duasque de eodem argumento Orationes adiecit D. Io. *Fechtius*. Et in Præfatione quidem, de academicis doctoribus, utrum in iis culpa aliqua vel neglectæ, vel contemptæ a theologiæ cultoribus lectionis biblicæ reſideat, diſquiritur, ſimulque academiæ, contra iniuſtas multorum criminationes, defenduntur. In Orationum autem priore agitur de neceſſitate & utilitate lectionis biblicæ, in poſteriore enarratur, quomodo exegeticum ſtudium in academia roſtochienſi ſemper fuerit exultum. Sique ſcire cupis, quodnam editoris propoſitum fuerit, illum ipſum conſule in Præfatione in Dorſchei Analyſin S. Ieſaiæ prophetæ, in cuius pagina 15. ſe ideo editionem hanc ait procuraſſe, ut ſtudioſa iuventus haberet compendium expoſitionis Epiſtolarum paulinarum, cum ad maiores commentarios emendos legendosque illa nec tempus, nec animum, nec ſumtus habeat.

Iuſtus Chriſtophorus *Schomer*, lubecenſis, in ſchola *Bangerti*, in academiis kilonienſi & gieſſena *Waſmuthi*, *Franckii*, *Reyheri*, Frid. *Nitſchii*, *Haberkornii*, & *Misleri* diſcipulus, poſt hauſtas diſciplinas & artes totam peragravit Galliam atque Italiam, indeque magnum obſervationum theſaurum Gieſſam reportavit. Neque tamen contentus fuit divitiis iſtis, niſi eximia iuris ſcientia & accurata theologiæ tractatione eas locupletaret, ita ut advocatum & iuris profeſſorem agere ſciret, & theologi gieſſenſes iuveni vix annos XXVI. nato, iamque abiturienti, raræ eius eruditionis intuitu, poteſtatem ultro offerrent ad ſummum in theologia decus adſcendendi. Sed ille maluit prius in patriam reverti, ibique ſanctiori ſe dicendi arte exercere, & Belgium pariter atque Angliam inviſere. Peracto autem & hoc itinere in academiam ſe contulit roſtochienſem, & impetratis honoribus doctoralibus ſtationem in ea honeſtiſſimam conſecutus eſt, profeſſor conſtitutus ordinarius,

&

& ſecutis temporibus primarius, Conſiſtorii ducalis aſſeſſor, & ſuperintendens Diſtrictus meklenburgici. In quibus muneribus quantam fidem, vigilantiam, dexteritatem, & prudentiam adhibuerit, meum non eſt effari: cum D. *Fechtius*, qui eum probe noverat, in Programmate funebri haud dubitet ſcribere: *Nihil eſſe ab illo, ſive divinas interpretaretur ſcripturas, ſive controverſiarum abdita referaret, ſive enuclearet morum diſciplinam, ſive aperiret Eccleſiæ hiſtoriam, in parte ulla prætermiſſum, quod quisquam acerrimo ingenio, pertinacibus ſtudiis, optima doctrina, maximo uſu cognitum proponere aliis & tradere poſſet; ſi quis ſit, qui univerſalem quandam variarum rerum ſcientiam eadem perfectione in unum coniunxerit, in hoc ineſſe quiddam admirabile & prope divinum, omnes recte exiſtimare:* denique, *eum eſſe theologum vere eximium, vere conſummatum.* Deceſſit autem florentiſſima integerrimaque ætate A. 1693. cum lucis huius uſura fruitus eſſet annos 45. Quid vero? Vivit adhuc in monumentis ingenii ſui, quæ ſunt Aſſertio endoxa fidei chriſtianæ de Spiritu ſancto, contra Chriſtoph *Sandium*, Commentarii in Marcum, Lucam & Ioannem, Quæſtiones in Epiſtolam Ioannis, Specimen theologiæ moralis, Exegeſis in epiſtolas ad Hebræos, Iacobi, & partem prioris Petri, Collegium noviſſimarum controverſiarum in univerſam theologiam, & Diſputationes de obiecto adorationis religioſæ, de ſemiprædeſtinatione latitudinaria, de animarum ſeparatarum ſtatu & conditione poſt mortem, de forma fidei iuſtificantis, de functionis eccleſiaſticæ & politicæ combinatione. *Pipping* Memor. theol. p. 842. *Von Seelen* Athenarum lubecenſium P. II. 298. *Fecht* Præfat. in Dorſchei Analyſin Ieſaiæ p. 13. *Acta erudit.* A. 1705. 561.

EIVSDEM Exegeſis in Epiſtolas S. *Pauli* ad Hebræos, *Iacobi*, & partem prioris *Petri*. Roſtochii 1701. Edidit, & Præfationem de academicorum Doctorum circa interpretandas SS. litteras, & inſtillandam inde tum ſacrorum notitiam, tum animi pietatem officio, Programma item de particulari defunctorum pro vivis interceſſione adiecit D. Io. *Fecht*.

Iacobi CHRISTMANNI Alphabetum arabicum, cum Iſagoge ſcribendi legendique arabice. Neapoli Nemetum 1582. Totus tractatus in tria capita diſtribuitur, quorum primum explicationem alphabeti complectitur: ſecundum præcepta ac modos

eleganter pingendi: tertium methodum legendi. Atque hæc ſunt prima rudimenta linguæ arabicæ, publicis typis edita, teſte Fran. *Iunio* in epiſtola ad auctorem, huic tractatui præmiſſa; charactères autem arabicos, præeunte auctore noſtro, in ligno ſculpſit atque incidit Conr. *Mareſchallus*, bruntrutanus, amicus eius & hoſpes in urbe Neuſtadio.

Iac. *Chriſtmannus*, Ioannisbergenſis, philoſ. magiſter, ac præter vernaculam, IX. linguarum, hebrææ, puta, chaldaicæ, ſyriacæ, arabicæ, græcæ, latinæ, gallicæ, italicæ & hiſpanicæ peritus, hanc conſecutus eſt gloriam, quod primus non tantum in Germania, ſed in tota Europa, atque in ætate iuvenili, cum adhuc eſſet ſtudioſus, inſtitutiones arabicæ linguæ ſcripſerit, atque in publicum cum impreſſis characteribus emiſerit. Cumque adeo in linguis & philoſophia exercitatus eſſet, merito ei in academia heidelbergenſi concredita fuit profeſſio hebrææ & arabicæ linguæ, nec non logicæ ariſtotelicæ: quam ille ita geſſit, ut non tantum ſtudioſæ iuventuti docendo atque informando, ſed etiam reip. litterariæ ſcriptis ſuis prodeſſet: emiſit enim *Muhamedis Alfragani* Chronologica & aſtronomica elementa cum verſione latina, ſupplementis & ſcholiis ſuis; Epiſtolam chronologicam ad Iuſtum *Lipſium*, qua conſtantem annorum Hebræorum connexionem demonſtravit, & non leves aliorum errores refutavit, Diſputationem de anno, menſe ac die paſſionis dominicæ, in qua, contra Ioſ. *Scaligerum* Calendarium Hebræorum, ſecundum proprios canones, confirmatur, & ſollemnitates menſium paſchatumque univerſæ ad veras epochas conſtituuntur; Tractationem geometricam de quadratura circuli, qua adverſus eundem *Scaligerum* nullo modo circulum quadrari poſſe demonſtrat; Obſervationes ſolares, in quibus explicatur verus motus ſolis in zodiaco, & univerſa doctrina triangulorum ad rationes apparentium cæleſtium accommodatur; Theoriam lunæ, ex novis hypotheſibus & obſervationibus demonſtratam, ut facillime verus locus lunæ in zodiaco, ſecundum longitudinem & latitudinem, quolibet tempore definiri poſſit; Iſaaci *Argyri* monachi Computum Græcorum de ſollemnitate paſchatis, cum verſione ſua latina & annotationibus; & Nodum gordium, quem ex natura ſinuum explicavit, additis Obſervationibus circa Saturnum, Iovem & lucidiores ſtellas fixas. Tam profundis ſtudiis

diis immerſus cum eſſet, mirum non eſt, eum ſolitudinem amaſſe, ne circuli ipſius turbarentur. Ceterum iis erat moribus præditus, quibus ſolent ſuperiores Rheni accolæ, apertus, frugi, hoſpitalis, immo vere philoſophus, & quidem chriſtianus; idque demonſtravit in morbo obitum ipſius antecedente: quamquam enim ictero correptus ſemeſtre fere ægrotaret, morbumque in dies ingraveſcere & augeri, ac pedes inſuper tumeſcere animadverteret, tanta hoc malum tamen patientia tulit, ut philoſophari, non ægrotare videretur: immo durante hoc morbo de ſtudiis nihil remiſit, librumque Moreh Nebochim, ex arabica in hebraicam linguam translatum, magna legit cum delectatione, placide tandem exſpirans, & quidem anno 1613. cum annum undeſexageſimum fere compleviſſet. Melch. *Adamus* in Vitis Philoſophor. p. 518.

Epiſtola S. Pauli ad Galatas, & Sex primaria capita chriſtianæ religionis, arabice & latine, Compendium item Grammatices arabicæ, auctore Rutghero *Spey.* Heidelbergæ 1583. In Dedicatione pluribus diſſerit de cognitione linguarum, in primis orientalium, & inter eas arabicæ, atque eius utilitatem oſtendit. Cum vero in Præfatione dicat, neminem adhuc inter doctos fuiſſe, qui in arabica lingua typis quid evulgandum curaret, credendum eſt, *Chriſtmanni* opuſculum tunc quidem nondum oculos eius ſubiiſſe.

Rutgherus *Spey*, bopardianus, fuit paſtor eccleſiæ ſchonavienſis, quæ ſupra Heidelbergam ex Gallis collecta, a LVDOVICO Electore palatino fovebatur.

CXXIIX.

Conſtitutiones tractatus talmudici, dicti שבת Schabbath, cum Commentariis *Maiemonidis* & *Obadia* de Bartenora, latine verſæ a Sebaſt. SCHMIDTIO: quibus textum hebræum addidit Io. Bened. *Carpzovius.* Lipſiæ 1661. Hæ erant primitiæ verſionis operis talmudici, quam *Schmidtius* animo conceperat: in qua etiam eo uſque progreſſus eſt, ut XIIX. tractatus abſolverit, ſicut ipſe hic ſcribit in epiſtola dedicatoria; idemque doctiſſimum, atque in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimum tunc iuvenem, Ioan. Bened. *Carpzovium*, ut ſe ſe imitaretur, telamque pertexeret, hortatus eſt. Nec ſane poteſt aut debet negari, Schmidtium ſtupen-

pendam habuiſſe in omni orientali litteratura, & antiquitatibus iudaicis, atque in critica ſacra peritiam; neque huic laudi, quam ferunt *Lundius* Præfat. in Antiqq. iudaic. p. 14. & Ger. *de Vries* in oratione parentali Leusdenii (in Goezii Elogiis philologorum hebræorum p. 58) detrahitur per illud, quod *Surenhuſius*, vi veritatis adductus, in præfat. in Partem I. Miſchnæ ** 3. ſcribit, CL. Schmidtium in duorum codicum Commentariis obſcuram diligentiam adhibuiſſe videri, quod hebraicæ dialecti nimium tenax eſſe voluerit: nam & ipſe in alia Præfatione, videlicet ea, quæ II. Parti Miſchnæ præfixa eſt, eum *** 2. celebrat, ut virum non minus de litteris philologicis, quam theologicis dudum bene meritum, & celebrem. Præfatio eſt prædicti *Carpzovii*, in qua Miſchnas ait eſſe Iuris Hebræorum, civilis pariter & canonici, pandectas, omnium earum verſionem a Schmidtio adornandam (tanta eius erat ſpes, tanta in præceptorem fiducia) promittit, editionem Talmudis, quam ille ſecutus ſit, indicat, & indiculum promit tam in miſchnicis, quam in commentariis huius tractatus emendandorum.

Conſtitutiones tractatus talmudici, dicti עירובין Erubhin, cum commentariis *Maimonidis* & *Obadia* de Bartenora, latine verſæ a Sebaſt. *Schmidt*. Quibus textum hebræum addidit, edidítque Io. Bened. *Carpzov*. Lipſiæ 1661. Iam ſicut *Schmidtius* in Epiſtola dedicatoria rationem inſtituti ſui aperit, ita *Carpzovius* in Præfatione ſignificationem vocis עירובין evolvit: ſignificare nimirum mixturas, aut commixta, & præſentem tractatum ideo ſic inſcribi, quoniam de rebus ad ſabbathum pertinentibus agat: his enim mixturis limites, terminos, conclavia & domus diverſas, atque a ſe longius diſtantes, quaſi unum inter ſe eſſent corpus, iungi, ut cibum ex uno in aliud deferre, & convenire invicem in ſabbatho liceat. Atque has quidem עירובי תחומין *Mixturas terminorum ſabbathi* dici, & עירובי חצירות *Mixturas conclavium*, de quibus iura & ſtatuta in præſente titulo ferantur. Sed præter has, *Ciborum* etiam *mixturas* dari, עירובי תבשילין vocatas, quibus diei feſti & ſabbathi fercula, ſi forte in veſperam huius ille incidat, pridie diei feſti commiſceantur. Præterea eadem in Præfatione ea ſuppeditat, quæ in Miſchnis hiſce corrigenda ſunt.

Sebaſt.

Sebaſt. *Schmidtii* Tractatus de circumciſione, primo V. Tti ſacramento. Argentorati 1661. Conſtat Procemio & III. Partibus. In Procemio agitur de aberrantibus circa ſacramentum circumciſionis ſub N. Tto. Prima autem pars continet expoſitionem capitis XVII. *Geneſeos*, Secunda Hebræorum traditiones ſeu conſtitutiones de circumciſione complectitur, & Tertia doctrinam de circumſionis ſacramento methodice exponit.

EIVSDEM Tractatus de paſchate, altero V. Tti ſacramento, Francofurti ad Mœnum 1685. Habet etiam tres Partes, quarum prima tum verba divinæ inſtitutionis cap. XII. *Exodi*, tum alia Scripturæ loca expenduntur; altera ritus iudaici, tam vetuſtiores, quam recentiores producuntur; tertia, ſana de hoc ſacramento doctrina methodice traditur.

CXXIX.

R. MOSIS MAIMONIDAE הלכות יסודי התורה Conſtitutiones de fundamentis Legis, latine redditæ per Guilielmum *Vorſtium*. Amſtelodami 1638. Textus ebræus, non Maimonidæ, quippe qui commentarium iſtum lingua arabica compoſuit, ſed interpretis alicuius, &, ut videtur, R. *Samuelis* filii Iudæ Timmon, (vide *Abravanelem* c. I. p. 1. & *Wolfium* Biblioth. hebr. p. 837.) hic exhibetur, & Notulæ adduntur *Vorſtii*, atque ABRAVANELIS ſcriptum de Capite fidei. Et hunc quidem libuit adiungere, tum quod argumenti vicinitate Maimonidæ valde coniunctus eſſet, ſæpiusque ille ab eo ad partes vocaretur; tum in primis, ut varietas opinionum de numero ac ſerie articulorum ad manus haberetur, atque conſenſum, adhuc a nobis poſtulatum, ab ipſis Iudæi ſciant deſiderari: nam ſi ullum, certe hoc hominum genus pugnaciſſimum eſt, in eoque videas ſæpe Doctorum turbam magno molimine de lana caprina rixari, atque in thalmudica ſilva ubique tumultuari, diſputare, ac dubia dubiis augere. Fundamenta autem legis ſive Præcepta ſunt X. 1. Eſſe Deum. 2. Non eſſe alium Deum præter Iehovam. 3. Eum eſſe unum. 4. Diligendum. 5. Timendum. 6. Nomen eius ſanctificandum. 7. Idem non profanandum. 8. Res, ſuper quas nomen Dei invocatum, non deſtruendas. 9. Prophetam, nomine Dei loquentem, audiendum. 10. Eumque non tentandum. Ceterum de verſione Abravene-

lis Vorſtiana notabis iudicium celeberrimi *Wolfii* Biblioth. hebr. p. 637. eam minus felicem, & obſcuriorem eſſe. Id quod recte indicavit *Grævius* Animadv. P. IIX. 45.

Guil. Henricus *Vorſtius*, Conradi filius, cum hæc verteret, atque in lucem publicam emitteret, fuit in ætate iuvenili, ac poſtea dedit Verſionem & Obſervationes ad Tſemach David, & Pirke R. Eliezer. Atque hic Vorſtius fuit miniſter verbi divini Warmondæ in Hollandia apud Arminianos, quem *Gentius* præfat. in ſeq. librum vocat candidiſſimum. *Lexicon univ. hiſtor.* T. IV. 641.

R. MOSIS. Maimonidæ הלכות דעות Canones ethici, ex hebræo in latinum verſi, uberioribusque notis illuſtrati a Georgio *Gentio*. Amſtelodami 1640. Eſt hic tractatus ſecundus eius operis, quod יד חזקה *Manus valida* vocatur, & auctorem habet *Maimonidem*. De primo tractatu, qui agit de fundamentis legis, paullo ante diximus. Quartus autem, de idololatria agens, a Dionyſio *Voſſio* elaboratus eſt. Et *Gentius* in Præfatione laudes huius tractatus ita celebrat: *Me ſane eius lectio ita affecit, ut, cum terque quaterque legiſſem, relegendi animus ſupereſſet; praſertim cum quædam haberet notis Chriſtianis probata, quibusdam ingrata Iudæis, immo ita inviſa, ut eos, qui illa obſervare ſtudent, & inculcant, fanaticos eſſe immerito autument.* Complectitur autem is vitæ humanæ regimen VII. capitibus, quorum 1. agit de medio, ad quod moralia collineare deceat. 2. de moderanda ſuperbia & iracundia: item de colenda taciturnitate, integritate, candore, & gravitate. 3. de officio hominis, ſive, neminem ſibi plus, quam neceſſe, aut lege divina ſancitum eſt, imponere debere. 4. de conſervanda valetudine. 5. de decoro obſervando in diæta & conviviis. 6. de piorum & ſapientum conſortio eligendo. 6. de proditione, & falſis, proximique famam lædentibus ſermonibus vitandis. Atque hæc excerpſimus hactenus ex Præfatione. Sed nec epiſtola dedicatoria nobis eſt prætereunda, quæ directa ad Gerebrandum *Anslo*: ex ea enim cognoſcimus, virum hunc felici nexu Apollinem cum Mercurio iunxiſſe, id eſt, ita mercaturam exercuiſſe, ut pariter ſtudiis litterarum operam navaverit, nec tantum græcam & latinam, ſed etiam hebræam aliasque Orientis tractaſſe linguas, & eo quidem ſucceſſu, ut *Maimonidis* de pœnitentia opus doctiſſime verterit, præterque ea litterarum cultores opibus ſuis liberaliter

foviſſe

foviſſe, & pulcherrimam pretioſiſſimamque habuiſſe bibliothecam, quæ cum aliorum præſtantium librorum, tum hebræorum & arabicorum codicum theſauro, ipſis etiam Iudæis admirando, ſuperbiens, publicas quaslibet bibliothecas magnificentia æquaverit, munificentia etiam ſuperaverit, dum herus maximi theſauri posſeſſionem ſibi ſervaret, uſum vero illius aliis etiam omnibus faventiſſime concederet, exemplo ſuo oſtendens, opes adiuvandæ ac promovendæ eruditioni, eruditionem vero opibus regendis ac moderandis, mutua quadam ac velut fraterna opera, ſicut *Apollo* & *Mercurius* fratres eſſe finguntur, inſervire debere.

Georgius *Gentius*, batavus, adoleſcens erat, hæc cum ſcriberet, ſed & latine vertit, ſine Notis, quas promiſerat, R. *Salomonis* filii Virgæ librum, qui inſcribitur שבט יהודה ſceptrum Iudæ, continentem hiſtoriam iudaicam ab excidio Hieroſolymæ: immo etiam verſionem ac notas emiſit ad *Sheich Saadi* perſæ Roſarium politicum, floruitque medio ſæculo XVII. *Wolfius* Biblioth. hebr. p. 1051. & ſeq.

R. MOSIS MAIMONIDAE Liber de idololatria, cum interpretatione latina & notis Dionyſii *Voſſii*. Amſterodami 1642. Hic liber eſt, ut ſupra diximus, quartus operis יד חזקה *Manus valida*. Et præclarum huius operis voſſiani elogium legitur in Epp. G. I. Voſſii p. 365. ſcriptum a Thom. Io. *Bangio*.

Dionyſius *Voſſius*, Gerardi Ioannis filius, natus Dordrechti, urbe Hollandiæ principe, adoleſcens præcocis ingenii, linguarum ac litterarum peritiſſimus, in latinis audiit *parentem* & Dan. *Heinſium*, in græcis, vix decennis, Io. *Meurſium*, in hebræis, aramæis & chaldaicis Conſtantinum *L' Empereur*, in arabicis *Erpenium* & Iac. *Golium*, atque, ut optime calluit hiſpanicam, gallicam & italicam, ita per ſe ſtudium armenicæ, æthiopicæ, aliarumque Orientis & auſtralium linguarum aggreſſus fuit. Cumque eruditio eius passim prædicaretur, in Dorpatenſem Livoniæ academiam, ad hiſtoriarum & eloquentiæ profeſſionem, perhonorifice invitatus, pervenire potuiſſet, niſi abſolutionem latinæ verſionis Annalium belgicorum Everardi *Reidani* oblationi iſti maluiſſet præferre. Interim, dum finita Reidani tralatione Sueciam petere decreverat, inopinato eum morbus invaſit, & mori in Chriſto, ſicut vixerat,

paratiſſimum meliores in ſedes tranſtulit Amſtelodami anno 1633. annos natum 21. & quod paulum excurrit, in hominum memoria relictis gemino Panegyrico, quorum primum ſoluta, alterum ligata oratione dixit celſiſſimo Arauſionenſium Principi, & Oratione, honori nobiliſſimi iuvenis Andreæ *Chone laski* conſecrata. Talis erat *Dionyſius* noſter, non vir, nec ſenex, ſed adoleſcens, ac ne vix quidem iuvenis, qui ſic inſtituit adoleſcentiam, ut, præter ætatis eius morem, non inane ſectaretur nomen, ſed Deo vellet probari, & probis ac doctis, in hoc uno peccans, ſuosque parentes, omnium vero maxime ſe ipſum offendens, quod medium non teneret in tractandis ſtudiis, ſed per totum ea diem usque in intempeſtam noctem, & frequenter ad horam uſque tertiam protraheret. Interim vere de eo, & in ſolatium quidem magni parentis, ſcripſit Caſp. *Barlæus*:

Sat vixit, miſero quem virtus eximit ævo,
Nec minor ingenio fama latere ſinit.
Cœperat hic ingens Latium debere inventa,
Et Taciti *quiddam grandius ore loqui.*
Græcia *ſolertes tali ſub vindice voces,*
Priſcaque dictabat verba diſertus Arabs.
Una ſacroſanctos verſans induſtria myſtas,
Nunc tibi iudæum, *nunc dabat illa* ſyrum.
Chaldæusque ſenex *iſto ſapuiſſet alumno,*
Et proprium Maimon *mox ſtupuiſſet opus,*
Iamque ſtupet, dum cuncta ſuis idola faceſſunt
Sedibus, & vani diſperiere Iovis.

Hæc debeo Præfationi Iſ. *Voſſii*, fratris eius, huic libro præfixæ. Cui adde *Bailletum* in Tractatu hiſtor. des enfans devenus celebres par leurs etudes, ou par leurs ecrits p. 357. & Ioach. *Paſtorium* in Crenii Tomo II, Methodor. p. 266.

CXXX.

Chorban Bes Hammikdaſch, ſive de devaſtatione Hieroſolymæ & templi ſanctiſſimi Hiſtoria, a Iudæis ipſis concinnata, una cum Hiſtoria devaſtationis urbis Betar & Tur Malca, nunc primum latine recenſita. Helmſtadii 1664. Translator eſt Io. SAV-BER-

BERTVS, tunc temporis profeſſor lingg. orientalium in academia Iulia: de quo actum eſt P. III. 339.

Iacobi Iehudæ LEONIS de templo hieroſolymitano Libri IV. ex ebræo latine recenſiti a Io. *Sauberto*. Helmſtadii 1665. Atque hanc verſionem acceptam referimus clementiſſimæ voluntati & auſpiciis ſereniſſimi ducis Brunſvic. ac Luneb. AVGVSTI Diſſeritur autem in libro primo de templo in genere, ſecundo de forma eius & ſtructura, tertio de conditione vaſorum eius, & quarto de ædificiis templo contiguis. Ante hebraicam & latinam prodiit editio gallica, Amſtelodami videlicet A. 1643. ſub titulo, Portrait du Temple de Salomon, ſed imperfectior, & ab hebræo prorſus diſcrepans; hiſpanica autem nunquam in lucem prodiit. Eſtque hæc delineatio maioris de hoc argumento concinnandi operis compendium, & Saubertus in Præfat. ad verſionem ſuam plenum in illam commentarium cum ſpecilegio quarundam figurarum editurum ſe pollicitus eſt, additurus præterea Epitomen, ab ipſo Leone de templo, vaſis ſacris, & veſtitu ſacerdotum conſcriptam, & unico folio conſtantem: ſed neuter conſilium ac propoſitum ſuum potuit exſequi. I. C. *Wolf* Biblioth. hebr. p. 593. Dolendum eſt, ait *Lundius* Antiqq. iudaic. l. 2. c. 4. p. 256. non meliores hic appoſitas eſſe figuras. Multæ ſunt depromtæ e Villalpando, ſed quæ cum Leonis deſcriptione minime omnium conveniunt. Vide etiam *Muhlium* præfat. in Lundium p. 7. Eorum, qui inter Iudæos ac Chriſtianos de templo hieroſolymitano ſcripſerunt, nomina reperies in *Actis erudit.* A. 1697. 450. & apud *Seldenum* de I. N. & Gent. 300. interque illos in primis laudatur R. *Moſes* filius R: Gerſon Chapetz, qui ſcripſit librum initiationis templi, ſive explicationem figuræ ſtructuræque templi ultimi deſtructi, editum Venetiis A. C. 1696. & recenſitum in *Actis erudit.* A. 1697. p. 449. Sed & Bernardus *Lamy*, presbyter Oratorii, promiſit., uti teſtantur *Acta erudit.* A. 1710. 122. deſcriptionem templi hieroſolymitani.

Lib. II. cap. 10. §. 57. p. 73. Suggeſtum æneum quadratum poſitum erat *in iſto* (ſacerdotum) *atrio*, ab orientali latere altaris.

Immo *in atrio Iſraëlitarum*, quem locum, ut Regis ſedem, ipſe indicavit R. *Leo* lib. II. c. 8. §. 51. p. 69. *Lundius* lib. II. c. 19. p. 325. b.

Vu 3 Erat

Cap. XI. §. 68. p. 79. Anguli iſtius ædificii (dorſi, ſive pomi altaris) erant *præciſi*, ut ita remanſerit quadratura *quaſi rotunda*.

Erat *quadrata*, ut angulos haberet rectos; non vero erat rotunda, pomi inſtar. Neque pomum altaris erat focus, ſed *cumulus cinerum*, in foco aggeſtus. Theod. *Daſſovius* diſp. de Altari exteriore hieroſolymit. templi §. 17.

Iac. Iehuda *Leo*, ſive *Leon*, *Leonitius*, *Arjé*, (totidem enim cognominibus appellatur) primum hamburgenſis, deinde amſtelodamenſis coetus Rabbi, ac Medioburgi verſatus, claruit fere medio ſæculo XVII. & ſcripſit Tractatum de Cherubim, Delineationem tabernaculi Moſis, Tractatum de arca fœderis, Sanctitatem laudum, i. e. librum pſalmorum hebraice, cum punctis, & Quæſtiones varias ineditas ad aſſerenda ea, quæ de templi fabrica ſcripſerat. *Wolf.* 593. *Acta erudit.* A. 1700. 131. *Sauberti* in Præfat. b. 2. iudicio, Leo noſter non tantum nulli eorum, qui de templo hieroſolymitano ſcripſerant, poſtponendus, ſed omnibus anteferendus, ſive methodi elegantiam ac brevitatem, ſeu hiſtoriæ ſuæ fontem & auctoritatem ſpectes. Atque hic Leo habuit figuram Templi hieroſolymitani e ligno affabre confectam, quæ illud ſcite atque egregie repræſentabat.

Io. SAVBERTI Variæ lectiones euangelii S. Matthæi. Helmſtadii 1672. Varias iſtas lectiones collegit auctor ex plurimis impreſſis ſcriptiſque codicibus, & cum verſionibus partim antiquiſſimis, partim præſtantiſſimis, nec non Patrum veteris eccleſiæ græcorum latinorumque commentariis contulit. Quam operam ſi continuaſſet ſuper omnes libros N. T. illa nulli alii ceſſura fuiſſet. Eidem præmiſit Prolegomena, quæ R. *Simon* Hiſt. crit. N. T. 343. vocat docta, & illuſtris Gerardus *a Maſtricht*, qui ſub litteris G. D. T. M. D. latitans, A. 1711. Amſtelodami edidit Novum Teſtamentum græcum cum variis lectionibus, Prolegom. p. 23. lectu digna, in quibus partim de origine, auctoritate & uſu variarum in græco textu lectionum, partim de primis eiuſdem textus editionibus, partim denique de codicibus & verſionibus, ex quibus præſens variarum in Matthæi euangelio collectio & collatio inſtituta eſt, diſſeritur. In Appendice tres codices verbi divini manu-

manuſcriptos in publica academiæ Iuliæ bibliotheca, ſtupenda venerandæ antiquitatis monumenta, & incomparabilia *κειμηλια*, memorat aſſervari, 1. quidem חומש ſeu V. libros Moſis ſancta ebraica lingua in membrana deſcriptos, volutaque, more Ebræorum, ſuper duobus lignis teretibus, quæ עצי חיים vulgo nuncupant. Atque hoc volumen iam ante nativitatem Chriſti exaratum fuiſſe putat, donatumque ait ſereniſſimo Brunſvic. ac Luneb. Duci Iulio a Senatu magdeburgenſi, ab illo autem Academiæ Iuliæ, munus 6000. uncialium ſeu ioachimicorum: tantundem enim Iudæos quosdam Magdeburgenſibus obtuliſſe. 2. Pentateuchum ebraice exaratum in membrana cum chaldaica verſione, ſingulis verſibus ſeu periodis ſubiuncta. 3. *Ioannis* Chryſoſtomi Homiliarum in Matthæum opus. Et quod ad primum attinet codicem, omniumque pretioſiſſimum, haud abs re erit, diſtinctius eum deſcribere, & Hermanni *Von der Hardt*, V. CL. iudicium ſubiungere. Nimirum volumen hoc legis divinæ, ſcriptum in membrana, conſtat 97. foliis, e quibus aliquot ſunt recentiora: unde illud aliquando damnum paſſum fuiſſe patet. In tergo primi folii depicta ſunt inſignia Vrbis magdeburgenſis, cum hac inſcriptione: 1573. SS. Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Dn. IVLIO, Brunſvic. ac Luneb. Duci, Domino ſuo clementiſſimo, dd. Conſulatus Senatusque veteris Civitatis Magdeburgenſis, in ſingulare monumentum antiquitatis, & perpetuam memoriam. Iam ſequitur iudicium *Hardtii: Ex antiquitate & ingenti pretio magnopere celebratum volumen legis, in noſtra bibliotheca academica cum aliis aſſervatum, æſtimari omnino magni debet, ex longa ætate, venerabili literarum ſimplicitate, antiquitatis teſte, nec non magna ακριβεια. Veruntamen ætatem Chriſti tantum abeſt ut attingat, ut nec ad vicinam accedat. Nec Iudæi ipſi hodie codicem, quales non niſi geminos ſeculo XI. oſtentabant; Feſſæ, ni fallor, & Cæſarauguſtæ, ex ætate Hillelis iactare vel oſtentare auſint. Mea quidem ſententia, noſtrum volumen ſeculo IX. aut X. non eſt antiquius: eſt enim plane maſoreticum, ad recentis Criticæ illius iudaicæ regulam exacte compoſitum. Nec enim diu ante illam ætatem multum ſtudii in ſcribendis codicibus ſacris adhibuere, qui exiliorum mole preſſi ſuas res, literas præcipue ſacras, tantum non dedidicerant, certe neglexerant. Chriſti Hilleliſve tempore, nec voces adhuc dum diviſæ, nec literæ finales ſubſtitutæ, puto, nec reliqui, ſuperſtitioſi plerique, cabbaliſtici charracte-*

racteres literis mixti, nec vocalium indicia antiqua eliminata. Recentius igitur avum criticum undiquaque ex noſtro codice pellucet. Ea vero ſcriptoris fuit ſollicitudo, ut, cum ad Maſora tenorem exactisſime adornaret, ne literam corrigere neceſſum haberet, ut ſine omni macula, quod rarisſimum, purisſimus compareat: quod devotiorem autem ſuperſtitionem ſcribentis arguit. Hinc tam grande apud Iudaeos & huius codicis pretium. Hactenus ille.

In Prolegomenis p. 2. Variarum pluſculæ originem petiverunt *ex induſtria lectorum, & deſidia inertiaque deſcriptorum.*	Hic in quibusdam *diſſentio* a doctiſſimo Sauberto. I. H. *Maius* Exam. Hiſt. crit. N.T. P. Rich. *Simonii* c. 30. p. 429.
Pag. 5. Iſtiusmodi expoſitiones, quas hodie pro variis habent, *ad marginem non nullibi naſci potuere, cum ebraiſmus, aut figurata in textu occurreret locutio.*	Etiam hic *diſſentit Maius* p. 430.
22. *Ex his* liquido poteſt patere, quo loco habendæ, cuiusve auctoritatis reputandæ ſint quam plurimæ marginalium lectionum.	Etiam ἀναγνώσματα i. e. *lectiones* occaſionem dederunt variis lectionibus. Id quod a Sauberto prætermiſſum. *Maius* p. 495.
35. *Mera coniectura*, ab omni antiquitatis ſuffragio deſertæ, in ſacrum textum nullo admittendæ ſunt modo.	Recte hoc dicitur a Sauberto, ſed *non eſt opponendum Curcellao.* Io. *Clericus* Bibliotheq. choiſ. T. XXIII. 216.
44. Philoſtorgius *coatanens*, & *forte popularis* Vlphilæ.	Philoſtorgius fuit *recentior*, & *cappadox. Esberg* in Vita Vlphilæ 16. 20.
In ipſo libro p. 261. Codex ebraicus MS. membranaceus, quo V. libri Moſis continentur, iam *ante nativitatem Chriſti ſcriptus* fuiſſe fertur.	*Non eſt antiquior ſaculo IX. aut X.* uti *Hardtio* videtur, cuius verba hic p. 343. ſunt adducta.

Io. SAVBERTI Opera (ſæculi vitio dicta) poſthuma, atque a me collecta & edita Altorfii Noricorum, cum ibi docerem, A. 1694. Sunt autem illa 1) Selectiorum Scripturæ ſacræ dictorum

ſolida

ſolida & accurata explicatio. Cuius refutationem aggreſſus eſt V. CL. in Vindiciis verſionis Lutheri, & poſt eum I. A. *Gœbelius* in Annotat. ad CAROLI XI. edictum; quam dextre ac feliciter multis in locis, erudito & candido Lectorum iudicio relictum eſto. 2) de ſacerdotibus & ſacris Ebræorum perſonis Commentarius ſingularis. Qui cum libro de Sacrificiis veterum, diligentiſſimi *Crenii* cura, denuo prodiit Lugduni Batavorum A. 1699. 8. atque a Caſp. *Sagittario* in libro de Ianuis veterum c. 18. §. 2. elegantiſſimus, a *Crenio* in præf. non indoctus vocatur. Ac notabile, ex Rabbinis, qui tam inſignem materiam commentario illuſtraſſet, unicum eſſe *Iehudam Ben Elai*, e Chriſtianis vero, *Lundio* etiam Præfat. §. 28. atteſtante, neminem. In Dedicatione ad illuſtrem virum Iacob. Wilh. *Imhofium*, eius & parentis Wilhelmi laudes celebro, ſine ulla adulatione. In Præfatione autem amolior invidiam obiectionis, *exagitari hac ratione verſionem B. Lutheri, reverendique patris pudenda retegi*, atque oſtendo, non hunc auctoris ſcopum fuiſſe, ſed ut, pro ratione muneris, fontes ipſos accuratius & diligentius ſcrutaretur. Quod ne ipſi quidem, ſi adhuc viveret, Luthero ingratum foret. Interim hoc opus laudem meruit apud nobiliſſimos *Actorum eruditorum* auctores ad A. 1694. ſſ. A. H. *Franckium* in Obſervation. biblic. 543. & collectores du *Iournal des Savans* ad A. 1695. 214. Denique obſerva, per *ſcholiaſten græcum* in Apocal. Ioh. cuius mentio fit p. 30. intelligi *Aretam*, epiſcopum cæſarienſem, qui vixit ſæculo VI.

Pag. 4. Quæ translatio habetur in editione wittebergenſi anni 1524. *& ſeqq. uſque ad illam ante memoratam.*	Quæ translatio habetur in editione wittebergenſi anni 1524. *in 8. & in alia in fol. quæ poſt illam modo memoratam vulgata eſt.*
23. Omnis cardo volvitur circa ſignificatum verbi שמח, quod *plerique lexicographi* denotare aiunt & occludere, & aperire.	*Nonnulli* lexicographi.
Quomodo etiam hic vertunt Arias & Pagninus.	Verba iſta *deleantur.*
24. Parum curans, *quis in hodiernis Bibliis noſtris pro illo inſe-*	*Ipſe Lutherus* in Reviſione Bibliorum A. 1542. *Kraft* in Emendat.

ruerit Ein Rieſe.	dat. Hiſt. verſ. german. Luth. Mayerianæ p. 17.
76. *Eccleſiaſtis* IX. 12.	*Deleatur.*
201. Pudeat ergo concionatores ebræi *idiotiſmi* ignaros.	*Idiomatis.*
202. Sacrabo Deo, ut *aſcendat per montem Sion in templum*, & vel immoletur, vel. e. r.	Sacrabo Deo, *ut vel immoletur, vel.*

CXXXI.

Io. Chriſtoph. WAGENSEILII Sota, h. e. liber miſchnicus de Vxore adulterii ſuſpecta. Altorfi Noricorum 1674. Vna cum libri *En Iacob* Excerptis Gemaræ, & Correctionibus *Lipmannianis.* Exſtat quidem hic liber etiam in סדר ſive ordine III. Miſchnæ Surenhuſianæ, ſed ſine Dedicatione, Præfatione, Excerptis Gemaricis atque ad ea Annotationibus, denique ſine correctionibus Lipmannianis, & Indicibus. Ceterum laudatur a *Conringio* in præfat. in lib. de Nummis Ebræor. p. 2. & *Clerico* in Num. 5, 12. In Dedicatione ad Ioannem Capellanum, clariſſimus editor Regis LVDOVICI XIV. & *Capellani*, nec non Io. Bapt. *Colberti* laudes prædicat, in Præfatione autem id agit, ut ſtudii talmudici utilitatem adſerat, pariterque *Maimonidis* ſcripta recenſeat, eiusque eruditionem ac præſtantiam condigne celebret. In eadem Præfatione mentionem facit duorum inſignium virorum, quorum alter *Maimonidem a Moſe ægyptio diverſum* fingit, alter *opus* Iad Chaſaka *eſſe inſtar Commentariorum in præcepta affirmantia & negantia* fabulatur. Sciendum igitur, illum eſſe *Geſnerum* in Bibliotheca, hunc *Caſaubonum* Exercit. XVI. p. 538. Correctiones *Lipmanniana* pertinent ad Lipmanni Nizzachon, editum ab Hackſpanio: Wagenſeilius enim ſuo in itinere duos nactus eſt codices, e quibus illas deſcripſit. Et quod ad librum *En Iacob* attinet, fac eum diſtinguas a duobus cognominibus, quorum alter eſt R. *Iacobi*, f. Chabib, alter R. *Niſſim* ben Reuben gerundenſis; de quibus videndus *Wolfius* Biblioth. hebr. p. 590. & 916. Ad extremum, quamvis materia de aquis amaris a Wagenſeilio hac in Sota iam præoccupata videretur, alia tamen via eandem perſequi, & poſt meſſem ſpicilegium inſtituere, Andreæ placuit *Acolutho*, A. 1682. edenti Philo-

loge-

logema de Aquis amaris & maledictionem inferentibus: quod recenſetur in *Actis erud.* ad A. 1682. p. 104.

Cap. I. 39. Salvis aliorum iudiciis, mihi quidem probabile ſit, portam templi, quæ κοραια dicitur, *in Gentium atrio* extitiſſe.

In orientali plaga atrii mulierum, P. F. *Opitius* de cuſtodia templi nocturna p. 92.

49. Nôn habeo ſatis exploratum, *an quisquam uſquam gentium tale quid*, (carmina toto genere diverſas linguas exprimentia) *præter Iudæos*, auſus ſit.

Immo apud Gallos dominus *des Accords*, & Blaſius *d' Auriol*, apud Hiſpanos Alphonſus *de Ledesma*. D. G. *Morhof* de Lingua teutonica c. 8. p. 531.

68. Si alium nullum, certe illuſtrem illum *Zachariæ locum, qui cap.* 12, 10. *habetur*, & quo vivi verique Dei paſſio apertiſſimis verbis prædicitur, *Iudæos aliquando ſacrilege tractaſſe*, intrepide affirmaverim.

Aliter ſentit *Glasſius* Philol. S. p. 172.

327. *Si vera ſunt omnia*, quæ de ſepulchro, in monte Nebo nuper reperto, ita narrantur, mihi quidem veriſimile foret, fuiſſe eodem conditum Moſen Maimonidem.

At poſtea ipſe in Pera iuvenilium librorum Tomo III. p. 578. tutius adfirmavit, *rem totam fabulis & commentis* abſolvi. I. C. *Wolf.* Biblioth. hebr. 837.

Cap. IV. p. 575. Nobis veriſimile videtur, *non extare ullam amplius*, veræ antiquitatis, *Hebræorum monetam*, uſque gentium, ſed omnem omnino pridem periiſſe funditus.

Omnes in univerſum nummos, etiam *ſamaritanis literis inſignitos*, a Iudæis effictos eſſe, nihil habet veriſimilitudinis. H. *Conring.* præfat. in Paradoxa de Numis Ebræorum p. 4.

Cap. IX. p. 970. *Stupeo ad hæc Maimonidis verba:* Pridem *in deſuetudinem abiit lingua græca*, confuſa eſt, ac *periit*.

Maimonides non videtur loqui de linguæ interitu in univerſum, ſed *de eius uſu in ſynagogis. Morhof*, Polyhiſt. lib. IV. 59.

Liber עין יעקב *En Iacob*, ſeu Fons Iacobi, complectitur hiſtorias talmudicas iucundiores. *Buxtorf.* Biblioth. rabbin. 392. eiusque auctor eſt R. *Iacob*, filius Chabib, filii Salomonis, hiſpanus, qui claruit anno Chriſti 1492. Vide *Wolfium* Biblioth. hebr. p. 590. 916.

CXXXII.

Io. Chriſtoph. WAGENSEILII Tela ignea ſatanæ. Altdorfi Noricorum 1681. Hic continentur arcani & horribiles Iudæorum adverſus chriſtianam religionem libri inediti, videlicet 1) Carmen memoriale libri Nizzachon, a Rab. *Lipmanno* compoſiti. Quod eſt compendium libri illius peſtilentis. 2) Nizzachon vetus *auctoris incogniti*, ſæculi, ut videtur, XII. Sed & duo adhuc libri ſunt, eundem præ ſe ferentes titulum, eosque indicat clariſſimus *Wolfius* Biblioth. hebr. p. 739. 3) Acta diſputationis R. *Iechielis* cum quodam Nicolao, qui a Iudæis ad Chriſtianos ſeceſſerat: & alia diſputationis R. *Moſis Nachmanidis* cum Fratre Paulo *Chriſtiani*, & Fratre Raymundo *Martini*, anno 1263. Quamquam *Basnagius* Acta huius diſputationis recentiori, ut *Wolfius* p. 881. refert, tribuat iudæo. 4) R. *Iſaaci* Chiſſuk Emuna, ſeu Munimen fidei, recentioris, puta, iudaicæ. Cum hoc codice conferenda eſt, iudice CL. *Wolfio* in Biblioth. hebr. p. 942. editio amſtelodamenſis A. 1705. in 12. 5) Libellus Toldos Ieſchu. In quo mendacia & blasphemiæ contra vitam & geſta Ieſu nazareni cumulantur. Hunc librum, a Iudæis poſtea miris modis interpolatum, Raymundus *Martini* circa finem ſæculi XIII. Parti II. Pugionis ſui latino idiomate inſeruit, *Lutherus* germanicum reddidit, qui iam in eius operum ienenſium Tomo IIX. locum habet, & Io. Iac. *Huldrici*, ſive *Vlrichs* cum verſione & notis ſuis eundem recoxit, ediditque Lugduni Batavorum A. 1705. Atque hos V. libros Wagenſeilius latinitate donavit, &, iudicio Collectorum *Actor. erudit.* A. 1682. p. 63. ſedulam ſolidamque confutationem tum Carminis Lipmanniani, tum libri Toldos Ieſchu adiecit. Nec minus Ioan. *Von der Waeyen* in præfat. in Libram veritatis Rittangelii, priorem illam Carminis Lipmanniani confutationem, luculentam vocat. Adde S. W. *Sluterum*, qui Wagenſeilium nulli accurata iudaicarum controverſiarum tractatione cedere ſcribit in Propylæo Hiſtor. chriſtianæ p. 219. Præterea obſervandum, per *nobiliſſimum virum*, cuius

ius p. 446. mentio fit, intelligi Chriſtianum *Knorrium* a Roſenroth. Catecheſis autem pro convincendis Iudæis, cuius auctorem Wagenſeilius p. 478. ſe neſcire fatetur, eſt Ioſuæ *Placai*, teſte *Placcio* de anonymis p. 89. In Præfatione, quæ vel præſtantisſimis accenſeri meretur, rationes, quæ ipſum ad evulgandos iſtos, licet impios, libros impulerint, pluribus exponit Wagenſeilius, inſpergens notabilia quædam de modo, quem Tribunal romanum in librorum cenſura & proſcriptione obſervare ſolet, de utilitate Talmudis ſeu Miſchnæ Iudæorum ad melius intelligendum ſcripturas ſacras, de eorum converſione feliciter a Chriſtianis tractanda, & alia. In fine addit Mantiſſam de LXX. hebdomadibus Danielis contra Io. *Marshamum*, Equitem auratum anglum, qui in Canone chronico vult perſuadere, finem LXX. illarum hebdomadum proprie non ad Chriſtum, ſed ad Antiochum Epiphanem pertinere. Et in Confutatione Carminis *Lipmanni* pag. 140. & ſeqq. amplum exhibetur Excerptum Diſſertationis Moſis *Amyraldi* de Myſterio Trinitatis.

Præfat. p. 22. Commentationis myſticæ, *Il Vaticano languente*, auctor habetur illuſtris vir, *qui ampliſſimis in veneta Rep. fruitur honoribus, crebrisque legationibus functus eſt.*

Minime: erat enim Gregorius *Leti*, teſte *Placcio* de anonym. p. 659.

Pag. 24. Pertinent huc, quæ de ſevera prohibitione *translationis Bibliorum in linguam vernaculam italicam, quam Sixtus V. Pontifex evulgaverat.*

Ille quidem publicandam curavit editionem V. Ti, eiusdemque latinam ex græco, ſed *italicam verſionem nunquam*: Iac. *Le Long* Biblioth. Sacræ P. II. 132.

90. Romæ (nam *in aliis Papæ ſubiectis urbibus ne hoc quidem contingit*) ſingulis ſabbatis, in templo quodam huic rei dicato, a monacho quodam dominicano concio, cui ex Iudæis viri feminæque definito numero intereſſe coguntur, habetur.

Idem poſtea, occaſione huius Præfationis, *Ferrariæ introductum*, præcone conſtituto Io. Carolo *de S. Anaſtaſia*, ordinis Auguſtinianorum diſcalceatorum, & quidem A. 1695.

172. In utraque lingua uſus utriusque numeri, pluralis & ſingularis, promiſcuus eſſe poteſt, etiam ubi de uno agitur. At inter Hebræos id in more pariter fuiſſe poſitum, *neſcio an ex veteri & novo teſtamento poſſit exemplo ullo probari.*

Sunt in promtu loca: Gen. 29, 27. *Num.* 22, 6. *Dan.* 2, 36. apud *Buxtorfium* in Syntaxi ebr. p. 436. & *Iob.* 18, 1. 3. *Cant.* 1, 4. *Io.* 3, 11. *Mar.* 4, 30. apud *Curcellaeum* p. 106. item 22. *Sam.* 16, 20. c. 17, 6. *Gen.* 3, 12. *Ieſ.* 6, 8.

R. *Iechiel*, pater R. Aſcher, auctoris האשרי de vivis exceſſit A. M. 5028. *Wolf.* 573.

R. *Moſes Nachmanides*, gerundenſis, hiſpanus, medicus & philoſophus inſignis, 27. adhuc ſcriptis, inter quæ multa cabbaliſtica, celebris, Hieroſolymis Synagogam exſtruxit, atque, ad Schalſcheleth calculum, obiit A. M. 5060. C. 1300. ætatis 106. *Wolf* 876.

Iſaac, *filius Abrahami*, polonus, Chiſſuk emuna ſuum ſcripſit anno Chriſti 1616. ætatis 60. Atque hic liber in hiſpanicam & germanicam linguam translatus, Hamburgi a Iudæis circumfertur & oſtentatur, fuitque in bibliotheca Io. *Mulleri*, gloſſis *Gabrielis*, *filii Aaronis*, illuſtratus; ſi tamen meræ tenebræ, quamdiu tales manent, illuſtrari poſſunt. Sive totum autem, ſive partem, aut partes eius aliquas refutarunt prædictus Io. *Müllerus*, Iac. *Gouſſet*, Brandan. Henr. *Gebhardi*, Io. Phil. *Storr*, Rich. *Kidder*, & Alb. Ioach. *Krackewitz*. Vide iterum clariſſimum *Wolfium* p. 641. *Wagenſeilium* in præfat. ipſi libro præfixa, & Tomum VI. *Supplem.* Actor. erud. 224. Ante autem, quam opus hoc dimittam, ſpero, me gratiam initurum apud curioſos lectores, ſi epiſtolam Herm. *Conringii* ad eius auctorem ſcriptam communicavero: inde enim intelligent, quid ſummus vir de eo iudicaverit. En igitur ipſam epiſtolam.

Nobiliſſime, Ampliſſime & Conſultiſſime Domine.

Pretioſius eſt donum tuum, quam ut poſſit nunc quidem reddi aliquid in iuſtum αντιδωρον. *Ne dubites tamen, in hominem Tui æſtimantem & gratitudini deditum, collatum abs te illud inſigne beneficium, daturumque me operam, ut tu quoque reapſe experiaris illum, quo te proſequor & tua, affectum. Praclare ſane etiam de Eccleſia es meritus, productis in lucem iſtis* Satanæ *vere* igneis telis; *quorum pleraque hacte-*

nus

nus etiam eruditorum choro ignota fuerunt, ac peſtilentisſime nihilominus luis ad inſtar, in tenebris ſumme nocuerunt. Poſſunt iam illa a me quoque legi atque expendi: quin eius opera iam tum factum eſt a me leve initium, non ſine dolore quidem, per cæcitatem & pertinaciam Iudaeorum excitato, ſimul tamen & non ſine deſiderato fructu. Cum primis tamen me & delectaverunt & inſtruxerunt tuæ, quas uni atque alteri libello ſubiunxiſti, animadverſiones: *utpote quas doctiſſimas deprehendi, & bonæ frugis pleniſſimas, cuiusmodi tua ſolent eſſe omnia. Perplacet tua* in Iudæos clementia, *& lenitas: quamvis agnoſcas, Gemara pasſim inſertas & fœdas in Chriſtum calumnias, immo impias blaſphemias, easque fruſtra a nonnullis cœpiſſe fucari. Orare pro Iudæis, etiam ſævientibus in ſe ſe, iuſſit exemplo ſuo mitiſſimus Servator, eosque excuſare illo, quod neſciant, quid agant. Committendum ſcilicet hoc omne iudicio eſt divino: ſi vivant autem bene, ſaltim πολιτικως, æque, ac peregrinos alios, ego quidem cenſeo,* in Republica Iudæos tolerandos *eſſe, immo fovendos. Ipſa etiam* Iudæorum blasphema ſcripta *non tam abolenda arbitror, quam protrahenda in lucem, quia eorum modeſta, ſimul tamen etiam ſolida, confutatio facile poteſt, quamvis pertinaciſſimum, Iudæum quemque in ruborem adigere, atque ita ad agnitionem veritatis placide manuducere, ſi quis recti ſuperfuerit ſenſus, aut Φιλαληθεια. Improbo tecum autem quam maxime, ſparſas a quam multis hactenus de Iudæis eſſe* fœdas calumnias, *iisque vulgi odium efferari. Indignum ſane eſt facinus, & ſanctitati chriſtianæ maxime inimicum. Quæ de* Muhamedanis *habet obiter tua prolixa & erudita Præfatio, habet itidem me omni ex parte conſentientem, ut reliqua tua pene omnia.* Miſchnam Talmudicam *iam tum ſeculo chriſtiano ſecundo fuiſſe conſcriptam, nec ego præfracte negaverim: idque quoniam S. Irenæus quædam ita eſt locutus L. IV. c. 25. quæ videantur ſignificare, iam tum eiusmodi librum, πατϱοπαϱαδοσεις comprehendentem, Iudæorum manibus fuiſſe tritum. Forte tamen ibi ſermo eſt, de orali traditione: non enim ſatis omnia ſunt perſpicua. Dubium autem merito, niſi fallor, quem fecerint illa ſaltem, quæ habentur Sota tua capite ultimo: Mortuo Rabbi, (is autem te ipſo interprete eſt Iudas ſanctus) ceſſavit modeſtia & timor peccati, ut &c: quod neque in Origene, neque in Hieronymo Miſchnæ veſtigium ſit reperire.* Miſchnam *præterea* puram poſſe cenſeri, *comparatione cum Gemara inſtituta, iam pridem & ego profeſſus ſum: tutam aut fidem haberi Miſchnæ poſſe, forte nec tua illa, quam adverſus Lightfootum & Seldenum ad Lipmannum adieciſti, docta Diſputatio*

tatio de Synedrii Hieroſol. auctoritate & ſede iudiciali admiſerit. Et vero critica tua Textus talmudici emendatio, cum repugnet Codicibus, qui paſſim ſunt in manibus, & conſtanti doctiſſimorum ſequioris avi Rabbinorum quoque ſententia, nonnihil ſaltim ſuſpecta eſt. Illam porro Miſchna vetuſtatem haut iniuria dubiam reddit illa, qua etiam in Miſchna reperitur, frequens, de ritibus noviſſime uſitatis, alia atque alia commemoratio. Arguit ſane hoc diſſidium vel ignorantiam ſcriptoris, qualis tamen præſumi non poteſt de eo, qui vixerit ætate Antonini Pii Imp. vel ipſarummet conſuetudinum ſummam inconſtantiam. Cum ſaltim illa ſint incerta & inter ſe pugnantia, num quam horum certam fidem mereatur? Me quidem, ne quid diſſimulem, Eruditiſſime Wagenſeili, atque ingenue, pace tamen tua, mentem hic exponam, nondum traxiſti in illam tuam ſententiam: *priſcorum Iudæorum, ſive bona ſive contraria, inſtituta, quæ ad notitiam antiquitatum gentis, ad intelligentiam SS. literarum facere, & ex Talmude peti oportere. Ex adverſo arbitror ego,* boni perquam puſillum *capi inde poſſe, & nunquam fere cum iuſta ſecuritate. Quod ſi liceat inter nos ea de re colloqui, haut foret illud abſque pretio opera. Vt ſaltim aliquibus eximii voluminis exemplis emendis excitem emtores, dabo operam diligenter. Vereor autem, ne iuſto pauciores ſint daturi nomen, quoniam ſuo pretio talia æſtimare ſolent perquam rari. Forte etiam nec in Italia, nec in Hiſpania, nec ubicunque Ieſuitæ regnant, etiam in noſtra Germania, permittentur hæc vel inſpici. Non dubito tamen, a larga Dei manu iuſtum te præmium, quod ſolatio eſſe poſſit, conſecuturum.* Vale, vir doctiſſime, & perge favere virtutis atque doctrinæ tuæ cultori

Helmeſtadii 1681. d. 25. Maii H. CONRINGIO.

CXXXIII.

Schekalim, ſive tractatus talmudicus de modo, annuaque conſuetudine ſiclum menſe Adar offerendi, latinitate donatus, & perpetuo Commentario illuſtratus a Io. WVLFERO. Altdorfii Noricorum 1680. Verſio quidem & Commentarius ſunt iuvenis, ſed talis, cuius labor non eſt aſpernandus, laudatusque eſt a viris præſtantiſſimis, & auctores *Narrationum innocuarum* ad A. 1713. p. 632. eum non prætereundum fuiſſe iudicant a doctiſſimo *Surenhuſio* in præfatione in Ordinem de Feſtis. Certe Herm. *Conringius* reſcripſit ad Io. *Saubertum* A. 1680. *Debeo iuveni,* (Io. Wulfero) *& boni publici cauſſa, & ob benevolum affectum,* (quo transmiſit

& ca-

exemplar libri) *magnas gratias. Haud dubie ille tibi notus eſt quoque, & carus; ideoque rogo, ne graveris illi ſignificare propenſum bene de illo merendi animum meum, ſimulque meis quoque verbis ad maiora calcar illi addere.* Et allegatur a *Tenzelio* in Colloquiis menſtr. A. 1689. p. 142. 647. A. 1693. p. 562. *Bezelio* in Maieſtate chriſtianiſmi p. 46. 200. *Mitelfuhrero* de Ebr. comment. p. 3. Io. Mich. *Langio* de Genealogiis iudaic. p. 38. & in Parentatione *Wagenſeilii*, *Peringero* diſp. de Tephillin p. 25. *Danzio* diſp. I. de function. Pontificis maximi p. 34 Henr. *Muhlio* præfat. in Cocceii Sanhedrin ***, & *****, ac *Maio* filio in Poſit. p. 4. atque in tractatu de Iubilæis p. 50. 63. 164. In Præfatione ait auctor, ſe ſe, cum percepiſſet, V. CL. Io. Henr. *Othonem* eodem iam labore defunctum, ac Maſſechet Schekalim toga latina induiſſe, notasque breves addidiſſe, manum noluiſſe retrahere, ſed in propoſito perrexiſſe ſuo, ad imitationem aliorum celebrium virorum, verſionem autem ſimplici ſtilo adornaſſe.

Pag. 152. *Corpus* videlicet *ipſum* in conclavi lanionum.	*Alvus* videlicet *ipſa* in conclavi lanionum. Errorem hunc ipſe *auctor* fatetur & corrigit in Animadverſionib. in Theriacam iudaic. p. 87.

Ioannes *Wulferus*, noribergenſis, Danielis filius, natus A. 1651. ex diacono Mariano factus paſtor ad S. Spiritus, atque inde promotus ad paſtoratum laurentianum, & tandem ad ſebaldinum, conſtitutus antiſtes Miniſterii eccleſiaſtici, & bibliothecarius illuſtris Reip. ac profeſſor publicus Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, qui antea docuerat Moralia, Politicen & Geographiam, orbem eruditum ſequentibus locupletavit ſcriptis: Oratione græca inſcripta Ἡ νῦν Ἑλλάς, & alia de Maioribus oceani inſulis, variiſque Concionibus funebribus, in honorem ampliſſimorum virorum habitis. Non edita autem ſunt Commentarius in tractatum thalmudicum, Megilla dictum, Abarbanelis Maſchmia Ieſchua, quod ſcriptum intereа a CL. *Maio* filio datum in lucem, ita ut Wulferus labore poſſit ſuperſedere ſuo, Addenda ad Theriacam iudaicam, quæ dimidiam pæne operis partem ſuperatura ſint, & Oratio de ingenti Hiſtoriæ eccleſiaſticæ in graviſſimis theologicis & politicis controverſiis utilitate. Laude eum proſequuntur *Wagenſeilius* Præfat. in Te-

la ignea ſatanæ p. 215. in Toled. Ieſchu 42. in epiſtola ad Fechtium 73. 100. 129. 142. & in Benachricht. 52. 54. ac P. II. 20. 28. *Von der Wayen* Var. ſac. 141. 182. Io. *Wilckins*, epiſcopus ceſtrienſis, in Eccleſ. 116. Io. *a Lent* Theol. iud. 121. 363. Chriſt. *Bezelius* in maieſtate chriſtianiſmi 19. 45. Wolfg. *Gundling* in Canones concilii laodic. p. 311. Io. Henr. *Maius* in Vita Reuchlini 113. 389. & in Synopſi theol. iudaicæ 266. Thomas *de Pinedo* in Steph. 444. *Peringerus* diſp. de Meſſia 31. *Eiſenmenger* in Revelato iudaiſmo P. I. 67. P. II. 20. Georg. *Serpilius* in Iudæo perverſo & converſo 6. 8. Mart. *Difenbach* in Iudæo converſo 15. 38. Theologi *altorfini* in Reſponſo contra Hirſch Frænckel 6. 20. *Hochſtetter* diſſert. de Iuramentis, D. G. *Moller* diſp. de Iurament. iudaicis, Ferd. Chriſt. *Harprecht* volum. novo Conſid. criminal. & civilium P. I. 335. *Nerreter* in Templo Iudæor. & Paganor. 146. *Schudt* in Chriſticid. p. 13. 112. atque in præfat. 10. item in Memorabilibus iudaicis P. I. 54. P. II. 73. Io. Bened. *Carpzovius* Introduct. ad Raymundi Pugionem 87. *Baſnagius* Tomo V. Hiſt. iud. p. 2088. & *Bartoloccius* Append. ad Tomum III. p. 946.

Theriaca iudaica ad examen revocata a Ioanne WVLFERO. Norimbergæ 1681. Nimirum hic exhibentur 1) Sam. Frid. *Brenzii* Iudiſcher abgeſtreifter ſchlangenbalg, i. e. Leberis iudaica detracta, qua revelare conatur blasphemias & mendacia, quibus progenies viperarum iudaica contra Ieſum, eiusque redemtum populum ac peculium, cum in ſynagogis, tum in domibus & privatis conventibus ſuis, uti ſoleant. Noribergæ 1680. antea 1614. 2) Salomonis *Zevi* Theriaca iudaica, ſive Apologia pro Iudæis contra ſcriptum antecedens, litteris rabbinicis deſcripta, atque a Io. *Wulfero* in latinam translata linguam, eiusque Animadverſionibus illuſtrata. Cum Indiculo criminum, a Brenzio Iudæis obtrectorum. 3) Iſaaci *Viva* Vindex ſanguinis, ſive Vindiciæ ſecundum veritatem, quibus Iudæi ab infanticidiis & victima humana, contra Iac. *Geuſium*, theologum & medicum friſium, vindicantur. A. 1681. prius Amſtelodami. Hæc ſcripta recenſentur in *Actis erud.* A. 1682. 205. & quidem a D. Io. Bened. *Carpzovio*, uti frater eius, Frid. Benedictus teſtabatur in litteris ad Chriſtoph. *Arnoldum* d. 30. Iunii A. 1682. ſcriptis. In Dedicatione ait Wulferus, ſe ſe in utroque ſcripto, quæ laudem & vituperium mereantur, deprehen-

diſſe;

diſſe; in Præfatione ſperat Iudæorum converſionem, eosque propterea commiſeratione potius & auxilio noſtro dignos eſſe iudicat, quam odio & omnis generis perſecutione ſeu vexatione: indicat etiam, ſe ſe in Animadverſionibus non omnia ad vivum reſecuiſſe, e. g. non tetigiſſe fabulam de *Martino*, *Ieſu nazareni diſcipulo*; gratulari autem ſibi, quod Iſaacus *Viva* atrox illud commentum de puerulo tridentino, a Iudæis occiſo, teſtimoniis fide dignis confutaverit; tandemque promittit editionem Hiſtoriæ concilii florentini, e vetuſtiſſimo MSto græco erutam, & Notas in alterum Zevi librum, quem ad Principes chriſtianos daturum ſe plus ſemel pollicitus eſt, ſimul ac ille lucem adſpecturus eſſet publicam. Ceterum quod ad Animadverſiones in Theriacam iudaicam attinet, eruditiſſimorum illæ virorum adprobationem nactæ ſunt: *Conringius* enim ad Io. Saubertum d. 30. Maii A. 1681. ita ſcripſit: *Delectat me ſane* Wulferi *iunioris Theriaca, præſertim quia iuvenis ille, me quidem iudice, ſupra ætatem ſapit, & merito habendus in maxima exſpectatione.* atque ad Io. *Heldium* eodem tempore: *Danieli* Wulfero *gratulor de filio rariſſimi exempli. Nec enim novi quenquam iuvenum paris ebraicarum rerum peritia, induſtria, & æqui conſtantisque iudicii. Simul ac nactus ſum librum ipſius, non ſine ſumma delectatione habuit me ſubinde lectorem. Perplacet, quod calumniis, quibus vulgo homines in Iudæorum odium efferari ſolent, ſe ſe opponat, nec tamen etiam admittat calvas excuſationes iudaicarum in Chriſtum blaſphemiarum. Vtrimque ſcilicet graviter iſthac in re peccatur. Quanquam ego quidem nec propter illas blaſphemias cenſeam Iudæos atrociter perſequendos, ſed habendos benigne, atque ita ad veritatis agnitionem perducendos, blaſphemias autem illas adſcribendas tantum non unice illi ſuperſtitioſo zelo, qui & ipſum S. Paulum quondam ad perſequendos Chriſtianos adegit. Deus eximio illi iuveni porro faveat, & largiatur omnia præclaris ipſius & ſanctis conatibus idonea, quo tandem poſſit Eccleſia fruſtra pridem deſideratum fructum in Iudæorum converſione reapſe facere.* Frid. *Badſtuber* in litteris Havniæ d. 7. Decembr. A. 1682. ad Dan. *Wulferum* exaratis refert de Erico *Benzelio*, S. theol. doctore, & in academia upſalienſi profeſſore publico, Theriacam plane ad ipſius palatum fuiſſe, eundemque affirmaſſe, *ſe ob ingredientium ſuavitatem & ingenioſam compoſitionem miras inde voluptates hauſiſſe.* Bohuslaus *Balbinus* S. I. in epiſtola, ad illuſtrem virum Iac. Guil. *Imhofium* d. 25. Febr. A.

 1682.

1682. perſcripta, his uſus eſt verbis: *Qui inter Iudaos verpos & verſipelles pro Chriſtianis litem dirimit, vir, ut apparet, eruditione praſtans eſt.* Et Iô. Chriſtoph. *Wolfius* Biblioth. hebr. p. 629. Animadverſiones haſce vocat eruditas.

Pag. 182. *Ieſuita* Chriſti ſocios ſe eſſe aiunt, & contra Servatoris noſtri mandatum iis, quos ex mero præiudicio *Hæreticos* appellant, *fidem nullam ſervandam eſſe volunt.*	Nihil alienius a nobis eſſe poteſt. Omnes theologi noſtri, omnes, qui controverſias conſcientiæ tractant, *docent eſſe ſervandam*; atque ſi unum alterumve e nobis exerrantem repererit, ego alios tricenos nominabo impetrabiles: & primæ apud nos notæ ſcriptores nominabo, qui omni hominum generi fidem ſanĉte ſervandam editis libris docuerunt. Idem ſentiunt & profitentur omnes Vniverſitates Ordinis noſtri. *Balbinus* l. c.
207. *Subtiliter* enim *cum iis diſputant.*	*Inquirunt* enim *in eos.* Ipſe *auctor* in Præfatione.
377. Iudæos ſtrenue Pontificii imitantur, qui *Traditiones* ſacræ Scripturæ æquant.	Traditiones *divinas & apoſtolicas.* *Concilium tridentinum* Seſſ. IV. p. 7.

Sam. Frid. *Brenz*, oſterberga-ſuevus, Iudæis parentibus prognatus, atque in religione iudaica educatus, cum uxore autem & duobus filiis poſt informationem in religione chriſtiana baptizatus A. 1610. Feuchtwangæ in territorio ſereniſſimi Marchionis Brandenburgo-onoldini, cui & primum ſervivit inter equites levis armaturæ, deinde autem illuſtriſſimo Comiti oettingenſi, unde & *Oettinginſis* vocabatur, vixit initio ſæculi XVII. Vide *ipſius* Dedicationem & Præfationem.

Salomon *Zevi*, offenhuſenſis, ſub Schenckenſtein, iudæus, non quidem e doctiſſimis, blandis etiam verbis ſæpius demulcere nos, palpoque decipere conatus, ita tamen Apologiam inſtituit ſuam, ut peritiſſimus rerum iudaicarum Wulferus p. 392. pu-

publice fateatur, ſe multa inde didiciſſe, nec invitum ei, ſi viveret, præmium perſoluturum. Ille vero propter hanc Apologiam multa adverſa atque iniqua a Iudæis paſſus eſt, ita ut ad incitas redigeretur, & extrema confliƈtaretur pauperie: immo Ratisbonæ in fimeto, omni a popularibus ſuis auxilio deſtitutus, ore fimo, ut aiunt, conferto, miſere animam interclufit dicam? an exhalavit. Ille quidem germanicæ etiam editionis ſuæ, litteris noſtris deſcriptæ, meminit, ſed, quod mirum, nulla eius memoria, nullumque veſtigium amplius ſupereſt. Vide *Zevium* in Præfat. & *Wulferum* in Dedicatione, atque in Animadverſionibus p. 333. 391. 392.

Iſaacus *Viva* claruit ſæculi XVII. medio, teſte I. C. *Wolfio* Biblioth. hebr. p. 654.

CXXXIV.

Don Iſaaci ABRABANIELIS משמיע ישועה ſive Præco ſalutis, in latinam linguam converſus ab Ioanne Henr. *Maio*, filio. Francofurti 1711. Præmittitur Vita auƈtoris, ab interprete colleƈta, adiiciunturque Emendationes textus rabbini. Præco autem ſalutis vocatur hic liber, quia in eo colleƈta & expoſita ſunt loca Scripturæ V. T. in quibus, ut auƈtor in Præfat. p. 9. ſcribit, prædicitur ſalus Iehovæ, cum exſtruƈtione templi divini.

Io. Henricus *Maius*, filius theologi gieſſenſis cognominis, natus Durlaci A. 1688. die 11. Martii, in prædiƈta academia græcæ orientaliumque linguarum profeſſor publicus, vir omni litteratura excultus, & præclaram inter eruditos famam naƈtus, dedit Obſervationes ſacras, quibus diverſa utriusque teſtamenti loca ex linguarum indole & antiquitatibus potiſſimum illuſtrantur, & alia plura.

R. MOSE Ben Maimon הלכות ציצית ſive Iura fimbriarum, latine reddita, notisque illuſtrata a Io. Henr. MAIO, filio. Francofurti 1710.

Eiusdem MAII Diſſertatio epiſtolica de hauſtu aquarum a fontibus ſalutis, ex Ieſ. 12, 3. (Gieſſæ 1710.) Nimirum docet, hoc loco reſpici ad modum feſtos olim tabernaculorum dies celebrandi, in primis vero ad libationem aquarum tum faƈtam, & ſingularem lætitiam, qua illo tempore Iudæi exſiluerunt.

Pauli Frid. OPITII Commentarius de cuſtodia templi nocturna. Kilonii 1710. In quo docet, templi cuſtodes fuiſſe Sacerdotes & Levitas, & Sacerdotes quidem in III. Levitas autem in XXI. locis excubias egiſſe: pariterque multa ſacra V. & N. T. illuſtrantur.

Paulus Frider. *Opitius*, Henrici filius, in academia kilonienſi linguarum orientalium profeſſor tam celebris eſt, ut in eo habeamus parentem quaſi redivivum.

Io. Iuſti LOSII Diſcurſus de ſucceſſiva corruptione Iudæorum. Wernigerodæ (1711) Breviter, ſed non ſine luculentis obſervationibus, partim ad detegendam Iudæorum ἀναπολογίαν, partim ad confirmandam veritatem fidei chriſtianæ, ut periculo ipſorum edocti diſcamus cautius agere, apprime facientibus, inſtitutus, delineatus, & ad ulteriorem meditationem piis & eruditis propoſitus.

Io. Iuſtus *Loſius*, hildeshemenſis, philoſ. magiſter, aliquandiu regimen geſſit ſcholæ wernigerodanæ, deinde autem ultro illud depoſuit, atque nunc privatus vivit Kilonii.

Hermanni *Von der* HARDT Aenigmata Iudæorum religioſiſſima maxime recondita. Helmſtadii 1705. Sunt varia Programmata, in quibus indicat, voti, deſiderii, ſpei iudaicæ animam, intimaque pectoris penetralia ſpecioſiſſimis amuletis clauſa eſſe. Ipſe etiam quædam ænigmata adſcripſit pro anno 1706.

EIVSDEM Moſes vor ſeinen ende, Moſes ante finem ſuum, ſive Explicatio cantici Moſis *Deuter.* 32. In Præfatione docet, ex Moſis libris, tanquam antiquiſſimis, ſummam ſapientiam petendam, atque hoc Carmen illuſtriſſimum eſſe commentarium in omnes ſecutos Prophetas.

EIVSDEM Commentatio de iuramento per dextræ carpum, non per femur. Helmſtadii 1711. Hoc agit, ut demonſtret, vocem ירך Gen. 24, 2. & 27, 29. non femur denotare, ſed dextram. Vide *Narrat. innoc.* A. 1711. 383. & *Gundlingiana* T. I. 313.

CXXXV.

Campegii VITRINGA de Synagoga vetere Libri III. Franequeræ 1696. Quibus tum de nominibus, ſtructura, origine, præfectis,

fectis, miniſtris & ſacris Synagogarum agitur, tum præcipue formam regiminis & miniſterii earum in eccleſiam chriſtianam translatam eſſe demonſtratur: cum Prolegomenis, in quibus neceſſitas & utilitas huius tractationis commendatur, operaque datur, ut evincatur, exercitium religionis eccleſiæ chriſtianæ multo propius accedere ad formam cultus divini, ut celebratus eſt in ſynagogis, quam ad λειτεργιαν templi. In quo tamen diſſentientes habet Iac. *Vſſerium* & Iacob. *Rhenferdium.* Atque hoc ſcriptum natum eſt ex lite, quæ clariſſimo auctori interceſſit cum Rhenferdio atque ex edito ſuo Archiſynagogo: cum enim antagoniſta ei oppoſuiſſet Archiſynagogum αυτοκαταχριτον, hoc inde evenit, ut auctor exiſtimaret, neceſſarium eſſe, ut ſententiam ſuam de conformitate regiminis ac miniſteriorum Synagogæ & Eccleſiæ, ab adverſario ſuſpectam redditam & proſcriptam, tum clarius explicaret, tum fortius adſereret atque adſtrueret, mutatis aut omiſſis, quæ in priore Diſſertatione ipſi diſplicebant. *Acta erudit.* A. 1696. 66.

Pag. 920. VII. illi œconomi eccleſiæ hieroſolymitanæ, qui ab Apoſtolis ordinati ſunt ad miniſterium menſarum, *longe alii fuerunt* a diaconis, de quibus Paulus loquitur in Epp. ad Timoth. & Philippenſes.

Fuerunt iidem, & repræſentarunt eos, qui Hebræis dicebantur *Gabbaim*, ſeu collectores eleemoſynarum in Synagoga. *Gundlingiana* T. I. 130.

CXXXVI.

Caroli SIGONII de Republica Hebræorum libri VII. Annotationibus illuſtrati a Io. *Nicolai*, Lugduni Batavorum 1701. Altera editio, eaque auctior & emendatior. In VII. iſtis libris tractatur de forma Reip. hebraicæ, locis, diebus, ritibus & perſonis ſacris, de Conſiliis & iudiciis, denique de Magiſtratibus. Cumque matura auctoris ætate conſcripti videantur, infimis eius commentationibus minime ſunt accenſendi. Nec tamen dubitat ſcribere *Buddeus* in Introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebræorum p. 404. *Sigonium* quidem, *Cunaeum*, *Bertramum*, *Menochium* & *Reimerum* de Rep. Ebræorum commentatos eſſe, ſed hos omnes, ſi dicendum, quod res ſit, a prudentia eivili non ſatis inſtructos, ieiune nimis in hoc argumento verſatos eſſe. Recenſionem autem huius operis invenies in *Actis erudit.* A. 1702. p. 61.

Caro-

Carolus *Sigonius*, mutinenſis, litteras græcas docuit in patria ſua, humaniora Venetiis, Patavii & Bononiæ, adverſarios nactus eſt Fran. *Robortellum*, & Nic. *Gruchium*, publicavit Faſtos capitolinos, Librum de nominibus Romanorum, Iudicium de ſcriptoribus hiſtoriæ romanæ, Chronologiam in *Livii* hiſtoriam, Hiſtorias de regno Italiæ, Notitiam utramque, tum orientis, tum occidentis, Hiſtorias de occidentali imperio, Faſtos conſulares ac triumphos, Libros de antiquo iure civium romanorum, Italiæ, provinciarum &c. Commentarium in *Sulpitii Severi* libros hiſtoricos, Hiſtoriam de rebus bononienſibus, Vitam Andr. *Doria*, de Comitiis romanis contra *Gruchium*, Emendationes & Diſpp. adverſus Fran. *Robortellum*, Librum de dialogo, de Lege curiata Magiſtratuum ac Imperatorum, & eorum iure, Vitam Andr. *Auria* Melphiæ Principis, Libros de Epiſcopis bononienſibus, Orationes II. pro Conſolatione *Ciceronis*, cum Expoſitione Fragmentorum eiusdem Conſolationis, Fragmenta *Ciceronis* collecta & ſcholiis illuſtrata, Emendationum libros II. ac de Rep. Athenienſium, eorumque ac Lacedæmoniorum temporibus Libros V. cumque a *Riccobono*, *Lipſio* & Io. *Guilelmo* reponeretur, libellum de Conſolatione non eſſe Ciceronis, ſed alicuius ſcriptoris novitii, tantum inde mœrorem concepit, ut relicta bononienſi ſparta in patriam ſe conferret, atque in prædio ſuo paullo poſt mundo valediceret, & quidem A. 1585. ætatis 60. *Kœnig* 753. *Calvoer* Append ad Saxon. infer. p. 611. *Magirus* 752. *Robortellus* de arte critica p. 107. *Schurzfleiſch* Epp. arcan. T. I. 32. Chriſtoph. *Cellarius* Diſſert. p. 107.

Ioannes *Nicolai*, Ilma-ſchwarzburgicus, Antiquitatum profeſſor tubingenſis, & Contubernii rector, ex variis ac eruditis ingenii monumentis notus eſt: edidit enim Theologiam gentilem, & Diſſertationes de Moſe Alpha dicto, de triumphis Romanorum, de ritu Bacchanalium, de luctu Græcorum, & *Cunaum* de Rep. Hebræorum, cum ſuis ipſius (Nicolai) notis, plures libros anglicanos in vernaculam linguam tranſtulit, obiitque A. 1708. Vide *Bandurium* Biblioth. numar. p. 186. *Narrat. innoc.* A. 1706. 79. *Crenium* Methodor. T. III. 364. & Elogia, quæ viri eruditi Nicolao ſcripſerunt, quæque huic editioni Sigonii præmiſſa ſunt, quos inter Io. Henr. *Maius* theologus, & Immanuel *Weberus* ICtus eum vocant inſignem polyhiſtorem.

Iacobi RHENFERDII Diſſertationes philologicæ de X. otioſis Synagogæ. Franeckeræ 1686. In quibus Io. *Lightfooti*, aliorumque ſententiæ de otioſis examinantur, variaque de Synagoga, & earum iure, præfectis, miniſtris &c. adſperguntur. X. autem otioſi ipſi dicuntur, X. mares maiorennes & liberi, ſpectatæque vitæ & probitatis, urbibus maioribus proprii, & Synagogæ ſtipendiarii, ad id inſtituti, ut rebus omnibus relictis unice Synagogæ vacarent, id eſt, quotidie mane & veſperi primi atque ultimi in Synagoga eſſent, maximamque diei partem, quo uſque ſaltem tempus precibus fundendis ſtatutum prorogari ſolet, in eodem exigerent, ut, quicunque ante vel poſt ordinariam ſacri conventus horam, abſente reliquo coetu, Synagogam orandi cauſa adirent, numerum invenirent denarium, qui demum legitimum cœtum ſacrum conſtituit, & cum illo ſtatas precum formulas rite poſſent recitare. Huic ſcripto oppoſuit V. CL. Campegius *Vitringa* de X. viris otioſis ad ſacra neceſſaria veteris Synagogæ curanda deputatis Librum ſingularem, Franequeræ editum A. 1688. in 4. Quem *Rhenferdius* excepit Archiſynagogo otioſo αὐτοκατακρίτῳ· & hunc ſecuti ſunt laudati *Vitringa* de Synagoga vetere libri III. A. 1696. Vide *Benthemium* in Statu holland. eccleſ. & ſcholar. P. II. 100.

Iac. *Rhenferd*, Mulheimio-bergenſis, *Gulichii*, Adr. *Pauli* & *Altingii* diſcipulus, vir non modo eruditus, ut qui docere valebat ebræam, chaldæam, ſyriacam, arabicam, perſicam, rabbinicam, & palmyrenam linguam, ſed etiam honeſtus, liberalis, candidus, primum fuit rector ſcholæ franequeranæ, deinde profeſſor linguæ ſanctæ in academia eiusdem urbis, ſcripſitque Diſp. de viis Dei ſeu de vera religione, aliam de ſenſu Apocalypſeos cabbaliſtico, Diſpoſitionem ſcholaſticam argumentorum, quibus probatur, mortem corporalem non eſſe pœnam peccati, Diſputat. adverſus *Witſium* de Olam Habba ſeu ſeculo futuro, Exercitationes philolog. de fictis Iudæorum hæreſibus, Diſp. de Sethianis, aliamque de antiquitate litterarum iudaicarum, Comparationem expiationis anniverſariæ Pontificis maximi in V. T. cum unica atque æterna expiatione Chriſti domini, Inveſtigationem præfectorum & miniſtrorum Synagogæ, Diſſert. de Arabarchis & Ethnarchis Iudæorum, aliamque de ratione obſervandi genuinam vocabulorum ebraicorum ſignificationem, Periculum palmyrenum, Diſſertationem

nem de ſtatuis & aris, Obſervationes ſelectas ad loca ebræa N. T. Coniecturas de tecto ſabbathi ad 2. Reg. 16, 18. Periculum criticum, & Periculum phœnicium, & poſtquam ſtomacho pedibusque laborare cœpit, ac vires defecerunt, exſtinctus eſt cœlebs A. 1712. cum annos vixiſſet 58. *Muſeum novum* T. III. 269. *Acta eruditorum germanica* T. II. 648. *Hiſtoire critique de la Rep. des lettres* T. III. 258. *Wolfius* in Notis in Caſauboniana 318. *Relandus* Palæſtinæ p. 392. Opera eius iunctim edita ſunt anno 1722. & recenſentur a *Clerico* T. XVII. de la Biblioth. anci. & mod. p. 85.

EIVSDEM Specimen animadverſionum in V. CL. Decemviros otioſos. Franequeræ 1688. In quo, uti quidem titulus habet, frequens Decemvirorum cum Archiſynagogo & ſe ipſis pugna oſtenditur, & viri CL. (per quem Campegium *Vitringa* intelligit) querelæ & criminationes refelluntur, gaudiaque & triumphi conturbantur.

EIVSDEM Diſpoſitio ſcholaſtica argumentorum de morte fidelium. Roterodami 1698. In qua negatur, idque contra H. A. *Roëlium*, profeſſorem franequeranum, afflictiones temporales & mortem fidelium eſſe pœnam proprie dictam. Vide iterum *Benthem*, Stat. eccleſ. & ſcholar. holland P. II. 108.

CXXXVII.

Danielis CRAMERI Arbor hæreticæ conſanguinitatis. Argentorati 1623. Eſt hæreſiologica deſcriptio, in qua præcipuæ hæreſes veterum ex uno poſt N. C. principio deductæ, in IV. claſſes dirimuntur, explicantur, refelluntur, & ad duo antichriſtianiſmi ſumma capita revocantur. In calce addita eſt centuria Sententiarum, ex Patribus collectarum, de abuſu philoſophiæ. In Prolegomenis autem ſermo fit de hæreſi, eiusque cauſis, effectis, cognatis, vitatione & ſignis hæreticorum, fundamento *fidei* & quomodo in id impingatur, de tractatione hæreticorum, & an ſint occidendi? de blasphemis & Iudæis, quomodo illi puniendi, & num hi tolerandi in Republica? de inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, an & quomodo cum notoriis hæreticis converſandum? de fide hæreticis ſervanda, lectione librorum hæreticorum, & diviſione hæreticorum. Arbor hæc radicem ponens in Simone mago, in æs inciſa, & primæ Bibliorum vinarienſium editioni cum expli-

plicatione inſerta, non vero a Gloſſatoribus confićta fuit, ſicut Io. *Muſæus* in Præfatione in Vindicias iſtorum Bibliorum contra Erbermannum oſtendit p. 21.

Dan. *Cramer*, natus Retziæ in Nova Marchia, Martini paſtoris ibidem filius, Iac. *Capitonis*, Dunc. *Liddeli*, *Huberi*, *Geſneri* & *Hunnii* diſcipulus, Oligeri Roſenkranzii, Proregis Daniæ, informator, philoſophiæ magiſter, & abſoluto in Daniam itinere, in academia wittebergenſi profeſſor Organi ariſtotelici extra ordinem, deinde archidiaconus, tandemque mitra doctorali ornatus, paſtor eccleſiæ Marianæ apud Stetinenſes, illuſtris pædagogii profeſſor & inſpector, Conſiſtoriique adſeſſor eccleſiaſtici, vir de Chriſti eccleſia meritiſſimus, & tam fidelis doctor, quam acer diſputator, (ſcripſit enim contra ſic dictos Calvinianos, Pontificios, Photinianos ac Schwenckfeldianos, nominatim contra *Stevartium*, Frider. *Beurhuſium*, Iac. *Gretſerum*, Pet. *Scargam*, Ieſuitas braunsbergenſes, & Chriſt. *Pelargum*: ut taceam, eum edidiſſe varia philoſophica, Orationes, Diſputationes, Scholam propheticam, & Explicationem totius S. ſcripturæ, in qua potiſſimum applicationem practicam attendit) obiit anno 1637. poſtquam inter vivos exegit annos ferme 69. *Witte* Memor. theolog p. 411. & Car. *Arndius* Continuat. Biblioth. Mayer. biblicæ p. 22. Quibus adde *Crenium* Præfat. in Faſcem II. p. 36. & *Kœnigium* Biblioth. V. & N. 219. quorum ille eum vocat magnum theologum, omnique ſua laude maiorem longe, hic hiſtoricum, philoſophum, poëtam, oratorem, & theologum eximium.

Gebh. Theodori MEIERI de recondita veteris eccleſiæ theologia, & ſolenni ſacrorum, coram profanis, & nondum initiatis, occultatione Commentarius. Helmſtadii 1679. In quo docet, non eſſe religionem, quæ non habeat ſua arcana ſacra: diſciplinam ſilentii ex ethniciſmo in eccleſiam chriſtianam traductam, & quidem tacitis moribus: viguiſſe maxime ſæculo IV. & V. modum ſacra occultandi fuiſſe quadruplicem, ut nimirum fieret non initiatos abire iubendo, fores eccleſiæ præcludendo, ſacra in ſermonibus reticendo, eave obſcurius proponendo: cauſſas illius occultationis non tam ab obiecto, quam ſubiecto petendas, easque fuiſſe 1. periculum, uti credebant, ſcandali & contemtus, 2. ad venerationem myſteriis conciliandam. 3. ut eorum cogno-

 ſcen-

ſcendorum deſiderium excitarent. 4. ob quorundam ſublimitatem. 5. diſciplinæ tunc uſitatæ cauſſa: occultationem & reticentiam ſacrorum veteribus uſurpatam, in factis potius, quam in regulis fuiſſe poſitam: nec illam iuvare Pontificiorum dogma de traditionibus, & muſſitatione verborum in S. cœna.

EIVSDEM Hiſtoria religionum. Helmſtadii 1697. Chriſtianæ videlicet, iudaicæ, gentilis & muhammedanæ, a condito mundo ad noſtra uſque tempora, edente Phil. Ludov. *Bœhmero*, Moralium tunc temporis profeſſore ordinario. Atque hoc ſcriptum recenſetur in *Actis erudit.* A. 1698. 242.

Pag. 311. Alexander VII. Papa primus per tot ſecula inter ipſos Pontificios agitatam controverſiam noſtra memoria *determinavit*, definiens immaculatam conceptionem Mariæ absque ullo peccato.	*Prohibet condemnationem* eorum, qui ſtatuunt, Mariæ conceptionem non fuiſſe immaculatam, *negatque expreſſe, a Romana eccleſia id eſſe deciſum, vel decidere ſe velle, aut intendere.* Vide *eius Conſtitutionem* apud F. V. Calixtum de immacul. concept. B. Mariæ virg. p. 134. & *Conſiderat.* noſtram controverſ. cum Romano-Catholicis p. 25.
314. Homines exiſtimarunt, eſſe Deos æternos ac primos Solem & Lunam: quorum illum *Oſirin*, hanc *Iſin* appellarunt.	Illum *Oſiridem*, hanc *Iſidem.*
327. Prior pars Talmudis facta eſt *poſt* annum Chriſti *quingenteſimum*; poſterior *poſt* annum a Chriſto *ſexcenteſimum*.	Prior *circa annum Chriſti* 189. poſterior *circa annum quingenteſimum.* *Buxtorf.* de abbreviat. hebr. 229. *Surenhuſius* præfat. in Miſchnæ P. I. **.

Henrici RIXNERI Liber de veterum Chriſtianorum circa S. euchariſtiam inſtitutis ac ritibus. Helmſtadii 1671. Qui XI. abſolvitur capitibus, quorum 1. docetur, S. euchariſtiam die dominico, feſtis, aliisque diebus, ſæpe etiam quotidie adminiſtratam,

tam,

tam. 2. ieiunis, & potiſſimum mane, aliquando tamen etiam poſt cibos, & veſperi datam. 3. tum in publicis conventibus, tum privatim. 4. dignos tantum ad eius participationem admiſſos, non autem lapſos, niſi acta pœnitentia, editaque confeſſione. 5. offertorio præmiſſam lectionem ſcriptorum apoſtolicorum aut propheticorum, & orationem præpoſiti, ſeu, uti nos loquimur, concionem, nec non miſſam catechumenorum, pœnitentium & energumenorum. 6. fideles dona attuliſſe ad S. menſam, videlicet panem & vinum. 7. oblatione finita fideles precibus intentos fuiſſe, dehinc ſacerdotes & laicos manus laviſſe, mutuisque ſe oſculis ſalutaſſe, ac denuo diaconum exclamaſſe, ne quis remaneret catechumenus, auditor, infidelis, hæreticus. 8. ſacrificantium habitum ſive veſtitum fuiſſe peculiarem, communicantium mundum; panniculos, quos *pallas ſacras*, *pallas corporales*, ſeu *corporalia* vocabant, impoſitos ſacris ſymbolis; patellis uſos ad diſtribuendas panum particulas, & ſcyphis ſeu calicibus, initio vilioribus, deinde pretioſioribus, ad vinum benedictum porrigendum; canales etiam, ex ſuperſtitione, & propter periculum effuſionis, calicibus adpoſitos, ut populus inde potum hauriret. 9. communionem celebratam mutua ſacerdotis ac populi ſalutatione, adhortatione ad erectionem cordium, recitatione orationis dominicæ ac verborum inſtitutionis S. cœnæ, & pſalmorum atque hymnorum cantione. 10. peracta euchariſtia ſecutam gratiarum actionem, & benedictionem miſſionemque populi: diaconos partem conſecrati panis vinique ad abſentes pertuliſſe: aliquid etiam conſecratorum illorum reconditum & aſſervatum: oſcula repetita: ditiores contribuiſſe pecuniam, & apud præpoſitum depoſuiſſe, unde viduis, pupillis & egenis ſubſidium eſſet: panem precibus ſanctificatum, ſed non conſecratum, quem *ευλογιας* Græci & *αντιδωρον* vocabant, inter populum diſtributum, immo & inter ipſos communicantes, eundemque miſſum ad alias paroecias, atque ad peregrinos & abſentes, dilectionis & unitatis fidei teſtandæ cauſſa. 11. ut adultis, ita infantibus alicubi ſtatim poſt baptiſmum, ægrotis item ac morti vicinis adminiſtratam fuiſſe S. cœnam: orationes quoque & miſſas pro defunctis inſtitutas; ſed panem ſacrum cum fidelium cadaveribus nunquam ſepulcris illatum, in iisque reconditum.

Henricus *Rixner*, helmſtadienſis, *Stablii*, *Zeiſoldi*, *Friſchmuthi* & *Slevogti* in philoſophicis, Io. *Maioris* autem, Io. *Muſai* & Chriſtiani *Chemnitii* in theologicis diſcipulus, in patria academia Metaphyſices & Phyſices, deinde etiam Theologiæ, impetratis honoribus doctoralibus, profeſſor, tandemque templi cathedralis ad S. Martini, quod Halberſtadii eſt, paſtor primarius, Electoris brandenburgici conſiliarius eccleſiaſticus, & eccleſiarum Principatus halberſtadienſis ſuperintendens generalis, luci publicæ donavit Inſtructiones theologiæ moralis, Hiſtoriam ſacram N. T. a nato Chriſto uſque ad canam & declivem ſeculi XVII. ætatem, & multas Diſputationes, inter quas eminent tres, una videlicet de petitione principii, contra Melch. *Cornæum*, ſecunda, oppoſita D. Sam. *Pomario*, de incarnatione Flii Dei, tertia de ſacri calicis uſu pro laicis, & malo hypochondriaco afflictus, calculique doloribus cruciatus ſupremum diem obiit A. 1692. ætatis 58. *Pipping* Memor. Theologor. p. 459. Io. *Moller* Iſag. ad hiſtor. cimbr. P. II. 489.

EIVSDEM de laica & peregrina communione Liber: cum Diſcurſu de communione præſanctificatorum. Helmſtadii 1672. *Laica communio* auctori noſtro eſt ordo & ſtatus laicorum: in communionem igitur eiusmodi redactus dicebatur ſacerdos, qui ob delictum aliquod ex ordine clericali deturbatus atque eiectus erat. Si vero pro communione de S. cœna accipias, laica appellatur, quando quis tanquam laicus, ſeu in ſtatu laico ſacra ſymbola accipit. *Communio peregrina* erat clericorum peregrinantium, qui, ſi litteris formatis inſtructi erant, euchariſtiæ poterant fieri participes; ſin, humaniter tractabantur, & iuxta cum ceteris orare poterant, ſed a ſumtione euchariſtiæ excludebantur, & utrique ab eius adminiſtratione. Si vero communio peregrina domeſticis clericis imponebatur, erat ſpecies cenſuræ eccleſiaſticæ, ſive ſuſpenſio ab officio ſacro. Ceterum *Præſanctificatorum communio* dicebatur illa, quando tempore quadrageſimali ſymbola non eo, quo ſumebatur, die, ſed vel ſabbato, vel dominica, conſecrata fuerant. Hæc autem præſanctificatorum communio minime probat iuvatve doctrinam de communione ſub una.

EIVSDEM Tractatus de uſu Metaphyſicæ. Helmſtadii 1694. Quo principiorum primæ philoſophiæ in controverſiis ac dogma-

dogmatibus theologicis uſus & abuſus ſuccinĉte oſtenditur. Non ipſe eum auĉtor edidit, ſed alius poſt eius obitum, atteſtans in Præfatione, horum ſcriptorum intelligentes ſic iudicare, *ἀκρίβειαν* doĉtrinæ, & exaĉtæ induſtriæ laudem, quæ in aliis B. auĉtoris libris deprehenditur, huic ſcripto minime deeſſe.

CXXXIIX.

Chriſtophori ANGELI Enchiridium de ſtatu hodiernorum Græcorum, e græco in latinam linguam translatum, & annotationibus illuſtratum a Georgio *Feblavio.* Lipſiæ 1671. Editio priore, quæ A. 1655. prodierat, & græco textu carebat, locupletior: agiturque hic de conſtitutione hodiernorum Græcorum, cenſu, puerorum decimatione, IV. quadrageſimis, differentia trium ieiuniorum, modo exordiendi ieiunium Magnæ quadrageſimæ, dominica nona & oĉtava ante paſcha, quaternariis & præparationibus atque orationibus totius anni, de pane ſacro, diverſis ieiunii ſpeciebus, de diebus, quibus non ſolent ieiunare, de Arzeiburtz, diebus renovationis, feſto Pentecoſtes, ordinatione ſacerdotum, modo orandi, confeſſione, uſu S. ſynaxeos, baptiſmo, cum excommunicatione, montis translatione, monachis, eorumque ſeĉtis ſive ordinibus, veſtitu, virtutibus, ieiunio, quadrageſimis, vigiliis, pœnitentia, origine, & modo initiandi; de lege Dei, modo celebrandi paſcha, vita ſummorum ſacerdotum, de metropolitis, epiſcopis, ſacerdotibus, diaconis, ratione, quam monachi dormiendo obſervant, & exorciſmo. Epiſtola dedicatoria libro ſubiungitur, in eaque adferuntur teſtimonia virorum eruditorum, qui hoc auĉtoris inſtitutum adprobarunt & laudarunt, ac diluitur gloriatio de conſenſu Orientalium & Copto-Aegyptiorum cum Latina eccleſia, Epiſtolæque adduntur inſignia & copioſa Annotata.

Epiſtolæ dedicat. pag. 3. Ioach. *Hildebrandus*, Superattendens *brunſvicenſis.* | Generalis ſuperintendens *cellenſis.*

Chriſtophorus *Angelus*, peloponneſius, a Turcis propter fidem chriſtianam tam dirum in modum flagellatus, ut per integræ horæ ſpatium quaſi exanimis iaceret, claruit anno 1618. ſcripſitque Cantabrigiæ librum ſuum de ritibus eccleſiæ græcæ ſtilo ſim-

ſimplici & humili, omnique ornamento deſtituto, ut refert *Helladius* de ſtatu præſente Eccleſiæ græcæ p. 229. A Thoma *Smith* de Eccleſiæ græcæ ſtatu hodierno p. 166. ſive M 3. vocatur ſcriptor non omnino in explicandis Græcæ eccleſiæ ritibus contemnendus; ſed Leo *Allatius* lib. 3. de Eccleſ. oriental. & occident. conſenſu c. 17. eum accuſat, quod in gratiam hæreticorum (ſic Reformatos vocat) multa reticuerit, pleraque inverterit, alia quoque mendacio diffamaverit; quæ tamen ſine ignominia occultare non potuit, utcumque palam edixerit. Idem *Angelus* dedit encomium Angliæ, & Tractatum de apoſtaſia eccleſiæ & homine peccatore. *Lexicon. univ. hiſtor.* P. I. 142.

Georgius *Feblavius*, dantiſcanus, ad D. Mariæ in patria eccleſiaſtes, præter ſtudium, quo in antiquitates, cum ſacras, tum profanas, ferebatur, ſingulari facundiæ laude florens, edidit Concionem de ſtellis, aliamque de parheliis, Orationes funebres complures, & Speculum muliebre ſpirituale, obiitque anno 1642. cum vixiſſet annos 48. *Charitius* de viris eruditis Gedani ortis p. 72. *Witte* Diar. biograph. Gggg 3.

CXXXIX.

Onus eccleſiæ. 1620. Opus compilatum fuit anno 1519. a quonam? a IOHANNE, ut aiunt, epiſcopo chemenſi; primumque editum Landshuti A. 1524. ac poſtea Coloniæ 1531. In eo taxantur vitia omnium inter homines ordinum, & periculum a Turcis imminens, tanquam pœna ab irato Deo, oculis lectorum exponitur, ut cuncti vitam ſuam emendare, Deique vindictam declinare ſtudeant. Eſt itaque liber, qui potiſſimum moralia tractat, nec Lutheranos dimittit intactos. Vide de eo *Placcium* de anon. p. 144. & *Narrat. innoc.* A. 1713. 177.

Iohannes epiſcopus chemenſis floruit in pueritia ſæculi XVI. cum Carolus, Ferdinandi filius, eligendus eſſet ad gubernandum Imperium romano-germanicum; ſed ubi? in Gallia ne, ut Sebaſtianus teſtatur *Meyer*, theologus bernas? an in finibus terræ ſalisburgenſis ad lacum Chiemum, (zur Chiem-See.) Hoc ſane videtur *Gerhardo* in Confeſſ. cathol. procem. c. 3. *Oleario* Abac. Patr. 346. *Crenio* Animadv. P. IV. 89. & *Heumanno* de anon. & pſeudon. 151.

Matthiæ

Matthiæ ZIMMERMANNI de presbyteriſſis veteris eccleſiæ Commentariolus. Lipſiæ 1704. In quo multa præmittit de presbyteris veteris eccleſiæ, atque earum officia oſtendit fuiſſe, ut 1. coniugium inituris, æque ut Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, conſiliis ſuis præſto eſſent. 2. ut imperitas & ruſticas mulieres ante baptiſmum in rudimentis chriſtianæ doctrinæ informarent. 3. ut pœnitentes exciperent. 4. ut carceratorum curam ſuſciperent. 5. ut in eccleſia ſolemnem cum Clero pſalmodiam canerent. 6. ut mulieribus, baptiſmi tempore, adeſſent, cum nudandum eſſet corpus. Tandem vero, propter varias corruptelas & vitia abrogatæ ſunt, ut diaconiſſæ. Sicut & VRBANVS papa IIX. Ieſuitas ſuppreſſit A. 1630. Poſtea auctor, cuius iam mentionem ſupra fecimus p. 200. aliqua tradit de mulieribus Beguinabus.

Io. FRIDERICI Liturgia vetus & nova. Ienæ 1704. Sive collatio rituum liturgicorum eccleſiæ chriſtianæ priſcæ & hodiernæ. Atque ita diſſerit auctor de origine & natura liturgiæ ſacræ, de ritu orandi, catechizandi, concionum ſacrarum, baptizandi, S. cœnæ, pœnitentiæ, conſecrandi verbi divini miniſtros, impoſitionis manuum, conſecrandi templa ſeu ædes ſacras, fideles ad ſacros conventus convocandi, celebrationis feſtorum dierum, cantus eccleſiaſtici, inclinationis ad nomen ſervatoris Ieſu Chriſti, ſigni crucis, ieiunii ob publicas calamitates inſtituti, ſacrarum imaginum, nuptiarum, ſepulturæ, parentationis & memoriarum martyrum, benedictionis ſacerdotalis in fine ſacrorum apud veteres Chriſtianos, deque analogia veteris eccleſiæ rituum. Opuſculum hoc, ſi auctores *Narrat. innoc.* A. 1704. 528. audias, eſt ſuccinctum nec niſi potiores res ex melioribus & maioribus oſtendit auctoribus. Interdum etiam doctæ digreſſiones intermiſcentur, ut, de Interim & diſſidio Flaciano. Index plenitudine & ſingulari ſe accuratione commendat, eique omiſſa & errrata ſcito modo inſerta ſunt. Sed in Tomo IX. *Bibliotheca nova* p. 837. ex Memoriis *Trevoltienſium* refertur, longe eos aliter iudicaſſe: nec mirum, ſi attenderis, quid efficere poſſit religionis diverſitas.

Ioannes *Friderici*, natus Plaviæ apud Variſcos A. 1654. Nonis Sextilis, in philologia & philoſophia inſtructus ab academiæ lipſienſis Profeſſoribus *Fellero* & *Alberti*, in theologia a *Rappolto*,

Scherzero, *Oleario*, *Carpzovio*, *Rivino* & *Ittigio*, ſicut poſt impetratos honores magiſteriales, in ienenſi univerſitate, a *Baiero*, *Bechmanno*, *Muſæo* & *Gœzio*, primum vocatus fuit ad paſtoratum eccleſiæ Bensbuſanæ in Hennebergicis, deinde in paroeciam, quæ Briſnitiæ Dominarum eſt, & ephoriam in Dynaſtia tautenburgica adminiſtrandam translatus: in quo munere per V. Olympiadas defatigatus, & ex doloribus podagræ multa perpeſſus, divina aſſiſtente gratia, adhuc perſiſtit. Concinnavit, publicique iuris fecit IOANNIS FRIDERICI, Saxoniæ Electoris, Hiſtoriam, Orationem de pace, quam Chriſtus e ſepulcro ſuo nobis attulit, & Confeſſionem paulinam de Chriſto θεανθρώπῳ, ad Rom. 9, 5. Varia etiam Stromata ex civili & eccleſiaſtica hiſtoria collegit, quæ de veritate ſunt ſuſpecta, & L. teſtes veritatis euangelicæ, qui ante, ſub, & poſt reformationem vixerunt; atque hæc bina opuſcula in ſcriniis præſtantiſſimi auctoris deliteſcunt.

Georgii Henr. GOETZII Schediaſma de converſis Pontificiis ex lectione librorum Lutheri, lutheranorumque Doctorum. Lipſiæ 1705. Refert autem, ex lectione librorum Lutheri converſos eſſe Frid. *Myconium*, Mart. *Bucerum*, Henr. *Stolonem*, Caſp. *Guttelium*, Matthiam *Waibelium*, Io. *Knipſtrovium*, Io. *Bugenhagium*, Henr. *Bullingerum*, Io. *Riedingerum*: ex lectione autem librorum Lutheranorum, I. R. W. Fran. Leopold. *Reisſingium*, Petr. Paul. *Vergerium*, Io. *Samſonium*, Andr. *Zieglerum*, *iuvenem* quendam oſnabrugenſem, Chriſtoph. *Groſſpitſchium*, & Franz. *Albanum*.

Georg. Henr. *Gœtz*, S. theol. D. & antehac Annæ-montanus, nunc lubecenſis ſuperintendens, quamvis parum otii habeat a plurimis laboribus eccleſiaſticis, ſubinde tamen nova ſcripta producit, quibus in orbe erudito conſpicuum ſe exhibeat. Habemus ab eo Exercitationem de Cornel. *a Lapide* Commentariis in Scripturam ſacram, varias obſervationes theologicas; Problema theologicum, num Maria Filium Dei pariens obſtetricis opera fuerit uſa? Sed quid eius Meletemata recenſere incipio, cum ille, ut in *Muſeo libror. nov.* T. IV. 534. ſpes ſit, ea iunctim ſit editurus, atque in III. diſtributurus partes, nempe in Biblica, Moralia & hiſtorico-literaria, atque Hiſtorico-theologica?

Iohannis FAESII Lucubrationes in Bullam iubileam anni 1701.

1701. Clementis XI. Papæ. Helmſtadii 1705. Sicut auctor in Prooemio de Iubileis academicis verba facit, eaque in beneficiorum a Deo & benignis Nutritoribus acceptorum memoriam recte inſtitui pertendit, & in gratiam iubilei Academiæ vitembergenſis hoc ſcriptum formavit, ita ex quovis fere vocabulo Bullæ occaſionem captat commentandi, longasque digreſſiones faciendi. Recenſetur in *Actis erudit.* A. 1705. 7. Vnde iudicandum, an editionis annus ſupra indicatus recte ſe habeat, nec ne.

Ioannes *Faës*, luneburgenſis, natus A. 1646. 11. Febr. B. *Cellarii*, G. *Titii*, F. V. *Calixti*, *Meieri*, *Conringii*, *Sauberti*, & *Vſſelmanni*, profeſſorum academiæ Iuliæ, diſcipulus, primum ſteigerbergenſis in Comitatu hoienſi ſuperiori, deinde mindenſis, tandem ſtadenſis eccleſiæ paſtor, atque ab anno 1699. eiusdem Miniſterii ſenior, ſcribendis libris atque tractatibus admodum fuit deditus: eius enim ſunt Exercitatio de vulneribus Chriſti, liber de iubileis Pontificum romanorum, Animadverſiones in *Gyraldi* libellum de ſepulcris & vario ſepeliendi ritu, Notationes in *Titii* Commentatiunculam de morte, Chriſtus incoenatus, & Obelus peregrinitati communionis peregrinæ Phil. Io. *Tilemanni* fixus, Io. *Doughtei* Liber de calicibus euchariſticis, cum Præfatione, Marginalibus & Mantiſſa e MS. Libri III. de hebdomade magna, Anatome Bullæ iubileæ univerſalis A. 1700. ab INNOCENTIO XI. promulgatæ, & ſermone vernaculo editæ variæ Conciones, ac Libelli devotionis: ne quid dicam de carminibus, atque ineditis plurimis. Io. Henr. *Von Seelen* Stadæ literatæ p. 36.

Dorothei SICVRI Origo atheiſmi in Pontificia & Euangelica eccleſia. 1684. In Pontificia quidem eccleſia originem atheiſmi arceſſit 1. ab informatione in profanis ſtudiis, & quaſi exilio ſtudii pietatis, Scripturæ & theologiæ, immo & ipſius Catechiſmi romani, 2. theologia hominibus de plebe, & obtuſi ingenii relicta. 3. Papæ conniventia ad peccata Potentium, vel in totius orbis oculos incurrentia. 4. prohibitione & ſuppreſſione librorum orthodoxorum: in Evangelica autem, 1. a iuventutis & ſcholarum neglectu, 2. Miniſterii eccleſiaſtici contemtu. 3. mala concionandi ratione. 4. totali omnium cærimoniarum abolitione. Scriptum hoc eſt grave, pium & utile: at cuius auctoris? ſi anagramma

ſolvis, Dorotheus Sicurus eſt Theodorus CRVSIVS: de quo vide P. IV. 287.

Hoc firmiter mihi perſuadeo, *neminem doctrina & eruditione præſtantem virum* in caſtra Pontificiorum, ſolius & nudæ religionis, conſcientiæ tranquillandæ ergo, ullum citra alium reſpectum, abiturum eſſe.

Exempla contraria præbent Nicolaus *Steno*, Io. Georg. *Rætenbeck*, Io. Phil. *Pfeiffer*, & *plures* alii.

Frid. Erneſti KETTNERI Exercitationes hiſtorico-theologicæ de religione prudentum, Ienæ 1701. Per Religionem prudentum autem intelligit eam, qua quis ea, quæ ſibi congrua videntur & commoda, quam diu proficuum fuerit, credenda ſibi proponit. Hæc religio alias dicitur Religio magna, communis, politica, ſtatiſtica, philoſophica; quique ei addicti ſunt, vocantur Libertini, Acephali, Deiſtæ, & gallice Des grues, Les Forts, Les eſprits forts. Atque ſic agit auctor de diviſione, & cauſſis huius religionis, de locis & provinciis, ubi illa vel regnat, vel ſedem habet, eique adſcribit *Machiavellum*, *Bodinum*, *Grotium*, M. Ant. *de Dominis*, *Zuvickerum*, Thom. *Broune*. *Lucianum*, *Spinoſam*, *Hobbeſium*, & Syſtema religionis *pontificiæ*: præterea vindicat quædam miracula, in SS. litteris indicata, ac poſtremo remedia proponit contra morbum iſtius religionis. De auctore diximus P. IV. 58.

EIVSDEM Schrifftmæſſig bedencken, Iudicium Scripturæ ſacræ conforme de religione eclectica. Ienæ 1702. Religio autem eclectica illi dicitur, qua eruditus ex omnibus religionibus id, quod optimum ipſi videtur, eligit, nec tamen vel plene, vel aliqua ex parte ad ſectam aliquam tranſit, eique ſe adſociat. Huic Iudicio ſubiungitur mea Io. *Fabricii* de Theologia eclectica Diſſertatio, quæ alias exſtat in Amœnitatibus meis theologicis p. 304.

CXL.

Georgii MOEBII Tractatus philologico-theologicus de oraculorum ethnicorum origine, propugnatione, & duratione. Cum II. Diſſertationibus A. 1660. & cum vindiciis contra Antonium *Van Dale*, Lipſiæ 1683. Secunda & auctior editio, poſtquam prior com-

comparuerat A. 1657. Varia hic ſimul exponuntur oraculorum, tam divinorum, quam ethnicorum, genera; item, quænam celebriora olim extiterint oracula, & quibus in locis fuerint frequentata; quibus in partibus oracula ethnica cum divinis aliquo modo convenerint, & in quibus rurſus ab iisdem maxime receſſerint; & quanta diaboli futura cognoſcendi ſit præſcientia. *Acta erudit.* A. 1685. 374. *Iournal des Sçavans* A. 1686. p. 257.

Georgius *Mœbius*, natus Lauchæ in Thuringia, a patre quidem, quod iam IV. filios ante ipſum natos ſtudiis deditos aleret, rei oeconomicæ, ſed a divina providentia ſacris deſtinatus, Ienæ *Dilherri*, *Stahlii*, *Zeiſoldi*, *Slevogti*, *Gerhardi*, *Himmelii*, Lipſiæ *Weberi*, *Hœpfneri* & *Kromayeri* diſcipulus, ea fuit modeſtia, ut quamvis primos in theologia honores conſecutus eſſet, ſcholaſticos labores ſubiret, gymnaſiique martisburgenſis regimen ſibi imponi pateretur; atque ideo D. Gottfried *Cundiſius* inter gratulantes ita ad eum ſcripſit: *Laudo tuam modeſtiam, qua hinc eluceſcit, quod officium ſcholaſticum non detrectaſti; quod ſuo loco ſatis honorificum eſt. Erit tempus, quo Patronus ſummus dicet: Amice, aſcende ſuperius.* Atque huic prædictioni eventus reſpondit: ſequentibus enim temporibus factus eſt theologiæ doctor & profeſſor primarius in academia lipſienſi, Facultatis theologicæ ſenior, ingenuæ cathedralis Eccleſiæ miſenenſis canonicus & theſaurarius, alumnorum electoralium ephorus, Academiæ decemvir, & præpoſitus Collegii paulini. Tandem vero laboribus ſenioque confectus placide deſiit ſpirare A. 1697. cum vixiſſet annos 81. Vnde in eius obitum eleganter hoc modo luſit D. Io. Georg. *Neumannus*:

Deſinimus nos eſſe viri, ſimul atque ſenectus
Exſangues reddit, qua rubuere, genas.
Non ſtudiis poterat, nec duro frangier ævo
Mœbius, *at ſolo concidit ille die.*

Ad ſcripta, quibus inclaruit, ſequentia ſunt referenda: Vindiciæ Hutterianæ pro Compendio theologico D. *Hutteri* contra Mar. Frid. *Wendelinum*, Selecti canones theologici ſeu Theologia canonica, & Volumen diſſertationum, in quibus diſputat contra Henr. *Marcellium*, *Wendelinum*, D. Io. *Heinium*, *Salmaſium*, *Bartholinum*, *Curcellæum*, Chriſtianum *Beemannum*, Ioſ. *Scaligerum*, Iſ. *Caſaubonum*, &

Ducem Saxoniæ *Henricum*. Plura dabit ſumme reverendus Pippingius in Memoriis theologorum p. 703.

Caſp. SAGITTARII Liber de martyrum cruciatibus in primitiva eccleſia. Francofurti & Lipſiæ 1696. Hæc editio priore, quæ prodiit anno 1673. eſt auctior, ſed in ea omiſſæ *Sagittarii* Dedicatio ad Henr. Hildebr. *ab Einſidel*, & Præfatio, in quarum illa gentem Einſidelianam, atque in primis prædictum eius fulgidiſſimum tunc lumen iuſtis laudibus effert, in hac argumentum libri præter eius ſcribendi occaſionem aperit, deque *Gallonii* libello eiusdem argumenti iudicat, & trigam promittit Commentariolorum, videlicet Notitiam hiſtoriæ martyrum, Libellum de honoribus martyrum, aliumque de Proceſſu cum martyribus iudiciario, deque veris ac falſis perſecutionum cauſis: utque commentarioli hi perficiantur, & tandem aliquando lucem videant, operam ſe daturum ſpondet ſcriptorum ſagittarianorum heres & promus condus Io. Andr. *Schmidtius*, novæ Præfationis auctor, & theologus helmſtadienſis clariſſimus. Tunc autem, cum Sagittarius librum de martyrum cruciatibus ſcriberet ederetque, ipſe nondum erat profeſſor ienenſis, ſed theologiæ doctorandus, & privatam agens vitam.

EIVSDEM de martyrum natalitiis in primitiva eccleſia Liber. Francofurti & Lipſiæ. Editio ſecunda & auctior: cum Præfatione I. A. *Schmidii*, qui in ea de amplitudine ſtudii hiſtoriæ eccleſiaſticæ diſſerit, item de Herib. *Rosvveydi* inſtituto omnia Sanctorum acta edendi, & Caſp. *Sagittarii* delectatione in martyrum rebus inveſtigandis. Ipſa autem tractatio conſtat VI. capitibus, in quibus agitur de nomine & origine natalitiorum martyrum, de locis, in quibus illa celebrata, de præcipuis ritibus, quibus fuere celebrata, deque precibus & conviviis in natalibus martyrum.

CXLI.

Fran. MASSARII in nonum Plinii de naturali hiſtoria librum Caſtigationes & Annotationes. Baſileæ apud Frobenium 1537. Additur & hoc in fronte libri: *Quisquis de natura aquatilium ac remotiore piſcium cognitione edoceri cupis, hunc Maſſarii commentarium eme & lege. Admiraberis laborem ac ingenium hominis candidiſſimi,*

qui

qui longe maximam operam in his indagandis, ut ſtudioſi iuvarentur, inſumſit. In Præfatione dicit auctor, ſe tam diffuſam materiam non quidem plene, maximam tamen eius partem tradidiſſe, *Plinii*que, quem vehementer laudat, librum cum vetuſtis exemplaribus, aliisque auctoribus diligenter contuliſſe, & in reliqua eius volumina, ſi Superi faverint, commentaturum eſſe. Beatus *Rhenanus* autem in Dedicatione teſtatur, *Maſſarium* non ex aliorum libris ſua collegiſſe & exſcripſiſſe, ſed ipſa maria navigando perluſtraſſe, ut veram piſcium notitiam ſibi compararet.

Fran. *Maſſarius*, venetus, floruit in pueritia & adoleſcentia ſæculi XVI. ſuaque peculiari induſtria, quam noſcendis piſcibus impendit, de re naturali & hiſtorica optime eſt meritus.

Lazarus BAYFIVS de re navali, item de veſtimentis & vaſculis veterum. Baſileæ 1537. Sunt Annotationes ſeu commentarii in Leges Pandectarum, agentes de navibus, atque de auro & argento. Adiectæ etiam ſunt figuræ navium, veſtium, & vaſorum; de quibus tamen monet Carolus *Stephanus* in Præfatione, non eſſe tantam iis fidem adhibendam, ut in marmoribus ad unguem effictas fuiſſe credas. Additur etiam Antonii THYLESII de coloribus libellus: nimirum ad ſupplendum ea, quæ Bayſio in libro de veſtimentis circa colorum varietatem dicenda fuiſſent. Adeo enim modeſtus & iuſtus erat Bayſius, ut nollet auctorem, qui rem colorum elegantiſſime explicaverat, gloria ac luce ſua ſpoliare, eamque in ſe transferre.

Lazarus *Bayſius*, andegavenſis, nobili ortus familia, eos in ſtudiis litterarum, philoſophiæ & iurisprudentiæ profectus fecit, ut excellentis litterati nomen mereretur, ac prudentiſſimus Rex FRANCISCVS I. ad varias & inſignes legationes eius opera ſuo cum commodo uteretur. Isque primus fuit, qui de re veſtiaria quid ſcriberet, atque ederet. Tandem mortuus eſt Pariſiis, anno ætatis 60. *Sammarthanus* Elog. P. I. 15. *Ghilinus* P. I. 276. *Ferrarius* Præfat. in libros de re veſtiaria, *Morhof* Polyh. lib. V. 232. 235. *Grævius* Epp. p. 340. *Muſeum novum* T. I. 740. *Eraſmus* in Ciceroniano 1012. atque in Ep. 689. p. 806. ubi dicit, ſe exoſculari hominis candorem, cum exquiſita coniunctum eruditione.

Antonius *Thyleſius*, conſentinus, clarus ſæculo XVI. ſcripſit de

de coronarum generibus apud antiquos, deque urinis, & varia erudita Poëmata, inter quæ unum eſt de ortu Archintorum. *Friſius* Epit. Biblioth. Geſner. p. 68. & *Iovius* in Elogiis n. 122.

CXLII.

Octavii FERRARII de re veſtiaria Libri VII. Patavii 1685. In fronte quidem dicitur: *Quatuor poſtremi nunc primum prodeunt, reliqui emendatiores & auctiores*; ſed *Gravius* Ep. LV. p. 341. refert, priores tres prodiiſſe A. 1642. quatuor vero poſteriores cum prioribus auctiores A. 1654. & *Crenius* Animadverſ. P. III. 175. obſervat editionem hanc admodum eſſe vitioſam: idemque obſervabit quivis alius. Adiiciuntur 1) icones, quibus res tota oculis ſubiicitur. 2) Analecta de re veſtiaria, ſive Exercitationes ad Alberti *Rubenii* Commentarium de re veſtiaria & lato clavo. Qui tamen in plurimis defenditur a *Gravio* in Epiſtola ſupra allegata, & *Colomeſius* Opp. p. 428. cum *Gravio* l. c. & in Notis in Suetonium p. 381. fatetur, Ferrarium iuſto acerbius Rubenium tractaſſe. 3) Diſſertatio de veterum lucernis ſepulcralibus. Atque hæc editio tranſiit in Tomum VI. Theſauri antiquitatum romanarum *Graviani*. De Iſ. *Caſaubono* memoratur, eum promiſiſſe peculiarem tractatum de re veſtiaria, ſed morte præventus præſtare id non potuit: promiſit & Cl. *Salmaſius* ampliſſimos hoc de argumento commentarios, eosque abſolvit, ſed non publicavit; neque etiam Io. Bapt. *Lantinus*, ſenator divionenſis, qui eorundem quidem edendorum ſpem fecit orbi litterato. Quamvis autem Ezech. *Spanhemius* Epiſt. III. ad Morellium p. 189. Ferrarium celebre hoc argumentum magis attigiſſe, quam pertractaſſe iudicet, & *Bœclerus* magnifice hoc de opere ſentire ſe poſſe neget, immo difficiliora auctorem prætermiſiſſe ſcribat; alii tamen præclarius de eo ſentiunt: nam *Morhofius* Polyh. liter. lib. V. c. 2. §. 9. 232. opus vocat profecto doctiſſimum, & quod argumentum hoc haud vulgariter illuſtret: *Gravius* Ep. LV. p. 341. Ferrarium politiora & luculentiora, quam Bayſium, de veſtitu veterum prodidiſſe tradit: *Rubenius* c. 1. ſui operis teſtatur, Ferrarium ita omnem de priſcis veſtibus materiam exhauſiſſe, ut promiſſos a Caſaubono & Salmaſio de re veſtiaria commentarios vix deſideremus. Et *Almeloveenius* Biblioth. promiſſæ & lat. p. 122. quærit: Quis olim recte unquam de

de re veſtiaria quidquam ſcripſit, antequam Octavius Ferrarius id argumentum doctiſſime pertractaſſet? Hæc encomia in memoriam & honorem viri diſertiſſimi, grandis Lycei patavini decoris, amici veteris, quem vivum obſervavi (ut cum *Gravio* loquar) & nunc mortuum colo, adducere volui. Quibus adde, quæ Tomo II. operum Ferrarii variorum p. 193. 237. & 634. leguntur, & I. F. *Gronovium* in Rhodii Diſſert. de ponderib. & menſur. p. 68. Neque tamen a nobis prætereundi ſunt errores, a doctiſſimis viris obſervati.

Lib. I. c. 6. p. 13. *Sinus togæ duplex fuit.* Et Analect. c. 42. p. 141.	*Somnium eſt* ex eburnea porta. Io. Georg. *Grævius* Ep. LV. p. 357.
Duplex ſinus probatur verbis Quintiliani: *Sinus* decentiſſimus, ſi aliquando ſupra imam togam fuerit, nunquam certe ſit inferior. *Ille* qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur velut baltheus, nec fluat nec ſtranguler.	Pronomen *ille* non *pertinet* ad ſinum, ſed *ad baltheus. Idem* p. 358.
Lib. II. c. 12. p. 164. *Torrentius* & Marcellus (Beroaldum) *more ſuo deſcripſere.* Sic & p. 184.	*Vereor, ne fidem* facere nobis poſſit. *Crenius* Animadverſ. P. IV. 83. *Gravius* Epp. p. 176.
Lib. III. c. 12. p. 208. Nec aliud clavi fuere, quam purpuræ ſegmenta, ſive fruſta purpurea, ut ſunt *capita* clavorum *rotunda*: unde & nomen traxere. Et in Analectis c. 1. p. 2.	Fuerunt *lineæ* purpureæ, ad inſtar faſciarum, *oblonga quadrata* p. 350.
Cap. 18. p. 234. *Mirum videri poteſt*, ſaltatores longis ac fluentibus tunica pallaque velatos.	*Non mirum videri poteſt*, ſi cogitetur, eos manibus potius, quam pedibus uſos fuiſſe. M. Ant. *Madero* Præfat. in Calliachii Syntagma de ludis ſcenicis mimor. & pantomimorum p. 25.

Cap. 19. p. 237. Rem de amiculo Syloſontis famii, quo delectatus Darius, narrans Aelianus Variæ lib. IV. *ait ortum inde adagium*, Η Συλοσῶντος χλαμυς, Syloſontis chlamys.

Nihil ibi Aelianus neque de proverbio, neque de voce χλαμυς. *Crenius* Animadverſ. P. III. 175.

Cap. 20. p. 244. *An veſtis confici poſsit ex plumis*, haud ſcio.

Vſus ille plumarum eſt *apud gentes toto a nobis mari atlantico diviſas*. *Crenius* P. IV. 86.

P. II. Lib. III. c. 2. p. 96. Poëta de Didone: *Sydonio pictam* chlamydem *circumdata* limbo.

Ego in tredecim, quos ad manum habeo, codicibus Virgilii IV. Aen. v. 137. ita lego: *Sidoniam picto* chlamydem *circumdata* limbo. *Crenius* P. III. 176.

In Analectis de re veſtiaria, & quidem in Præfat. a 2. *Rubenii contradicendi ſtudium* ubique eminet, ubique viris doctis obſtrepit. Ita &c. 40.

Veri eruendi ſtudium erat in Rubenio, ſine maledicentia. *Gravius* p. 350.

Iuvenili oſtentatione, in primi capitis epigraphe, hoc a ſe ſtatui iactat, adverſus Egnatii, Sigonii, Accurſii, Lazii, Panciroli, Cuiacii, Budæi, Salmaſii, Ioſ. Scaligeri ſententiam, *quaſi ipſe ſolus ſciat*, quod tot viri celeberrimi ignorarunt.

Veriſſimum tamen eſt, *illum ſolum ſciviſſe*, quod doctiſſimi quique ante illum ignorarunt. Verum ſi hæc eſt oſtentatio iuvenilis, quoties Ferrarius in hoc ipſum crimen incurrit! *Idem* 345.

Quæ omnia partim falſa ſunt, ac *plane abſurda*: ſi quæ autem recta, *ab aliis pridem & a nobis obſervata* & diſcuſſa.

Omnia qui poſſunt abſurda eſſe, quæ ſcripſit Rubenius, cum vir fuerit, ut ipſe Ferrarius fatetur in Analectis, tam eruditus? *Idem* 347.

A Rubenio *ficta laudis teſtificatione* laceſſitus ſum, isque *omnia noſtra impugnare* ex inſtituto aggreſſus eſt, *multaque e noſtris ſibi arrogavit*,

In pauciſſimis locis mentionem facit Ferrarii, & *ſemper honorificam*. In aliis ubi diſcrepat eius ſententia a Ferrario, non tam illa propria ſunt Ferrario, ſed

ſed *communia cum aliis viris doctis*. Ceterum *opulentia Rubenii*, nec ullius eget ſtipis, nec opus habet alienæ inſidiari arcæ. *Idem* 348. 349.

Cap. I. p. 4. Cur lintea toralia, & mantilia, arte miniſtrorum ita coniungi & complicari non potuerunt, *parte* ſcilicet *linteaminis alba clavis interpoſita ſub iisdem latente, ut tota purpurea appareret*, atque ita veſtem imperatoriam referret?

Id nemo poteſt intelligere. Idem 356.

Cap. 4. p. 12. 13. De numero clavorum *inutilis eſt quaeſtio*. Nimis iam invidioſum eſt, & malevolorum voculis obnoxium *antiquitatis ſtudium*, quod plerumque *circa inutilia & frivola* occupetur.

Quam facile haec ἀμυντοι poſſunt conferre in omnes Ferraris libros de re veſtiaria! *Idem* 354.

Cap. 43. p. 143. *Quaſi*, quod præcingitur, non cingatur, & *ſit aliquod diſcrimen inter cincturam & præcincturam*.

Præcinctus *ſemper dicitur de toga*, nunquam de tunica. *Idem* in Notis in Suetonii Cæſarem p. 366.

Pag. 144. *aut erravit Macrobius* (de Cæſare ſcribens, ita togam præcinxiſſe, ut trahendo laciniam mollis incederet) aut pro toga *tunica* legendum.

Nec erravit Macrobius, nec lacinia unquam tribuitur tunicæ, ſed ſemper togæ. *Idem* p. 366.

Quod ad Diſſertationem de veterum lucernis ſepulcralibus attinet, in ea redarguit vir diſertiſſimus ſententiam eorum, qui ſtatuunt, datas fuiſſe lucernas perpetuo ardentes, eamque Diſſertationem eruditam vocat *Gravius* Epp. p. 312. Quamquam Rob. *Plotus* in Diſcurſu de lampadibus antiquorum ſepulcralibus oſtendere conetur, perpetuum earum ignem diverſis modis poſſe confici. Et auctor *des Melanges d' Hiſtoire & de Litterature* (in Tomo III. Supplement. Actorum erud. p. 394) putat, veteres ad lucernas

 ſepul-

ſepulcrales adhibuiſſe ſpeciem phoſphori. Io. Petr. *Bellorius* edidit Obſervationes ad lucernas ſepulcrales antiquas, quæ recenſentur in *Actis erudit.* A 1692. 225. Et icones talium lucernarum recudendas curavit CL. *Begerus*, Berolini apud Rudigerum 1702. f.

EIVSDEM Electorum libri II. Patavii 1679. In quorum priore agitur de nave ſolutili, labaro, vexillariis legionum, ſignis cohortium, equuleo, compede, fidiculis & ungulis, de fumariis, ſententia Imperatoris in ſenatu, de faſcino triumphantium cuſtode, calidæ potu, *Britannico* fraude a Nerone ſublato, ludo talorum, Manibus, cenſu ſenatorio & equeſtri, annulis, interiore & exteriore, *Verre* Aſpendium cithariſtam artificio ſuperante, & emendationibus Petronii Arbitri, Taciti, Apuleii, & Iuvenalis: in poſteriore de tunica Chriſti inconſutili, braccarum uſu, unguento piſtico, loco diſcubitus Chriſti in cœna ultima, cantu ad manum, lacedæmonio orbe & pytiſmate, de ſupplicio militari, veſtitu ſcorto & ſella meretricia, facinore maioris abollæ, ſaltatione pantomimica, raſione gutturis, capillorum tonſura, poppyſmate, ſalis & Delphinorum columnis, menſis citreis, repoſitoriis, pugna ad digitum, faſciis ſepulcralibus, ſudario Chriſti, crematione cadaveris apud Romanos, & ſeparatione cinerum mortui a favilla rogi, ritu ungendi cadaveris, prandiis & hora cœnæ, more tranſiliendi ignem, fabis ad pellendos lemures iactatis, feriis caprotinis, capite aſelli coronati, & correctionibus atque explicationibus *Plinii*, *Livii*, *Taciti*, *Iuvenalis*, *Plauti*. Pag. 142. elegans eſt deſcriptio ſævi pugillatus, qui frequenter fit in urbe Venetorum inter Nicolaitas & Caſtellanos, quemque *i pugni* vocant italice. Et auctor II. alios Electorum libros promittit; ſed illi non ſunt ſecuti. Dedicatoriæ ad Leonardum Piſaurum, D. Marci Procuratorem, epiſtolæ lectio neminem pœnitebit: abundat enim eloquentiæ Ferrarianæ divitiis, & in ampliſſimi meritiſſimique ſenatoris laudibus occupatur.

Lib. II. c. 15. p 141. *Ova & delphines erant machinæ ligneæ*, ovorum ac delphinorum figura, ad quadrigarũ curricula numeranda, & diſtinguenda, ut ad ſingula ſpatia & metæ flexus, qui ſe-

Ova & delphines non erant diverſa pila, ſed cum IV. agitatores primum ſpatium confeciſſent, ut ab ultima meta reflecterent ad primam, *erigebatur una ſala ovo & delphino inſignis*, cum

ptem erant, ovum ligneum, quod erat exemtile, *auferretur.* Ibidem: *Veneta aurigationis nota* & inſigne, atque index erat delphin, *praſina* autem *ovum.*

cum ſecundum, altera &c. & qui ex illis IV. aurigis primus ſeptimo pedatu, cum ſeptem delphini ſtarent erecti, ad primas metas venerat, victor erat. *Gravius* Epp. p. 407. Signa hæc erant *pro IV. factionibus*, adeoque & pro Albata & Ruſſata. p. 408.

CXLIII.

Laurentii PIGNORII de ſervis, eorumque apud veteres miniſteriis Commentarius. Patavii 1656. Editio poſt primam anni 1613. ſecunda: tertia eſt amſtelodamenſis A. 1674. 12. In Commentario iſto omnis tum urbana, tum ruſtica familia ordine producitur & illuſtratur. Io *Rhodius* in Commentarium hunc Obſervationes ſcripſit, quæ in bibliotheca Academiæ hafnienſis aſſervantur, teſte *Mollero* in Hypomnem. ad Bartholinum de ſcriptis Dan. p. 308. De Pignorio actum a nobis eſt P. III. 481.

Pag. 129. Carneades manum ad menſam porrigere oblivifcebatur, *niſi monitrix domeſtica*, temperato inter ſtudia officio, manum neceſſariis uſibus aptaſſet. Valer. Max. lib. 8. c. 7.

Apud Valerium ſic legitur: *Sed enim Meliſſa, quam uxoris loco habebat*, temperato inter ſtudia non interpellandi, ſed inediæ ſuccurrendi officio, dextram ſuam neceſſariis uſibus aptabat. *Cren.* Animadverſ. P. III. 149.

225. Officinatorem a ſtatuis intelligo fabrum ſtatuarium, proxime ad vim vocis, quam & Vitruvius (lib. 6. cap. ult.) *alias intactam* uſurpavit.

Vſurpavit etiam Apuleius l. 9. Metamorph. *Idem* p. 152.

Iac. Phil. TOMASINI Liber de donariis ac tabellis votivis. Patavii 1654. Secunda editio, auctior & emendatior, cum prima prodiiſſet anno 1638. Quid autem ſibi vult auctor cum donariis & tabellis votivis? qua de re agit? Agit de donariorum materia,

teria, ſpeciebus diverſis, ludis, decimis, hecatombis, aliisque donis ad vota ſpectantibus, de diverſa vovendi ratione, loco anathematum, votis Genio & Laribus dicatis, de votis natalitiis, parentum votis pro filiis, puerorum, virginum, nuptarum, parturientium, coniugum, & amantium votis, de convivantium, & legatorum donariis, de votis populi pro Principe, patria, Imperio, civibus, de donariis Imperatorum, triumphantium ac militum, de votis eruditorum, laborantium, navigantium, agricolarum, & vinitorum, de votis Nymphis oblatis, de votis hortos colentium, paſtorum, venatorum, aurigarum, piſcatorum, artificum, ægrotantium, ſenectutis, ſervorum & ancillarum, de donis gladiatorum, de votis immanibus ac nefariis, temerariis & iocoſis, ac ſceleratis, de donariis mulctatitiis, & ſacris noſtri ævi donariis.

Iacobus Philippus *Tomaſinus*, Patavii natus, canonicus regularis S. Georgii in Alga, & cœnobiarcha D. Mariæ in Vantio, tandemque epiſcopus æmonienſis, floruit anno 30. ſeculi XVII. & ultra, ac præter eos libros, qui hoc in Tomo recenſebuntur, emiſit Parnaſſum euganeum, *Livium* patavinum, Manum *Aenea* cecropii, & Vitam M. Ant. *Peregrini*. *Imperialis* in Muſeo hiſtorico p. 227. Præſulem hunc vocat luculentum Elogiorum ſcriptorem, pluribusque aliis effœtum induſtriæ monumentis, litteratorum conſortio periucundis, & *Gaſſendus* lib. IV. de Vita Peireskii p. 157. virum de ſua patria concivibusque eruditis bene meritum: quamquam enim *Placcius* de pſeudon. p. 595. & Caſp. *Hofmannus* apud Crenium Diſſert. I. de furib. librar. §. CX. ſcripta Tomaſini Io. *Rhodio*, tanquam vero auctori, tribuant, ego tamen cum Io. *Mollero*, Hypomnem. in Alb. Bartholini librum de ſcriptis Danorum p. 305. viro non minus circumſpecto & æquo, quam docto, fateor me ambigere, nec iis aſſenſum præbere poſſe. Thomas namque *Bartholinus*, utriusque amicus, & rerum ipſorum peritus, Tomaſini honorem defendit, Diſſertatione II. de legendis libris p. 44. ſcribens: *Reverendi* Tomaſini *Manes lædunt, qui operum variorum famam cum* Rhodio *noſtro partiuntur. Limam ſubinde illis a* Rhodio *adhibitam, non ignoramus; &, ſi forſan loca autorum deſiderarentur, pro amicitia, quæ utrique interceſſit, maxima, ſicut inter doctos fieri ſolet, communicata, utrimque amicus bona fide teſtari debeo. Nec aliud huius modeſtia, & ſueta longo uſu ſcribendi penna ſuadet.* Immo nec

nec ipſe hoc diffitetur venerabilis *Tomaſinus*, in Epilogo Partis II. Elogiorum p. 393. his uſus verais: *Si pari nobiscum ingenuitate, qua ſuggeſſere amici, exceperis, non parum humanitati tua debebunt iſta.*

EIVSDEM Liber de teſſeris hoſpitalitatis. Vtini 1647. Recuſus Amſtelodami 1670. 12. In quo ius hoſpitii univerſum, apud veteres potiſſimum, expenditur; ſpeciatim vero ſermo fit de tabulis hoſpitalibus, hoſpitalitatis origine, nominisque ratione, nec non uſu & fine præcipuo, de diis hoſpitalibus, hoſpitalitatis religione, hoſpites adorandi ritu, iure hoſpitalitatis, hoſpitiis publicis & privatis, prima hoſpitum exceptione, tractatione hoſpitum ac legatorum peregre venientium, omine in hoſpitum adventu, apparatu hoſpitalitatis circa viatores, hoſpitalitatis ſecuritate & immunitate, conviviis; quibus hoſpites excepti, loco hoſpitum in menſa, cultu mulierum in hoſpites, oſculo hoſpitibus dato, cultu veterum Iudæorum in hoſpites, hoſpitalitate variarum gentium & Chriſtianorum, & hoſpitum diſcedentium ritu: item de mercenaria hoſpitalitate, ſupremo erga hoſpites officio, & inhoſpitalitate.

EIVSDEM Petrarcha redivivus. Patavii 1650. Quo integra Petrarchæ vita exhibetur, & brevis hiſtoria de Laura *Sada*, Petrarchæ adamata. Adduntur & aliæ deſcriptiones vitæ huius poëtæ, auctoribus Pet. Paulo *Vergerio*, anonymo, Iannozzo *Manetto*, Leonardo *Aretino*, & Lud. *Beccadello*; item Fort. *Liceti* ad epiſtolam Tomaſini de Petrarchæ cognominis orthographia Reſponſum: in quo ſtatuit, nomen eius ſcribendum cum aſpiratione, *Petrarcha*. Tomaſini liber variis etiam iconibus figurisque ornatus eſt, ut Petrarchæ, Lauræ, quorum tamen meliores dantur in *Sandrarti* Academia teutonica P. II. 70. Vallis clauſæ, vici Arquadæ, fontis, domus, ſellæ, murilegæ, mythologicorum, & tumuli Petrarchæ.

CXLIV.

Ioannis RHODII Diſſertatio de acia. Hafniæ 1672. Secundis curis, ex auctoris autographo, auctior & emendatior, cum iudiciis Doctorum, edita a Thoma *Bartholino*. Quam laudat, ac priori de anno 1639. longiſſime præfert Io. *Mollerus* Hypomnem. ad Bartholinum de ſcriptis Danor. p. 303. Accedit eiusdem *Rhodii* 1) Diſſertatio de ponderibus & menſuris, 2) Vita Celſi. De Io. *Rhodio*

Digitized by Google

dio locuti ſumus P. III. 172. Hoc autem præterire non poſſumus, aciam ei dici, quod una cum acu traiicitur, ſive linum id ſit, ſive lana, ſive quidpiam aliud, ad faciendam fibulam ſive ſuturam, ubi arte chirurgica confibulandum & conſuendum quid eſt. Dumque Celſum exponit de acia, ſimul univerſam fibulæ rationem explicat.

CXLV.

Ioannis LOMEIERI Epimenides, ſive de veterum Gentilium luſtrationibus Syntagma. Zutphaniæ 1700. Nunc ſecundis curis (prior editio emiſſa eſt Vltraiecti A. 1681.) auctius editum, tabulis illuſtratum, indiceque pariter rerum & verborum locupletiſſimo adornatum. In quo in originem & cauſſas luſtrationis veterum inquirit, Deos Gentilium *καθαρσιυς* & *αλεξικακυς* contra Stoicos & Epicurum Scriptorum veterum teſtimoniis confirmat, tria purgationis genera fuſius declarat, luſtrationum genera peculiaria recenſet, & Gentilium ſuperſtitionem per Doctores, Concilia & Imperatores chriſtianos abrogatam eſſe tradit. Vide *Acta eruditorum* A. 1682. 253. & A. 1701. 48. ubi ſcriptum hoc iis, qui ſacris pariter profaniſque litteris ſolide tractandis delectantur, quam maxime commendatur; & Ant. *Borremanſius* in litteris ad auctorem fatetur, dudum eſſe, quod utiliorem librum non viderit, & pleniorem omnigenæ eruditionis.

Io. *Lomeier*, zutphanienſis, eccleſiæ primum deutechomienſis, deinde patriæ ſacerdos, *Morhofio* Polyh. T. I. 207. vir doctus, Collectoribus *Actorum erudit.* locis citatis, autor nominis haud obſcuri, item ſenex doctiſſimus & Zutphaniæ ſuæ decus haud vulgare, Wilh. *Wilhelmio* βιβλιοθηκα εμψυχος bibliotheca animata, & *Borremanſio* l. c. vir prodigioſæ lectionis & ſtupendæ diligentiæ dictus, deceſſit 4. Nonar. Decemb. anni 1699.

Iani DVBRAVII de piſcinis Libri V. Helmeſtadii 1671. qui ea, quæ ad cyprinorum & luciorum pertinent piſcinas, elegantius & pluribus, quam quiſquam alius, perſecutus eſt. Accedunt eiusdem argumenti ex veterum recentiorumque Scriptorum libris excerpta: 1) M. Ter. *Varronis* de re ruſtica libri III. caput 17. 2) L. Iun. Mader. *Columella* de re ruſtica libri IIX. caput 16. & 17. 3) C. *Plinii* Secundi Naturalis hiſtoriæ libri IX. caput 54. 55. & 56. cum

cum Fran. *Maſſarii* in eadem capita commentario. 4) *Conſtantini* porphyrogennetæ Operis geoponici (cuius tamen ille non magis auctor eſt, quem Iuſtinianus Corporis legum romanarum) liber XX. Iano *Cornaro* interprete. 5) Petri *Creſcentienſis* de agricultura libri IX. caput 31. ac libri X. caput 37. 38. & 39. 6) Conr. *Heresbachii* libri IV. de re ruſtica Pars, quæ agit de piſcinis & piſcium vivariis: & eiusdem Thereutices Pars de piſcatione. Omnia Herm. *Conringii* cura edita, cum eiusdem Præfationibus.

Ianus *Dubravius*, Pilſena-bohemus, e familia Skalarum, antequam in equeſtrem dignitatem evecta fuiſſet, in Italia litteris ac Iurisprudentiæ operam dedit, ibique lauream doctoralem obtinuit. Domum reverſus Stanislao *Thurſo*, epiſcopo olmucenſi, in negotiis maioris momenti ſervivit, eiusque copias duxit A. 1529. ad liberandam ab obſidione Viennam. Nec minus fidem & operam præſtitit Regi Ferdinando in bello ſaxonico, rebellionem Bohemorum ſedans, eosque cum Rege reconcilians. Pro meritis hiſce conſecutus eſt epiſcopatum olmucenſem, cui 10. annos præfuit. Varias obivit legationes, in iisque dexteritatem & prudentiam ſuam cunctis declaravit. Si quid ei ſupererat temporis, id libris legendis ſcribendisve impendit: unde ab eo habemus Hiſtoriam Bohemiæ, Commentarium in pſalmum quintum, & Notas in Marcianum *Capellam*. Hiſce peractis idem ei bene merendi & vivendi finis fuit, & quidem anno 1553. *Thuanus* Hiſt. lib. XII, 242. *Lexic. univ. hiſtor.* P. I. 865. *Biblioth. Schrader.* S 2 *Conringius* hic in Dedicat.):(3.

M. Terentius *Varro*, romanus, vir undecunque doctiſſimus, tribunatu & aliis muneribus in patria functus, Pompeianas quidem partes ſecutus eſt in bello civili, ſed ita, ut mature Cæſari victori ſe ſubiiceret: ab eoque in gratiam receptus, græcisque & latinis bibliothecis comparandis ac digerendis præfectus, litterario otio & libris ſcribendis vacavit. Septuagenario maior ab Antonio cum Cicerone proſcriptus, gravem iacturam bonorum, & in hiſce ſcriptorum ſuorum paſſus eſt. Sed hæc calamitas non obfuit, quo minus ille Muſis operaretur, pluresque libros componeret: compoſuerat autem, duodecimam annorum hebdomadem ingreſſus, ut *Gellius* Lib. III. c. 10. prodit, ſeptuaginta hebdomadas librorum, id eſt, libros 490. ut cum *Auguſtino* ex lib. 6. de

Civ. Dei c. 2. dicere liceat: *Tam multa eum legiſſe, ut aliquid ei ſcribere vacaſſe miremur; tam multa ſcripſiſſe, quam multa vix quemquam legere potuiſſe credamus:* diemque obiit ſupremum prope nonagenarius, anno Chriſti 27. *Conringius* in Præfatione, *Scheurl* Statua Mercurii c. 7. I. A. *Fabricius* Biblioth. lat. p. 76. Ex tot libris tamen non ſuperſunt niſi XXI. de lingua latina, & III. de re ruſtica.

L. Iunius Moderatus *Columella*, gaditanus, ſcripſit ſub Claudio Imp. ab eoque habemus de re ruſtica libros XII. & librum unum arborum. *Fabricius* Biblioth. lat. p. 342. & *Conringius* in Præfat. qui eum principem, citra controverſiam, veterum rei ruſticæ ſcriptorum ſalutat, ſive plenam accuratamque omnigenæ huius diſciplinæ tractationem, ſive dictionis elegantiam ſpectemus.

C. *Plinius* Secundus, veronenſis, diſtinguendus a C. Plinio Cæcilio Secundo, ſive minore, ſub VESPASIANO varia geſſit munera, fuitque etiam augur, & procurator in Hiſpania. Reliquit Hiſtoriam mundi, ingentem ſane theſaurum, ſed ipſe miſere periit: nam claſſem imperio regens, cum e Miſeno ad noſcendum montem Veſuvium propius acceſſiſſet, fumo eius ſuffocatus eſt ſub TITO Imp. anno ætatis 56. *Kœnig.* 204. *Fabricius* p. 402. *Conring* in Præfat. *Maſſarius* Præf. in Annot. ad librum IX. Plinii, & Io. Guil. *Berger* Diſſert. academ. 220.

Conſtantinus IX. cognomento Porhyrogenneta, quod in domo imperatoria CPtana, quæ *πορφυρα Porphyra* dicebatur, natus eſſet, Leonis ſapientis filius, Imperator CPtanus, ſemel atque iterum ob ſocordiam militum infeliciter pugnavit contra Bulgaros, donec in adiutorem regiminis eligeret *Lecaponem* armenium, ſocerum ſuum. Sed hic abuſus eſt fortuna ſua, nec tantum matrem Imperatoris Zoën expulit, verum etiam filios ſuos Cæſares conſtituit: quorum unus tamen tam fuit ingratus, ut patrem purpura privaret, tonderet, atque in inſulam relegaret. Poſt hæc Conſtantinus ad ſe rediit, Cæſaresque captos deportari iuſſit in inſulas, magnaque gloria imperium ſolus adminiſtravit. In uſum *Romani* filii ſui ſcripſit librum de adminiſtrando Imperio, iuſſitque viros peritos conſcribere LIII. libros Excerptorum ex Hiſtoricis; ſed Romanus tam fuit impius, tamque ſitiens Imperii, ut parricidium committeret, & veneno parentem interimeret A. 959.

cum

cum ille vixiſſet annos 54. *Reineſius* de palatio lateran. p. 70. *Lexicon univerſ. hiſtor.* P. I. 728. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. volum. VI. p. 486. *Moller* de homon. 442.

Petrus *Creſcentienſis*, ſive *de Creſcentiis*, ab oppido Italiæ ad Duriam fluvium ſic cognominatus, ſenator bononienſis, XII. libros de agricultura ſcriptos, ac poſtea in germanicam & italicam linguam translatos, dicavit CAROLO Siciliæ ſive neapolitano regi, floruitque circa annum ſeculi XIV. octogeſimum. *Conring* in Præfat. p. 125. *Quenſtedt* de patriis illuſtr. virorum p. 297.

Conradus *Heresbach*, in maiorum ſuorum caſtro Heresbachiano Clivienſis ditionis natus, *Iuſtiniani*, epiſcopi nebienſis, Pſalmos hebræos explicantis, aſſiduus auditor, ſed & iuris ſcientiam cum humaniorum litterarum ſtudio coniungens, primum informator *Guilielmi* Principis iuventutis in aula clivienſi, deinde Ducis *Ioannis*, qui eum ad inſtituendum filium vocaverat, conſiliarius, ita in hoc munere 50. amplius annis verſatus eſt, tamque præclare multas legationes obiit, ut fidem & induſtriam herus ipſius ne optare quidem potuerit maiorem. Cumque in ſenio rude donatus eſſet, Hadr. *Marti* hortatu libros de re ruſtica ſcripſit, ſuomet autem conſilio Pſalmos brevibus quidem, ſed perquam eruditis ſcholiis illuſtravit, iisque precandi formulas in uſum ſimplicium adiecit, atque ita ſe ſe ad mortem præparavit: quæ & ſecuta eſt A. 1576. prid. Id. Octobris in Lorinſulano eius, cum 67. annum exegiſſet. Vir fuit dignitate & doctrina præſtans, omni litterarum genere abſolutus, plurium linguarum, ut latinæ, græcæ, hebrææ, italicæ, gallicæ, belgicæ, peritus, & admirabili morum ſuavitate abſque invidia laudem invenit apud ſummos utriusque religionis viros. Scripſit etiam II. libros de inſtitutione Principis & Rep. chriſtiana adminiſtranda, Lexicon græco-latinum locupletavit, deque græco in latinum tranſtulit quædam *Herodoti*, *Strabonis* & *Thucydidis*. Melch. *Adamus* in Vitis ICtorum p. 220. *Thuanus* lib 62. p. 82. *Conring* in Præfat. p. 136.

Nicolai CALLIACHII de ludis ſcenicis mimorum & pantomimorum Syntagma. Patavii 1713. E tenebris erutum, & Præfatione auctum a M. Antonio *Maderò*: ipſum tamen Syntagma ab auctore non fuit ad umbilicum perductum. In eo agitur de

Scenæ etymologia, ſcenæ antiquæ deſcriptione, & mutatione, prima origine ludorum ſcenicorum, & quomodo inſtituti ſint in ſacrificiis Bacchi, de origine & antiquitate variisque ſpeciebus mimorum, de pantomimis, eorumque origine, ſcena, veſtitu, & inſtrumentis muſicis, quid fuerit in ludis pantomimicis ποδοκτυπία, quales fabulas egerint pantomimi, & de quo inter ſe certaverint. Bene meritus eſt de re litteraria clariſſimus *Maderò*, qui lucubrationes haſce voluit colligere, in ordinem redigere, ac publici iuris facere, potuitque in Epiſtola dedicatoria & Præfatione citra veritatis læſionem ſcribere, materiam hanc ad ſuum uſque tempus fuiſſe intactam: tunc enim Octavii *Ferrarii* Diſſertatio de pantomimis & mimis nondum erat impreſſa, quæ tamen anno ſtatim ſequente, hoc eſt, 1714. mea cura in lucem exivit. Recenſetur hoc opus Calliachii in *Supplementis* Actor. erudit. T. VI. 363. e nel *Giornale* de' Letter. d' Italia T. XIV. 417.

Nicolaus *Calliachius*, cretenſis, natus A. 1645. græcarum & latinarum litterarum poſſeſſione inſtructus, in Gregoriano collegio, quod Romæ eſt, novem annorum curriculo, philoſophiæ & theologiæ ſtudia emenſus, in utraque ſcientia lauream adeptus eſt. Inde a Venetis vocatus, humaniora, & unam atque alteram partem philoſophiæ ariſtotelicæ docuit, tandemque Octavio *Ferrario*, ut qui dignus eſſet, ſucceſſit. Ampliſſimum hic nactus eſt theatrum, in quo polymathiam ſuam exerceret; ſed infirmior valetudo conaminibus eius obſtitit, virumque, in quo certarunt probitas, candor, humanitas, modeſtia & doctrina, morti tradidit anno ætatis 62. *Patinus* Lycei patav. p. 107. & *Maderò* in Præfat. p. 10.

Diſſertatio apologetica de annis imperii M. Aurelii Antonii *Elagabali*, & initio imperii ac duobus conſulatibus Iuſtini iunioris, ad nummum Anniæ Fauſtinæ, tertiæ Elagabali uxoris. Patavii 1713. Auctor huius Diſſertationis eſt Philippus *a* TVRRE, adverſarius autem eius, quem refutatum it, P. Don Virginius *Valſecchi*, monachus benedictinus, tunc ſacrarum litterarum profeſſor publicus in academia piſana. Contra quem etiam ſcripſit Io. *Vignolius* in Diſſert. de anno primo imperii Severi Alexandri, prout legimus in Ephemerid. litteratorum Italiæ T. XVI. 1. & T. XX. 467. Dicit igitur Epiſcopus, annos imperii Elagabali non eſſe deducendos ab interitu Caracallæ, nec tertia, ſed ſecunda tribunicia

pote-

poteſtate eum poſt adventum ſuum e Syria Romæ congiaria diſtribuiſſe: Iuſtinum ſucceſſiſſe Iuſtiniano A. C. 565. & numeraſſe annos imperii a Kal. Ianuariis anni 566. cum ſuſcepit conſulatum, non a die ſuo natali: uxoribus Principum, poſt repudium ac mortem mariti, manſiſſe Auguſtarum appellationem: Fauſtinæque permitti potuiſſe etiam numiſmatum honorem, ob ingentem populorum in Antoninos amorem, ac iuxta deos reverentiam. Vide etiam *Giornale de' Letter. d' Italia* T. IV. 360. X. 498. XV. 461. XVI. 55. *Clericum* Biblioth. anci. & mod. T. II. & *Muſeum nov.* T. II. 45.

Philippus *a Turre*, italice *del Torre*, natus in civitate Auſtria, vulgo Cividale, A. 1657. primum unus e delectis Academicis Collegii de propaganda fide, deinde ab eminentiſſimo Ioſepho Renato Imperiale, Ferrariam Legato miſſo, iuri dicundo præfectus, quod officium Auditoris appellant, denique epiſcopus adrienſis, vir omnis generis, ac præcipue antiquitatum ſcientia inſtructus, ſcripſit de Monumentis Antii, Taurobolio, Vermibus corporis humani, & Solis eclipſi, ac præter *Valſechium* nactus antagoniſtas præſtantiſſimos viros *Vignolium* & Fran. *Ficoronium*, obiit Rhodigii 5. Kal. Martii A. 1717. *Acta erudit.* A. 1717. 381. *Nova bibliotheca* T. VII. 256. *Giornale de' Letter d' Italia* T. XXIIX. 385. T. XXIX. 276. *Baruffaldus* Præfat. in diſſert. de præficis, & auctor *Collectionis* Diſſertat. de re numaria 47.

CXLVI.

Sigism. Iac. APINI Diſſertatio de loricis linteis veterum, & novo loricarum invento. Altorfii 1719. Variis Notis, & figuris æneis aucta. Novum autem inventum hoc eſt, ut fiat lorica ex corio paulo craſſiore, eique affigantur fila ferrea in coni formam flexa, interſtitia lana aliave materia effarciantur, & hæc omnia novo obducantur corio: vel etiam ex 4. foliis craſſioris illius chartæ, qua bibliopegi utuntur ad compingendos libros, quamque Germani vocant Pappendeckel. Recenſetur in *Actis erudit.* anno 1720. 336.

Sigiſmundus Iacobus *Apinus*, Hersbrucco-noribergenſis, Philoſ. magiſter, & Alumnorum noribergenſium atque Oeconomiæ altorfinæ inſpector, in philoſophicis, philologicis & theologicis

 ſtudiis

ſtudiis minime hoſpes, ſpecimina eruditionis ſuæ egregia dedit, edendo Diſſertationem de regula lesbia, Vitas Procancellariorum academiæ altorfinæ, & Hiſtoriam naturalem de veritate Scripturæ S. teſtimonium perhibentem.

Ioh. NICOLAI Tractatus de ſiglis veterum. Lugduni Bat. 1706. In quo continentur, quæ ad interpretationem numiſmatum, inſcriptionum, iuris, & fere omnium artium requiruntur, huiusque Tractatus ſubſidio facile litteræ explicari poſſunt. Speciatim in eo agitur de etymologia & deſcriptione ſiglarum, de diſcrimine ſiglarum & notarum, de arte & origine ſcribendi per notas & ſiglas, de uſu ſiglarum publicarum in prænominibus, legibus, plebiſcitis, edictis & actionibus, de ſiglis iudiciariis, ICtorum, Medicorum, magicis, philoſophicis, grammaticis & aſtronomicis, muſicis, in faſtis Romanorum, de ſiglis officiorum publicorum & Tribuum romanarum, numiſmatum, ponderum & menſurarum, ſervorum & malitioſorum hominum, militaribus, teſſerarum & ſortium, de ſiglis in locis publicis, de ſiglis privatis, & quidem ſepulcralibus, de ſiglis urnarum, ollarum & ararum ſepulcralium, ac cipporum, de ſiglis epiſtolicis, ſtatuarum, ædium, muſeorum, pavimentorum, vinearum, hortorum, veſtium, calceorum, ſupellectilis, artificum atque opificum, lacernarum, annulorum, clavium & ſerarum, cellarum, mercatorum, Iudæorum, monetæ gallicæ, & pecudum. Ac præmittuntur iudicia & teſtimonia de hoc labore eiusque auctore, lata ab illuſtribus & doctiſſimis viris, Io. Vlr. *Pregizero*, Io. Phil. *Datto*, Mich. *Müllero*, Mich. *Færtſch*, Andr. Adamo *Hochſtettero*, Io. Frid. *Hochſtettero*, & *Hedingero*.

Philippi a TVRRE Monumenta veteris Antii. Romæ 1700. Hoc eſt, 1) Inſcriptio M. Aquilii, 2) Tabula Solis Mithræ. Vtraque commentario illuſtrata, & accurate explicata. 3) Diſſertatio de Beleno, qui eſt Apollo, & aliis quibusdam Aquileienſium diis. 4) Diſſertatio de colonia Foroiulienſi. 5) Fragmenta inſcriptionum Fratrum Arvalium, quibus acta & ritus iſtorum Fratrum continentur. Librum hunc conſecrat auctor INNOCENTIO XII. Papæ, eiusque virtutes & opera exquiſitis effert laudibus; nec minus erga eminentiſſimum Cardinalem Ioſephum Renatum

natum *Imperialem*, patronum ſuum, in Præfatione, cum encomio eius dotium, gratum & ſubiectum animum declarat. Hoc opus recenſetur in *Actis eruditorum* ad A. 1701. p. 257. & vocatur elegantiſſimum, & varia reconditaque doctrina refertum.

CXLVII.

Lilii Gregorii GYRALDI de ſepultura, ac vario ſepeliendi ritu Libellus, cum Animadverſionibus Ioannis *Faës*. Helmſtadii 1676. Et hæ erant ſpecimen profectuum academicorum, quos Faëſius fecerat in alma Iulia. De Gyraldo, autem actum eſt a nobis in Parte III. p. 466. Sed, ne neſcias, quid in capitibus huius libri tractetur, eorum catalogum, in meos uſus formatum, lubens tecum communicabo. Nimirum de origine & cauſſis ſepulturæ. p. 1. de variis ſepulcrorum formis, 124. de materia ſepulcrorum. 223. de religione & ſanctitate ſepulcrorum. 232. de ſepulcrorum loco. 259. de funebris pompæ incrementis. 286. de luxu circa ſepulturam. 307. de terminis ad rem funeream pertinentibus. 312. de variis ſepulcrorum nominibus. 322. de funerum curatoribus. 335. de iis, quibus ſepultura denegata eſt. 337. de ritibus Romanorum ſepeliendi. 342. de luctus tempore. 352. de ludis funeribus. 357. de aliis, ad funera pertinentibus. 359. de conſecratione Imperatorum. 364. de ſepultura Aegyptiorum, Aſſyriorum & Scytharum, Aethiopum, Indorum, Græcorum, Perſarum, aliorumque barbarorum, Thracum, Gallorum, veterum Germanorum, Iudæorum, Turcarum, Chriſtianorum. 367. deque ſepulcrorum miraculis. 418.

Marq. FREHERI de ſecretis iudiciis in Weſtphalia, aliisque Germaniæ partibus olim uſitatis, poſtea abolitis, Commentariolus, edente I. G. W. id eſt, Ioanne *Goës*, weſtphalo. Helmſtadii 1663. Secreta vero iudicia inſtituit CAROLVS M. viris gravibus rectique amantibus poteſtatem dans, apoſtatas, ſeu deſertores chriſtianæ religionis, nulla citatione prævia, aut defenſione permiſſa, laqueo ſuſpendendi. Atque hæc iudicia a poſteris Imperatoribus confirmata, donec ob varios exceſſus & corruptelas, quod nempe inſcios, inauditos, indefenſos, indicta neque cognita cauſſa, damnarent, ſub FRIDERICO III. fuerunt abolita.

Com-

Commentariolo iſti addita ſunt 1) Formulæ conceſſionum cæſarearum de Sedibus liberis & Frygraviatus officio. 2) D. Ioannis *de Francofordia* in Scabinos, Feymeros dictos, diſputatio & invectiva, 3) Reformationes Cæſarum & Principum ſuper illis iudiciis enumeratæ, cum non nullis in has notis. 4) Notæ & additiones in ſuperiora omnia.

Ioannes *de Diepurgo*, dictus *de Francofordia*, doctor heidelbergenſis, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio clarus, ſermone apertus, diſputator acutus, & declamator ſermonum popularium facundiſſimus, Ludovici Comitis palatini Rheni Ducisque Bavariæ ob ſingularem doctrinam & prudentiam capellanus & ſecretarius, atque in multis arduis negotiis ad Reges & Principes ſæpe legatus, ſcripſit contra Huſſitas bohemos hæreticos, contra Scabinos occulti iudicii, *Feymeros* adpellatos, de contractibus, de prædeſtinatione, Sermones populares, Orationes multas & varias, Quæſtiones in ſcholis diſputatas, Epiſtolas & alia, claruitque temporibus SIGISMVNDI Imp. anno Domini 1430. *Trithemius* in Catalogo illuſtrium virorum Germaniæ (hic p. 16.)

Opuſcula varia de Weſtphalia, eiusque doctis aliquot viris, edita & Notis illuſtrata a Ioanne GOES. Helmeſtadii 1668. Atque hoc libro continentur 1) Dav. *Chytræi* Oratio de Weſtphalia. 2) *Eiusdem* Epiſtola ad Henr. *Meibomium*, cui de laurea poëtica gratulatur. 3) Herm. *Hamelmanni* Narratio de vita Herm. *Buſchii*, 4) Henr. *Meibomii* Carmen de vita & obitu Herm. *Tulichii*. 5) Iuſti *Lipſii* IV. de Weſtphalia Epiſtolæ. 6) Io. *Domanni* pro Weſtphalia ad Lipſium Apologeticus. 7) *Lipſii* IV. Epiſtolarum aliqualis excuſatio. 8) Nathanis *Chytræi* Oratio de vita & obitu Arn. *Burenii*. 9) Io. *Caſelii* ad Io. *Reccium* Epiſtola, qua laudat aliquot viros doctos nationis Weſtphaliæ. 10) Io. *Goëſii* ad Dav. *Chytræi* de Weſtphalia Orationem Annotata. 11) Rein. *Reineccii* Epiſtolæ II. de Widechindo magno. 12) *Eiusdem* Appendix de Angrivaria, Angario oppido, & Widechindi magni ibidem monumento. 13) *Eiusdem* de Steinhemo ditionis paderbornenſis Commentariolus. 14) *Eiusdem* de vita ſua Narratio. 15) Io. *Goëſii* in Reineccii de Angario & Witichindi monumento Commentatiunculam Animadverſiones.

Io.

Ioannes *Domannus*, oſnabrugenſis, I. V. doctor, Reip. initio ſtralſundenſis, deinde autem roſtochienſis, ſimulque Civitatum hanſeaticarum ſyndicus, ſicut primam nominis celebritatem Vindiciis patriæ ſuæ conſecutus eſt, ita Poëmatio vernaculo de veteri Hanſa teutonica, & opere de Civitatibus hanſeaticis, etiamſi id perficere nequiverit, mirum, quantum adauxerit, adeo ut *Crenius* in Addendis ad Partem VI. Animadverſ. eum non dubitet vocare magnum. Tandem mortuus eſt Hagæ-Comitum, cum ad Fœderatos Belgii Ordines legatus iviſſet, A. 1618. *Moller* Iſag. ad Hiſtor. cherſon. cimbr. P. IV. 509.

Iuſtus *Lipſius*, natus in Iſcano, Brabantiæ municipio, in adoleſcentia ac iuventute magnis vitæ periculis expoſitus, ſed tamen a Deo admirabiliter ſervatus, Ger. *Kempenſis*, Io. *Orani*, Arn. *Havenſii*, & Fran. *Coſteri* diſcipulus, abſoluto itinere per Italiam & Germaniam, Ienæ apud Thuringos paulo plus annum hæſit, publiceque docuit Oratoriam & Hiſtoriam. Inde Coloniam Vbiorum abiit, atque exactis ibi IX. menſibus patriam repetiit, animo deſtinans ruri degere in alto otio & quiete. Sed licentia militaris eum ex agro in urbem migrare compulit. Itaque Lovanium reverſus, ex amicorum conſilio Iuriſprudentiæ ſtudiis magis ſerio ſe dedit, & titulum etiam Iuriſconſulti ſive Doctoris publice poſt ſolemnia experimenta ſumſit, a foro tamen & rep. perpetuo abſtinuit. Inde acrius rurſus turbato Belgio, & Lovanio capto, tranſtulit ſe Lugdunum Batavorum, illuſtriumque Ordinum vocationi parens, honeſtiſſimeque ab ipſis habitus, XIII. ibidem annos docuit cum ſummo adplauſu, peritiſſimique medici, Io. *Heurnii* opera atque induſtria ſanitatis diu laborantis inſtaurationem recepit. Exacta deinde cum Theodoro *Cornhertio* controverſia ſuper puniendis hæreticis, (ſub quibus Lipſius quidem non alios intelligebat, quam ſeditioſos & turbidos) e Batavia diſceſſit, profectione per Germaniam in Eburones ad Spadanas aquas, morbo hepatario curando, inſtituta. In itinere Maguntiacum deflexit, atque inde Mart. *Delrio* reditum ſuum ad ſacra romanæ Eccleſiæ annuntiavit. Interea fama diſceſſus in Germaniam ſparſa, certatim ad ſe Principes eum ubique vocarunt: in Italia quidem CLEMENS IIX. SENATVS VENETVS, Ferdinandus *Medices* Etruriæ, & *Franciſcus Maria* Vrbini Duces, ut omittam aliquot Cardinales:

in Gallia rex HENRICVS IV. ERNESTVS Vbiorum & Eburonum antiſtes, Septemvir Imperii, eiusque frater *Guilielmus* Boiorum Dux, *Wolfgangus* Salisburgenſium, *Iulius* Herbipolenſium, *Andreas* Vratislavienſium præſules. Ad hos cum accederent *Brabantiæ Ordines*, patriam præferre, & Lovanium reverti viſum fuit. Illic æque, ut ante in Batavis, tanta fama profeſſus eſt, ut ipſos Principes aliquando auditores habuerit, qui poſtea rude donatum, & Hiſtoriographi regii titulo iam antea mactatum, in ſanctiorem Senatum, quem rerum ac ſtatus vocant, adlegerunt. Anno autem 1606. e tuſſi graviſſimisque ſtillantis cerebri defluxionibus æger eſſe cœpit, moxque ingraveſcente morbo placide ac leniter exſpiravit, cum vixiſſet annos 58. menſes 5. & in eo pariter ſtirps Lipſiorum defecit. Opera eius, felicis ingenii monumenta, varii ſunt generis, videlicet hiſtorica ſacra, hiſtorica romana & externa, politica, ethica, philologica, apologetica, & epiſtolæ: quæ inferius recenſebuntur, quando veniemus ad libros minoris formæ. Defunctum laudavit Gerardus *Corſelius*, anteceſſor clariſſimus, & S. P. Q. Antverp. inclyti viri, ut loquuntur, famæ orbi notæ, virtuti cælo receptæ monumentum poſuere: cuius reſpectu vitæ eius deſcriptor haud immerito dixerit, Lipſii præcipuam laudem eſſe, digne laudari non poſſe. Ingenio fuit vivido, ingenti, docili, & capace omnium artium, ſi Muſicam excipias; iudicio, ad miraculum excellente, moribus compoſitis & antiquis, in geſtu, cultu & ſermone modicus, florum & hortorum cultor, canum, quorum tres aluit gradu magnitudinis diſcretos, Saphyrum, Mopſulum & Mopſum, amator ſingularis, nec ſtilo uſus eſt obſcuro & antiquario, niſi illis, qui in latinis auctoribus & antiquitatibus non ſatis ſunt verſati. Aubert. *Miraus* Elogior. belgic. p. 137. *Academia leidenſis* 167. H. L. *Schurzfleiſch* in Actis literariis p. 93. *Zeumer* in Vitis Philoſophor. ienenſ. 24. *Magirus* 518. *Pope-Blount* 840. I. B. *Carpzov.* Explicat. Hodeg. 286. *Morhof* Polyh. lib. V. c. 1. §. 7. *Caſaubonus* Epiſt. DXXI. p. 247. *Burmann.* Orat. in funere Grævii 564. & *Bibliothecarius* nulli parti addictus P. XIII. 59.

Nathan. *Chytraus*, Menzinga ſuevus, Matthæi filius, Davidis frater, bremenſis Gymnaſii rector, excellens orator & poëta, elaboravit Delicias variorum in Europa itinerum, XII. libros faſtorum eccleſiaſticorum, & magnam copiam Poëmatum, mundoque ex-

exceſſit anno 1598. ætatis 55. *Kœnig* 191. *Fecht* Supplem. hiſtor. eccleſ. ſæc. XVI. p. 132. & *Roeſchel* in Biblioth. Schrader. T. II. A 6. Elogia eius legi poſſunt apud *Caſelium* in Ep. ad Reccium, hic quidem p. 175. & *Quenſtedium* in Dial. de patriis viror. illuſtr. p. 160. quorum ille eum vocat gravem cum primis & doctum virum, hic virum ingenio, doctrina, morum gravitate aliisque virtutibus ornatiſſimum.

Ioannes *Goës*, weſtphalus, Io. *Sauberti*, *Rachelii*, *Schraderi*, *Conringii*, *Vogleri*, *Cellarii*, *Titii* & F. V. *Calixti* diſcipulus, eas doctrinæ divitias, quas ſibi in academia Iulia, ubi convictor meus fuit A. 1663. & ſequente comparaverat, ſumma poſtea fide, maximaque induſtria, inter auditores diſtribuit ſuos, iisque gravitate, pietate & ceteris virtutibus laudabiliter præluxit.

Hiſtoria orbis terrarum, geographica & civilis, de variis negotiis noſtri potiſſimum, & ſuperioris ſeculi, aliisque rebus ſelectioribus. Francofurti & Lipſiæ 1698. Editio quinta, & correctior. In Hiſtoria geographica tractatur hiſtoria ventorum, marium, fretorum, portuum, fluviorum, lacuum, fontium, inſularum, partium continentis, antiquitatum, urbium, gentium, linguarum, commerciorum: in civili de regno Hiſpaniæ, Portugalliæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Suediæ, Imperii ruſſici, Poloniæ, Bohemiæ & Hungariæ, Imperio turcico, Regibus Aſiæ & Africæ, ac Rep. Venetorum. Quis vero auctor huius operis? Ioan. Chriſtoph. BECMANNVS, D. & profeſſor quondam Francofurti ad Oderam: de quo ſermonem fecimus P. II. 524. Atque hoc opus adprobationem invenit *Morhofii*, Tomo. II. lib. IV. §. 13. ſic ſcribentis: *Expedit profecto inſtituere Locos communes, tam ex antiquis, quam recentioribus Geographis, & Itinerariorum ſcriptoribus, uti fecit* Io. Chriſtoph. Becmannus, *in Hiſtoria ſua orbis terrarum geographica & civili.*

CXLVIII.

Valentini Henrici VOGLERI Introductio univerſalis in notitiam cuiuscunque generis bonorum ſcriptorum: cum notis & augmento Henrici *Meibomii*. Helmſtadii 1700. Editio ſecunda, multis in locis auctior & correctior, adeoque ceteris præferenda. Io. *Moller* in Not. ad *Morhof.* Polyh. lib. I. p. 186. Prior autem

prodiit A. 1691. & Vogleriana ipſa A. 1670. Atque hæc erat valde ſuccincta, antequam Meibomius ei manus admoveret. Sicut auctor in Dedicatione de utilitate notitiæ bonorum librorum diſſerit, ita in Præfatione indicat, ſe iam inde a pueritia doctorum hominum ſcriptorumque notitia mirifice fuiſſe delectatum, quæque eo pertinent, diligenter obſervaſſe, & pro memoria annotaſſe; nunquam tamen ſibi animum fuiſſe, ex profeſſo id agere, multo minus de eo quidpiam commentari; donec perilluſtris Io. Chriſtianus L. B. *de Boineburg*, omni doctrinæ genere excultus, ad hanc operam ipſum adhortaretur. Ceterum de IV. rebus Lectorem monet: 1. non omnes, qui hoc argumentum illuſtraverunt, aut illuſtrare conati ſunt, a ſe nominatim fuiſſe laudatos. 2. quædam in exemplum duntaxat, & dilucidationis cauſſa eſſe adducta. 3. aliquando integras, ut ut longiores librorum inſcriptiones conſulto fuiſſe relatas. 4. non omnes, quorum nomina hic leguntur, ſibi fuiſſe viſos. In ipſo autem opere agitur de modo acquirendi notitiam ſcriptorum, de iis, qui de doctorum virorum ætatibus ſimpliciter egerunt, de catalogis librorum, de ſcriptoribus elogiorum, epitaphiorum, & imaginum, de illis, qui de Theologis, ICtis, Medicis, & Philoſophis, ac ſpeciatim de Hiſtoricis, Oratoribus, Poëtis, Grammaticis, Criticis, illiteratis, artibus, ſcriptoribus hebraicis, arabicis, græcis, latinis, italicis, hiſpanicis, gallicis, anglicanis, germanicis, belgicis, danicis, polonicis, deque ordinibus monaſticis, & doctis feminis egerunt. Additamentis duæ præfixæ ſunt Præfationes, altera Herm. Dieterici *Meibomii*, qua patris errorem, Clerico tribuentis, quod Io. Cornandi *de la Croſe* erat, excuſat, ſpemque facit edendi Io. Henr. *Meibomii* avi ſui opus de Vitis Medicorum; altera Henrici *Meibomii*, qua de elegantia, uſu & neceſſitate huius ſtudii (ſeu notitiæ bonorum ſcriptorum) verba facit, illius in primis, quod in hiſtoria cuiusque ſcriptoris cognoſcenda occupatur. *Actorum erudit.* Collectores A. 1691. 302. fatentur, ſe haud noſſe, an utilitate ullus præſtet liber, de cognitione ſcriptorum librorun agens, hunc Voglerianum: *Morhoſius* Polyhiſt. lib. I. 186. Voglerum ait vaſtum hoc argumentum ὡς ἐν τύπῳ propoſuiſſe; rudimentum ergo non ſpernendum eſſe, & quaſi ichnograghiam magni operis: & Georg. Nicol. *Kriegk* Conſtit. rei ſcholaſt. Ilfeld p. 248, ex hoc libro non ſolum nominis, ſive ſcriptoris, ſi-

Digitized by Google

ve ſcripti, nudam notitiam haurire licere: ſed præter ea in penitiorem cuiusque cognitionem eum deducere, & quomodo in argumento, quod quisque ſibi tractandum delegit, ſe geſſerit, exponere, prudenter iudicat.

Davidis CZVITTINGERI Specimen Hungariæ literatæ. (Altorfii) Francofurti & Lipſiæ 1711. Exhibet virorum eruditione clarorum, natione Hungarorum, Dalmatarum, Croatarum, Slavorum, atque Tranſilvanorum vitas, ſcripta, elogia & cenſuras. Accedit Bibliotheca ſcriptorum, qui exſtant de rebus hungaricis: & in fine oculis exponitur utiliſſima Tabella orthographiæ linguæ ungaricæ, e qua pariter diſci poteſt, quomodo illa ſit pronuntianda. *Acta erudit.* A. 1711. 149. & *Nova biblioth.* T. I. 885.

David *Czvittinger*, nobilis hungarus, hoc cum ederet Specimen, Altorfii Noricorum vixit inter ſtudioſos, eoque maiorem laudem hoc labore meruit, quia primus eum ſubiit: optandumque, ut mitiora & pacatiora dentur tempora, quibus generoſus auctor propoſitum ſuum librum hunc augendi, emendandi, ac perfectiorem reddendi, poſſit exſequi. Interim vere in laudem eius Io. Iac. *Baier*, Med. D. & prof. publicus, academiæque altorfinæ tunc temporis Rector magnificus, ita cecinit:

Sammarthane, *tibi quantum tua Gallia, quantum,*
Tomaſine, *tibi debuit Italia:*
Quantum devincta ſolers Germania Adamo,
Quantum Miræo *Belgica terra ſuo:*
Tantum, Zvittingere, *tibi debere fatentur*
Sanguine progeniti quilibet Hungarico;
Quod patria doctos homines, laudemque merentes
Enumeras ſcriptis, & ſupereſſe facis.
Hic labor inveniet laudes. Namque ipſemet inter
Doctos Hungaria iam numerandus ades.

Henrici Leonardi SCHVRZFLEISCHII Notitia bibliothecæ principalis Vinarienſis: Cum Cl. *Salmaſii* in Chronicum Hieronymi latinum Variis lectionibus & emendationibus, e III. palatinis codicibus olim erutis; item Caſtigationibus & animadverſionibus ad Chronicum Euſebii græcum & alterum Paſchale, e ſchedis fratris (Conr. Sam. *Schurzfleiſchii*) auctis & locupleta-

 tis.

tis. Francofurti & Lipſiæ 1712. In Notitia Bibliothecæ principalis vinarienſis erudite auctor diſſerit de re litteraria apud Germanos cœpta & continuata, multusque eſt in deſcriptione & laudibus Bibliothecæ principalis vinarienſis, quam illuſtriſſimus S. R. I. Comes Nicolaus *a Lyncker* in initio Reſponſorum iuris, reginam Saxonicarum bibliothecarum adpellat. Quam præſtans autem illa, quam inſtructa, quam ſelecta, quam elegans, quam bene diſpoſita, quamque pretioſa eſt, nihil tamen maius habet hero ac fundatore ſuo, ſereniſſimo, ſapientiſſimo, ac litteratiſſimo Saxoniæ Duce, WILHELMO ERNESTO, cuius etiam benigniſſimæ voluntati acceptum referendum, quod hæc Notitia cum annexis in lucem prodierit, & alia, cum ipſius Bibliothecæ Catalogo ſecutura ſint.

CXLIX.

Henningi WITTE Diarium biographicum Tomi II. Dantiſci 1688. & Rigæ 1691. Quibus eruditorum cuiusvis gentis & generis ſæculi XVII. virorum vitæ & ſcripta, iuxta anni, menſis & diei emortualis ſeriem recenſentur. Vſum huius operis monſtrat auctor in Præfatione, quod videlicet ex eo poſſit cognoſci, quinam brevis fuerint vitæ, quinam longævi, qui natali ſuo obierint, qui cruenta & tragica morte interierint, qui in rectoratu academico, qui uno eodemque die, qui ſponſi deceſſerint, qui ultra L. annos in publico officio vixerint, qui cœcitate laborarint, qui varias legationes ſuſtinuerint, qui lapidem inveſtigarint philoſophicum, qui cœlibem duxerint vitam: cognoſci etiam ait rerum novarum inventores, ſcriptores anonymos & pſeudonymos, polygraphos, variarum exoticarum linguarum libros, libros aliquoties alias in linguas converſos, ſæpiusque recuſos, Biblia ſacra in linguas exoticas translata, homines religionem ſemel agnitam mutantes, eos, qui de peculiari & rara materia libros concinnarunt, feminas virginesque eruditas, & notabilia varia. Non tamen ſibi adulatur, ut credat, omnes ſe adduxiſſe ex prædicto ſæculo viros eruditos ſcriptisque claros, aut in nullo erraſſe; quin potius veniam petit, ſicubi ceſpitavit, & meliora docentibus cedere vult, ac lubens. Itaque non inexſpectatum aut ingratum quid eſt auctori, quando viri eruditi παρόραματα eius obſervant, eaque non manu, ſed modio quaſi admetiuntur: clariſſimus enim *Pippingius* Præfat. in

To-

Tomum I. Memoriar. theologorum p. 17. refert, eſſe quempiam, qui vel in I. Tomo Wittii plura, quam 200. errata reperiri adfirmaverit. Cui adde *Mollerum* de homon. p. 646. L. P. Z. id eſt, *Zeiſoldum* de obitu Tomæ *Sagittarii* & Henn. *Witteni* Diario biographico, *Colloquia menſtrua* T. II. p. 266. *Struvium* Introd. in notit. rei liter. 314. & Io. Henricum *Von Seelen* Athen. lubec. P. II. 336. qui Caſp. Henr. *Starckium* ait in parato habere Syllogen errorum huius libri. Sicut autem obſervationes illas virorum doctorum amicie exſpectamus, nec ipſi interim pigrabimur lancem aliquam errorum Wittianorum appendere; ita cum *Mollero* l. c. lubentes gratoque animo agnoſcimus, eruditiſſimum Wittium etiam hoc Diario inſigniter de hiſtoria integri ſeculi litteraria meritum eſſe, aliisque, quo eundum, viam commonſtraſſe. Atque utinam eſſent, qui cœptum opus continuarent: ſicut multis abhinc annis M. Adrianus *Preuſmannus* Riga-livonus id quidem ſibi propoſuit, mihique, cum adhuc Altorfii docerem, aperuit. Ipſe *Wittius*, ut non nulla, in quibus erratum, in II. Tomo emendavit, ita continuationem orſus eſt, ut inde tertius formaretur Tomus: ſed hic labor tantum in ſchedis auctoris cubat, & morte eius abruptus eſt. Sic ergo iam accedimus ad indicandum errata, ubi, quia paginæ numeris carent, (qui perverſus & moleſtus mos hodie valde in uſu eſt) litteras quaternionum excitare cogor.

Tomo I. A 2. David Chytræus *Menzinga*-ſuevus.	*Ingelfinga*-ſuevus.
B. Pet. Thyræus de *Approbationibus* ſpirituum.	De *Apparitionibus* ſpirituum.
Dan. Toſſanus *Theol. D.* Paſtor *& Profeſſor* tum Aureliæ in Gallia, tum in Palatinatu Germaniæ, partim Neoſtadii, partim Heidelbergæ.	*Heidelbergæ demum* accepit honores doctorales, & conſtitutus eſt profeſſor.
B 2. *Nicol.* Reuſnerus ſcripſit Diarium hiſtoricum.	Non Nicolaus, ſed eius frater *Elias* Reuſnerus. I. *Moller* de homon. 715.
C 3. *Cyriaci* Spangenbergii eſt Margarita theologica.	*Ioannis* Spangenbergii, herdeſiani, paſtoris islebienſis & eccleſiarum

	ſiarum comitatus mansfeldici ephori. *Idem* 724.
C 4. *Cornelii Beckeri* eſt Analyſis pſalmi ſecundi.	*Sebaſtiani Beckii.* Vide *Mollerum* de homon. 653.
D. *Lucas Oſiander*, *norimbergenſis*, ſcripſit Enchiridia controverſiarum, de Chriſtianiſmo Arndiano Admonitionem, Scultetum atheum, de Colloquio durlacenſi, contra Fran. Coſterum.	Omnia hæc ſcripta ſunt Lucæ Oſiandri, *iunioris*, qui fuit profeſſor & cancellarius tubingenſis. *Idem* 709. *Beemann* Catal. biblioth. francofurt. 214.
D 2. 9. *Novemb.* Ioſeph. Stephanus.	10. *Novemb.* Nicol. *Antonius* Biblioth. hiſpan. T. I. 625.
D 3. *Salomonis* Geſneri Hiſtoria animalium.	*Conradi* Geſneri. *Moller* de homon. 678.
E 4. Georg. Mylius *primum eccleſiæ Marpurgenſis Miniſter.*	*De hoc nemo quid novit.* Georg. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuev. 146.
F. *Cæſar* Baronius prodire fecit Tractatum contra IV. libros Inſtitutionum Calvini.	Fuerit fortaſſe *Iuſtus* Baronius, qui miſſo Calvini nomine illud Baronii aſſumſit. *Moller* de homon 651.
G. Ioſ. *Iuſtus Scaliger* concinnavit Ephemerides.	Is eſt Ioſephus *Scala*, ſiculus: & ſcripſit Ephemerides ab A. C. 1589. uſque ad A. 1600. *Idem* 719.
G 3. Io. *Mulhuſinus.*	Io. *Mulhuſius.*
G 4. Io. Vytenbogardus *æt.* 49.	Anno 1644. quo obiit, *ſummam attingebat* ſenectutem. *Epp. præſtant. viror.* p. 826. Lexicon univ. hiſtor. T. IV. 707.
H 2. Amand. Polanus condidit Commentarium *in Danielem.*	*Et Ezechielem.*
I 3. Felix Bidembachius æt. 48. *Miniſterii* 55. Celebritatem nominis obtinuit Conſiliorum theolog. *Decadibus* X.	*Miniſterii* 26. *Decadibus* IX. *Serpilius* p. 14.

Sunt

Guil. Laurenbergius inclaruit *Botanotheca* & *Hiſtorica deſcriptione atitis.*	Sunt *filii eius* cognominis, Med. D. & Practici hafnienſis. *Moller* de homon. 689.
K 3. *Conradus* Rittershuſius, ſcripſit de iure aſylorum.	*Georgius* Rittershuſius, Conradi filius.
N. Io. Wolfius *Tabermontanus, Bipontinus*, compoſuit *Exercitationes ſemeioticas.*	Io. Wolfius, *marpurgenſis.* Semeioticæ autem Exercitationes ſunt Io. Wolfii, Med. D. ac *profeſſoris helmſtadienſis. Moller* de homon. 732.
N 3. Andr. Libavius *tradidit* Tractatum de Colloquio Ratisbonenſi contra Gretſerum.	Sub nomine *Baſilii de Varna.*
P 2. Io. *Ingolſtetterus* in publicum emiſit Diſſertationem de natura occultorum & prodigioſorum ad *Io.* Horſtium.	Ad *Iacobum* Horſtium. Melch. *Adamus* in Vitis medicorum p. 450. & *Omeis* de claris Noribergenſibus p. 369.
R 2. Io. Dauthius, Profeſſor iuris *Wittenbergenſis.*	*Lipſienſis.* Vide *Acta erudit.* A. 1705. 435.
S 3. 4. *Decemb.* Valent. Smalcius.	8. *Decemb.*
T 2. Io. Poſſelius, *Rector Flensburgenſis*, poſtea Gr. linguæ Profeſſor, *qui obiit A.* 1623. dedit Familiarium Colloquiorum libellum græce & latine.	Sunt Io. Poſſelii, *patris*, *qui obiit anno* 1591. *Moller* de homon. 713.
V 4. Sibr. Lubbertus ſcripſit Replicationem & Defenſionem Iac. Gretſeri.	Replicationem *ad* Defenſionem *prima controverſia Bellarminiana* Iac. Gretſeri.
X 2. *Henr. Meibomius* continuavit Chronicon Comitum Schauenburgenſium.	*Iod. de Lerbeeke.* Io. *Moller* Iſag. ad Hiſtor. cimbr. P. I. 86.
X 3. Paulus Laymannus *oenipontanus.*	*Bipontinus.*
X 4. A *Io. Rud.* Lavatero eſt Defenſio Medicorum Galenicorum.	Ab *Henrico* Lavatero. *Moller* de homon. 688.
Y 4. *Io.* Rudolphus Hoſpinia-	*Rudolphus* Hoſpinianus exaravit Con-

nus exaravit Concordiam *diſcordiam: de* origine & progreſſu Formulæ concordiæ Bergenſis.	Concordiam diſcordem, *ſive* de origine &c. *Societas Colligentium* in Apparatu litterario p. 350.
Aa 2. Simon Grunæus *defunctus A.* 1628. condidit Tractatum de utilitate legendæ hiſtoriæ.	Non ille, ſed Simon Grynæus, *iunior, defunctus Baſilea A.* 1582. *Moller* de homon. 680.
Idem condidit deſcriptionem virtutum.	Simon Grynæus, *ſenior, philoſ. & theol. profeſſor baſileenſis*, peſte exſtinctus A. 1541.
Bb 2. *Iacobus* Brandmuller publici iuris fecit Conciones funebres, nuptiales, &c.	Sunt *Ioannis* Brandmulleri. *Moller* de homon. 654.
Gg. Iac. Capellus obiit *anno* 1633.	*Anno* 1624. Io. Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. 110. *Colomeſius* 157. *Lexicon univ. hiſtor.* T. I. 519.
Gg 2. Ioan. Sœtefleiſch Rector ſcholæ *Magdeburgenſis*.	Scholæ *burgenſis*. Burgum autem tertio a Magdeburgo ſitum eſt lapide. *Ludovici* Hiſt. ſchol. P. IV. 114.
Kk 3. *Bernhardus* Albrecht ſcripſit Conciones de opificibus.	*Georgius* Albrecht, Bernhardi filius.
Ll 3. *Dan.* Cramerus famam promeruit Eccleſiaſte chriſtiano.	*Io. Iacobus* Cramerus, Danielis filius. *Moller* de homon. 664.
Mm *Io.* Fabricius, Dantiſcanus, in patria eccleſiaſtes & Gymnaſii rector.	*Iac.* Fabricius. *Charitius* de eruditis Gedanenſibus p. 55.
Teſtamentum Mahumedis.	Hoc eſt M. *Io.* Fabricii, itidem dantiſcani, ſed tunc viri iuvenis.
Mm 2. Corn. Ianſenius, Epiſcopus Iprenſis *& Gandavenſis*.	Epiſcopus *iprenſis*, non vero gandavenſis. *Moller* de homon. 686.
Reliquit *Analecta in Proverbia: Eccleſiaſten: Sapientiam: Habacuc: Sophoniam*.	Hæ commentationes ſunt *Epiſcopi gandavenſis*.
Nn Io. Henr. Alſtedii eſt *Turris Babel*.	Turrris Babel *deſtructa*.

Nn 3. *Pet* Laurenbergius denatus A. 1639. ſcripſit de curatione calculi veſicæ.

Guilielmus, Petri pater, Medicus & mathematicus roſtochienſis, qui deceſſit A. 1612 *Moller* de homon. 689.

Nn 4. Io. Meurſius *Lugduno-* Batavus.

*Loſduno-*Batavus. *Idem* in Notis ad Bartholinum de ſcriptis Danorum p. 284.

O o. Guil. Ameſius emiſit Reſcriptionem ad Nic. *Grevenhoſii* Reſponſum de redemtione univerſali.

Grevinchovii.

O o 2. Stanislaus *Lubienski*, tandem *epiſcopus Plocenſis*, conſignavit Tractatum cometicum.

Auctor illius Tractatus eſt Stanislaus *Lubienicius*, *ſocinianus*, A. 1675. Hamburgi cibo venenato ſublatus. *Moller* de homon. 693.

O o 4. *Io. Baptiſta* de Machault delineavit Notationes in Iac. Aug. Thuani Hiſtoriam.

Iohannes de Machault, pariſinus, Collegii rhotomagenſis initio rector, deinde Alberti & Iſabellæ, Auſtriæ Archiducum, aulicus in Belgio eccleſiaſtes, theologiæ in academia muſſipontana profeſſor, tandemque Collegii claromontani moderator, exſtinctus A. 1619.

Qq. Rich. Montacutius *ciſſaceſtrienſis* epiſcopus, texuit Antidiatribas contra I. C. *Bullingerum*.

Ciceſtrienſis epiſcopus -- contra Iul. Cæſ. *Bulengerum*,

Qq 2. Thomas *Godvvyn* famam promeruit libris IV. Antiquitatum Romanarum: *Anthologia Hiſtoria Romana*: De civilibus & eccleſiaſticis ritibus in uſu apud Hebræos libris VI.

Godvvini ſive *Goodvvini Anthologia Hiſtoria Romana* idem fuerit liber, qui Antiquitates romanæ, ſive Expoſition of the Roman and Iewiſch Antiquities: & libri VI. de Ritibus apud Hebræos titulum gerunt *Moſis & Aaronis*, optime editi a Io. Henr. *Hottingero*, Francofurti 1710. 8.

Rr 3. Lud. de la Cerda reliquit *Anniverſaria* ſacra.	*Adverſaria* ſacra.
Ss. *Samuel* Wardus edidit ſcriptum contra Hobbæum.	*Sethus* Wardus. *Hyde* Catal. biblioth. oxon. P. II. 248.
Ss 2. *Menardus* Schotanus paravit Ethnicifmum Ariſtotelis.	*Chriſtianus* Schotanus, D. Prof. & Paſtor franequeranus. *Moller* de homon. 720.
Ss 4. Chriſtoph. Richter primum *Scholæ* portenſis *moderator*.	Scholæ portenſis *paſtor*. Godofr. *Ludovici* Hiſt. ſchol. P. III. 318.
Xx. Io. *Hermannus*.	Io. *Heermannus*.
Yy 2. Caſpar *Hoffmannus*, *Gotha-Thuringus*, ſcripſit de Thermis Hirsbergenſibus librum, & de inverſione cordis.	Liber de Thermis hirsbergenſibus eſt alterius Caſpari Hofmanni, videlicet *Leoberga ſileſii*, archiatri electoralis brandenburgici: & Hiſtoria cardianaſtrophes ſeu inverſionis cordis admirandæ *Friderici* Hofmanni, Med. D. ac primarii profeſſoris halenſis, archiatri regii. *Moller* 684.
Zz 2. Auguſtinus Barboſa *Hiſpanus*, Luſitanus.	Auguſtinus Barboſa, *luſitanus* guimaranenſis. Nic. *Antonius* Biblioth. hiſpanæ P. I. 134.
Bbb. *Io.* Mülmannus.	*Hieronymus* Mülmannus.
Ccc 4. Tobias Magirus foras dedit *Oratorium chriſtianum*, - & Diſpp. varias, ut de *mundo* &c.	*Clavem eloquentia* -- & Diſpp. varias, ut de *motu* &c. I. C. *Beckmann* Catal. libror. biblioth. francofurt. p. 183.
Ccc 4. Caſpar Eraſmi *Brochmandus*.	*Brochmannus*. Alb. *Bartholinus* de ſcriptis Danorum p. 21. & Io. *Moller* in Hypomnemat. ad hunc librum p. 177. & Spicileg. Hypomnematum p. 8.
Ddd. Claudius Salmaſius deceſſit A. 1652. *ætatis* 56.	*Ætatis* 58.
Ddd 3 Io. *Angelus* a Werdenhagen.	Io. *Angelius* a Werdenhagen.

Chriſt-

Digitized by Google

Eee 4. Elias Ehinger *Bavarus.* — *Chriſtgarto-ſuevus. Serpilius* Epitaph. theol. ſuev. 135.

Fff 2. Io. Maior *D. & prof. theol. ienenſis* typis ſubiecit Orationem poëticam: Poſtillam poëticam. — Io. Maior, *ioachimicus*, vates epicus & elegiacus, theol. D. eiusque profeſſor *vvittebergenſis*, deinde in Gymnaſio Principatus anhaltini ſerveſtano.

Lll 2. *Georgius* Hagen condidit Comitiologiam Ratisbonenſem. — *Gottlieb ab* Hagen, Eques megapolitanus, Regum Daniæ conſiliarius. *Moller* 683.

Lll 4. Petrus Molinæus, *eccleſiæ pariſienſis miniſter, deinde profeſſor leydenſis, tandemque paſtor & profeſſor ſedanenſis*, inclaruit ex *Anatomia* Arminianiſmi, & defenſione fidei catholicæ. — Inclaruit ex *Anatome* Arminianiſmi. Defenſio autem fidei catholicæ eſt *filii* cognominis. *Clericus* T. XXVI. de la Biblioth. choiſie p. 449.

Nnn 2. *Theodorus* Hackſpanius. — *Theodoricus.*

Ppp. *Laurentius Eichſtadius* poſteris profuit Planorum gemetria. — *Claudius Nicolai Eiſtadius ſive Laelius*, danus. *Moller* 668.

Xxx. Nicol. Goldmanns obiit A. 1666. *ætatis* 54. — *Aetatis* 42. L. C. *Sturm* ſub initium architecturæ civilis Goldmannianæ.

Yyy 2. Iac. Rauppius evulgavit *Commentarium ſynopticum in univerſa Biblia: Bibliothecam portatilem: Ianuam SS. theologiæ.* — *Bibliothecam portatilem theoreticam*, quæ complectitur 1. Doctrinam de S. Scriptura. 2. Locos theologicos. 3. Commentarium ſynopticum in univerſa Biblia: *et Bibliothecam portatilem practicam.*

Eeee 2. Andr. Henr. Bucholz, *Scheningenſis*, in ſchola *patria* conrector. — *Scheningenſis*, in ſchola *hamelenſi* conrector.

Ffff 3. Io. Sanderus primum Rector Scholæ *Schöningenſis, deinde* Magdeburgenſis, *demum* — Primum *Rector Scholæ magdeburgenſis, deinde* ad D. Catharinæ brunſvicenſis. *Ludovici* Hiſt. ſchol.

ad D. Catharinæ Brunſvicenſis.	ſchol. P. IV. 127.
Gggg 2. Io. Weinmannus, Alumnorum noricorum Inſpector.	*Altorfii* Alumnorum noricorum Inſpector.
Io. Mullerus, *Paſtor Hamburgenſis,* dedit Conciones IX. in Symbolum Athanaſii.	Io. Mullerus, *Havelberga-marchicus, paſtor ſtadenſis, Moller* 704.
Iiii. Io Andr. Boſius edidit *Exercitationem philologicam ad 2. Timoth. 2, 22. -- de iuvenilibus concupiſcentiis.*	Eſt *unum idemque ſcriptum.*
Iiii 4. Andr. Reyherus obiit *Anno* 1674.	*Anno* 1673. *Ludovici* Hiſt. ſchol. P. I. 23.
Kkkk 2. Petrus des Champs neufs, ſeu de Campis *navis.*	De Campis *novis.*
Llll 3. *Io. Iac.* Pfeiffius iuris publici fecit Diſſertationem de unione myſtica Chriſti & fidelium.	*Daniel* Pfeiffius, Io. Iacobi frater. *Moller* ad Bartholinum de Danis 205.
Mmmm. Io. Vorſtius innotuit ex *Philoſophia* ſacra.	Ex *Philologia* ſacra.
Oooo 3. *Io.* Baptiſta Nanius, D. Marci Procurator.	*Baptiſta* Nanius.
Tttt. *Gothofredus Voigtius* in lucem protulit Miſcellanea biblica.	*Albertus Voigtius*, Theol. Licentiatus, & L.L. oriental. profeſſor in acad. gryphiswaldenſi. *Moller* 728. *Ludovici* Hiſt. ſchol. P. III. 391.
Zzzz 3. Melch. Zeidlerus ſcriptis mandavit *Prodromum* Introductioni in lectionem Ariſtotelis præmiſſum: *Introductionem* in lectionem Ariſtotelis: *Tractatum de gemino docendi modo: exoterico & analytico.*	*Prodromus pertinet ad Introductionem: neque ab illo diſtinctus eſt* Tractatus de gemino docendi modo. Vide *Catalogum* ſcriptorum Zeidleri, ipſius Notis & Animadverſionibus in Scrutatorem veritatis præmiſſum, c. 4.

Pri-

Aaaaa 2. Chriſtianus Daumius, Cygneus, primum *Geræ conrector, tum Gymnaſii Zuviccavienſis*, demum in patria Rector.

Primum *collega tertius* Gymnaſii zwiccavienſis patrii, *deinde einsdem rector*. God. *Ludovici* Hiſt. ſchol. P. III. 102.

Bbbbb 2. Paulus Sarpius *a ſicariis confoſſus eſt*.

Sed *ſanitati reſtitutus*, ex morbo obiit. Io. Gottl. *Moller* in Additam. ad mutuas Sarpii & Caſauboni Epp.

In Tomo II.

Pag. 23. Andr. Maurocenus, ob. A. 1618. *ætatis* 61. Condidit Hiſtoriam venetam ab *anno* 1612. uſque ad annum 1615.

Anno *ætatis* 60. Condidit Hiſtoriam venetam *ab anno* 1521. *Nova bibliotheca* T. III. 634.

25. *Valentinus Guilielmus* Forſterus compoſuit Hiſtoriam iuris civilis, & libros II. de iuris interpretibus.

Valentinus Forſterus, anteceſſor marpurgenſis, heidelbergenſis, & helmſtadienſis, Valentini Guilielmi pater. *Moller* 675.

35. Simon Goulartius, *Silvanectinus*, *Fridericopolis*, collegit *Apophthegmata* &c.

Omnes illi libri ſunt *parentis*, theologi genevenſis, qui & *Silvanectinus* dicitur, non filii, qui *Fridericopoli* in exilio obiit. *Moller* 679.

38. Io. Mylius, *Iglavia Moravus*, in Boruſſia defunctus, formavit Relationem, an, quid, & in quantum D. Matthias *Hoë* rebus Bohemicis & electioni Regis Bohemiæ ſe immiſcuit?

Iſte Mylius cum *alio* haud dubie confunditur. *Moller* 965.

65. *Io.* Arnoldus Corvinus dedit Venatorium illuſtratum, Poſthumum Pacianum, Pandectas ſive Digeſta per aphoriſmos, Ius canon. per aphoriſmos explicatum. *Confeſſionem ſuam* edidit, quod in fide catholico-romana mori vellet.

Arnoldus Corvinus, Io. Arnoldi filius. Atque *hic* ad Romano-catholicos tranſiit, & Confeſſionem fidei edidit. *Moller* 664. *Hyde* Biblioth. Bodlei. T. I. 183. *Catal.* Biblioth. Mayer 690.

Demum

68. Io. Sœteſleiſch -- paſtor demum Andreanus. Effecit Dialogum cum Capucino *habitum: Explicationem* theologicam de legitima Miniſtrorum Euangelicorum vocatione.	Demum *Hildeſiæ* Andreanus. Effecit Dialogum cum Capucino habitum, *ſeu* Explicationem theologicam. &c.
85. *Guilhelmus* Grotius confecit Iſagogen ad praxin fori Batavici.	*Hugo* Grotus. *Moller* 679.

Henningus *Witte*, Riga-livonus, in academia Iulia F. V. *Calixti*, Ger. *Titii*, *Conringii*, *Schraderi* & *Rachelii*, in gieſſenſi *Haberkornii* & *Müleri* diſcipulus, IIX. integris annis extra patriam non perditis, ſed utiliter conſumtis, ac perluſtratis Germania, Belgio, Anglia & Suecia, compellatis ubivis doctiſſimis atque illuſtribus viris, & inhabitatis (quod mirum, atque inauditum) XXI. Academiis, cum tanquam alter Vlyſſes patriæ ſuæ eſſet redditus, reique ſcholaſticæ Proceres de Gymnaſio inſtaurando A. 1677. curas ſuſciperent, haud procul illis quærendus fuit, cui profeſſionem Eloquentiæ & Hiſtoriarum committerent: Wittii enim, civis ſui, eruditio perſpecta iam ipſis erat & explorata. Hunc ergo vocarunt ad bigam illam ornandam: quam ille etiam ita ornavit, ut ſtudii atque induſtriæ ipſius luculentiſſimi & omni exceptione maiores dentur teſtes, nempe tot viri præſtantes, qui ex eius diſciplina prodierunt, & plurimi laboris ſcripta: nam præter Diarium hoc, etiam Memorias ſervavit atque in publicum emiſit Theologorum, ICtorum, Medicorum & Philoſophorum. Tandem, qui inter libros vixit, libros dedit, & ipſe viva fuit bibliotheca ac muſeum ambulans, a libris, ut erat in fatis, mortem ſibi contraxit: nam cum librum ex bibliotheca alte repoſtum depromere vellet, contigit, ut de ſella male fida in latus ſiniſtrum gravi lapſu procideret. Quo caſu non corpus duntaxat, iam ante imbecille atque invalidum, concuſſum debilitatumque, ſed & rerum cuſtos memoria magnum paſſa eſt detrimentum. Et quamvis poſt aliquot menſes in gratiam cum valetudine redire videretur, adſcitosque in ædes ſuas auditores recitationibus erudiret, mox tamen ſenſit, vires morbo & languore adeo eſſe fractas, ut de migratione ſibi ſit cogitandum. Ad eam igitur rite ſe præparans, die 22. Ian.

A. 1696.

Digitized by Google

A. 1696. expiatam animam ad æternas fortunataſque ſedes tranſmiſit. Dav. *Hornicius* in Programm. funebri, quod exſtat in D. Georg. Henr. *Goetzii* Elogiis præcocium quorund. eruditorum, aliorumque viror. doctorum, p. 117. & Henr. *Pipping* Præfat. in Memorias theologorum, quorum ille eum tandem vocat virum pium, cordatum, doctum; hic præ ceteris, qui de memoria virorum doctorum ab oblivione vindicanda bene meriti ſunt, laudandum iudicat.

CL.

Acta eruditorum A. 1682. publicata, & in præſens uſque tempus continuata. Lipſiæ 1682. cum Supplementis & Indicibus volumina XXIV. Collectores horum Actorum ſunt, ut in Colloquiis menſtruis (in Monatl. unterredungen) A. 1689. p. 79. refertur, propago Collegii Gelliani, imitati, ut in Præfatione legimus, Anglos & Gallos, quorum illi Transactionum philoſophicarum, hi Diarii eruditorum titulo hiſtoriam literariam tradere conati ſunt: habentque hoc peculiare, quod nullius hominis ſcripta atro carbone notent, ſed intra terminos recenſionis ſe retineant; ſermonem latinum certis de cauſis vernaculo ſuo præferentes. Vtile, ſane, maximeque laudabile hoc eſt inſtitutum, de quo tamen malo celeberrimi *Morhofii*, quam mea verba adferre. Sic autem ille Polyhiſt. lib. I. 194. *Anno 1682. in Academia Lipſienſi viri aliquot docti laudabili conſilio negotium hoc ſuſceperunt, ut* Acta eruditorum *publicarent, quibus non libros ſolum in omni doctrina genere, ex omni gente, novos recenſerent, ſed & inventa nova phyſica & mathematica, undique conquiſita, proponerent. Optima illa res hactenus cum eruditi orbis applauſu ſucceſſit, eſtque eius rei fructus longe maximus. Ego certe Germania, atque illuſtri Academia de illo conſilio gratulor, quod exteris quoque, quibus noſtra raro ad palatum ſunt, nunc placere incipit, ut iam in Gallicam quoque linguam convertantur. In ordinem illa redegit mihi amiciſſimus* Otto MENCKENIVS, *manum iungentibus aliis inclutæ Academiæ Profeſſoribus, præcipueque* Frid. Benedicto *Carpzovio*. Adde, ſi lubet, *Meibomium* in Additam. ad Vogleri Introductionem p. 166. *Benthemium* Præfat. in Statum anglic. eccleſ. & ſcholar. d. 2. *Placcium* de Anonymis p. 345. *Rinckium* & *Baieros* fratres in Program. Collegii hiſtor. literar. noviſſ. A. 1709. *Parrhaſiana* T. I. 383. *Giornale de' Letter. d' Italia* nell' Introduz. (Tomo I.) 20. *Schurzfleiſchium*

ſchium Epp. arcan. T. I. 185. 201. 214. *Struvium* Introd. in notit. rei literar. p. 269. Io. *Mollerum* Iſag. ad Hiſtor. cimbr. P. II. 207. M. P. *H.* im Bericht von den Iournal- Quartal- und Annal- Schriften p. 1. *Vnparth. bibliothecarium* T. I. 436. *Lynckerum* (in Felleri Monum. var. inedit. 440) & Dan. *Francum* de Papiſt. Indicibus librorum prohibitorum p. 6. Nempe Collegii conferentium de Actis eruditorum, ut auctor, ita director primus erat Otto *Menckenius*: conferentes ſingulis diebus Mercurii conveniebant in ædibus D. Alberti, & ſymbolas adferebant ſuas; inque numero eorum erant non tantum Profeſſores quidam lipſienſes, ſed & Magiſtri eruditiores, & non nulli exteri, ut Georg. Gottf. *Leibnitius*, & Io. Fran. *Buddeus*. Atque ita in præſens uſque tempus obſervatum eſt. Iam ad ea accedamus, quæ partim notanda ſunt, partim corrigenda. Notanda ſunt ſequentia: Recenſio Theriacæ iudaicæ, quæ fit A. 1682. p. 205. auctorem habet Io. Bened. *Carpzovium*, teſte eius fratre, Friderico Benedicto, in litteris ad Chriſt. Arnoldum d. 20. Iunii anni prædicti ſcriptis. Auctor de l' Hiſtoire du Calviniſme & celle du Papiſme, miſes en parallele, (de qua A. 1683. p. 520.) eſt Pet. *Iurieu*. Per Epiſcopum Bitontinum p. 62. A. 1684. intelligendus eſt Cornelius *Muſſus*. Anonymus, (A. 1684. 454.) qui edidit Conſiderations generales ſur le liure de Mr. *Brueys*, eſt Paulus *Enfant*, Miniſter V. D. apud Eccleſiam gallicanam in urbe Berolinenſi. An Apologus for the Proteſtans of France (A. 1685. 68) in ſix lettres, auctorem agnoſcit *Fetzonium*, V. D. M. in finibus Campaniæ, deinde lipſtadienſem. Autor Novellarum reip. litterariæ, (A. 1685. 511) eſt Iacobus *Basnage*; & Arnoldus, cuius ſcripto Excerptum hoc eſt oppoſitum, prænomen habet *Andreæ*. Confer hic paginam 509. Litteræ initiales G. G. L. in Brevi demonſtratione erroris memorabilis Carteſii & aliorum circa legem naturæ, (A. 1686. 161) indicant, ut etiam *Placcius* de Anon. p. 319. obſervat, Godofr. Guil. *Leibnitium*. Anonymus, (A. 1687. 233) cuius chartæ vocantur famoſæ, eſt P. *Poiretus*. Vide ipſius Apologiam, libris de Eruditione ſubiunctam p. 423. Polyhiſtor celeberrimus, idemque ſummus theologus, de cuius propoſito Acta A. 1688. p. 283. loquuntur, eſt D. Phil. Iac. *Spenerus*. Antiqua literarum monumenta, autographa Lutheri aliorumque celebrium virorum illuſtrantia, quæque recenſentur A.

1690.

1690. 625. collecta ſunt ab Hermanno *Von der Hardt*. Auctor Appendicis ad Cavii Hiſtoriæ litterariæ Partem II. R. G. (de quo ad A. 1699. 153.) eſt Robertus *Gerius*. Lexicon reale ſtatus & novellarum, quod recenſetur A. 1706. p. 91. debemus conſultiſſimo viro P. B. S. nato *Schützio*: ut etiam revelatur in ipſis hiſce Actis erudit. A. 1707. 468. Princeps ingenioſiſſimus, cuius mentio fit A. 1706. 334. eſt *Antonius Vlricus*, Dux Brunſvicenſium & Luneburgenſium. Inter eos, qui ad Placcii Theatrum anonymorum & pſeudonymorum augendum operam ſuam contulerunt, (& de quibus ſermo eſt A. 1709. 35) novi & ego *aliquem*, qui ſymbolam ſuam viro illuſtri, Gerhardo Van Maſtricht miſit, ab eo poſtea cum ſua Hamburgum curatam; nominare autem eum, verecundia prohibeor. Cum libello gallico, cui titulus, Memoires ſur la pretendue Declaration de l' Vniverſité de Helmſtad, quique recenſetur A. 1711. 156. conferendum eſt *A. Candidi* Iudicium de iſto libello, quod ita finitur: *Vt adeo, ſi a Relationibus ſeu Memorabilibus iſtis erronea, falſa, iniurioſa, contradictoria, inepta teſtimonia, cæca & iniqua iudicia, & narratiunculas ad rem non facientes detraxeris atque removeris, memoria dignum in iis, paucisſimis exceptis, remanſurum ſit NIHIL.* Editor Vrbani Regii Formularum caute loquendi cum Notis & Appendice apologetica Mart. Silv. *Grabii*, de quibus ſermo eſt A. 1714. 93. ſum *ego ipſe*, Grabiani nominis & meritorum, ut recte indicant doctiſſimi Collectores, amicus & cultor. S. B. cuius Animadverſio in novam editionem Herodoti a C L. Gronovio curatam A. 1716. 377. recenſetur, eſt Stephanus *Berglerus*. Vide p. 201. Corrigenda autem, quæ iam ſequuntur, non ipſas inclytorum Collectorum recenſiones attingunt, ſed libros, qui ab illis recenſentur.

A. 1682. p. 62. R. Lipmannus *ſeculo* poſt Chriſtum natum XV. vixit.	*Seculo* XIV. *Wagenſeil* Præfat. in Nizzachon. Videatur tamen *Wolfius* Biblioth. hebr. p. 734.
201. Anno ה"תמ 441. ſupputationis Iudaicæ, id eſt, *Chriſti* 1681.	*Chriſti* 1680. *Muſeum novum* T. I. 693.
A. 1683. 438. Autor libri, Prejugez legitimes contre les Calviniſtes, *vix alius eſſe poteſt, quam Ant. Arnaldus.*	Eſt *Nicolius*, ſicut ipſi indicant celeberrimi *Collectores* in Indice auctorum, H 2.

Fff 2 Qui

A. 1684. 60. Hiſtoire du Concile de Trente de Fra Paolo Sarpio, traduite par le Sieur *de la Mothe Ioſſeval*.	Qui eſt *Amelot de la Houſſaye*. ut indicatur in Indice Actorum I. Decenii, atque a *Placcio* de pſeudon. p. 455.
517. Phæariſæorum nomen opinatur convenientius derivari a פרס *Paras*, hoc eſt, mercede.	A *Peras*. *Buxtorf*. Lex. mai. 1828.
A. 1685. 375. Georg. Mœbii Tractatus de oraculorum ethnicorum origine, propagatione & duratione editus *anno* 1656.	*Anno* 1657.
548. Pet. Poiret Cogitationes ſuas nunc diffuſiores, ſed & *obſcuriores* exhibet, quo profundius Theologiæ myſticæ, quam *pasſim* prædicat, immerſas habuit.	*Profundiores Metaphyſices cogitationes* cum Theologia myſtica, quæ *ſemel aut bis* nominatur, confunduntur. *Poiret* de Eruditione ſolida, ſuperfic. & falſa p. 418.
A. 1686. 32. G. Stiernhelmum Anticluverius, ſive ſcriptum breve *Ioanni* Cluverio oppoſitum.	*Philippo* Cluverio.
33. Gothorum antiquiſſimam & hereditariam eſſe *Gothiam*.	*Partem Sileſiæ*. I. G. *Eccard* Program. de antiquiſſ. ſtatu Helmſtadii B 3.
419. Ericum, natione Germanum, *Profeſſorem Patavinum*.	*Vulgarem magiſtrum lingua italica Venetiis*.
507. Prima Commentariorum Sleidani editio, in folio minori, litera Italica prodiit *Anno* 1551.	*Anno* 1555. *Slüter* Propyl. H. E. p. 36.
542. Pyra, quæ Italis *Buonchriſtiano* vocantur.	*Bonchriſtiane*.
544. Monagius vocem *aſiatim ex italica voce Adagio* deducit.	Legendum, *aſciatim*, id eſt, diviſim. *Du Freſne* Gloſſar. T. I. 352.
A. 1690. p. 18. Defenſionis Eccle-	Eſt D' *Antecourt*. *Acta erudit*. A.

Digitized by Google

ſiæ contra librum Io. Claudii, cui titulus, La defenſe de la Reformation, *alius autor non eſt, quam D. Ant. Arnaldus.*	1692. 240.
301. Qui *Francofurtana editionis Gorionidis curam geſſit, R. Tam.*	*Mortuus duobus ante ſaeculis.* I. C. *Wolf* Biblioth. hebr. 516.
313. H. Grotii Commentatio ad loca quædam N. T. *a Mareſio* ſub Io. Simplicii nomine refutata fuit.	*A Slichtingio,* Io. *Clericus* T. II. de la Biblioth. choiſie, p. 265.
A. 1691. 369. Sententiam de beatarum animarum in paradiſo quodam aſſervatione, nuper Phil. a Limborch. *ſimili de ſomno incruſtare voluit.*	Verba eius hæc ſunt *Theol. Chriſt.* lib. VI. c. 10. §. 8. In morte homo totus mortuus eſt, *anima* tamen ſuperſtes non interiit, *nec dormit,* ſed internas cogitandi functiones exercet. Vnde *nec anima, ſed homines ipſi mori & dormire dicuntur.*
406. An Iacobus de Theſſolis latine de ludo ſcachorum impreſſus ſit, *non liquet.*	*Eſt,* ſi fides habenda *Lipenio* Biblioth. philoſoph. p. 1365. ſub titulo: Iacobi de Ceſſolis (Cæſolis) Lombardi, Ord. Prædicat. de ludo ſchacchorum, ſive de moribus hominum, officiisque Nobilium ſuper eo Commentarius. Mediolani 1497.
A. 1692. 298. *Orientalius* alvi paradiſiaci verſus mare properantis brachium Huetio eſt Phiſon.	*Occidentalius.* Videatur *Huetius.*
299. Gehon vel Gichon *occidentalius* brachium eſt alvi paradiſiaci.	*Orientalius.*
A. 1693. 154. *Bernhardi* Ferrarii.	*Franciſci Bernhardini* Ferrarii.
A. 1696. 45. Aonius Palearius Romæ *vivus* in ignem coniectus eſt.	*Poſt ſtrangulationem, Acta erudit.* A. 1716. 153.

A. 1697. 10. W. E. Tenzelii Epiſtola de *ſceleto elephantino*, Tonnæ nuper effoſſo.	*Lapidem* pro oſſe venditavit. *Schurzfleiſch* Epp. arcan. T. II. 225.
307. Baronius, ut Sauſſayus in Continuat. Bellarmini de Scriptor. eccleſ. refert, XIII. *Tomos* Annalium elaboravit.	*Tomos* XII. ſic enim ſcribit pag. 69. Baronius numerum Tomorum *Centuriis Magdeburgicis adæquavit.*
308. *Panicarolam.*	*Panigarolam.* *Critopulus* in Cenſura Eclogar. Mayeri, p. 13.
450. Quæ *Iac. Iehuda Leo*, & R. *Iac. Iehuda Arieh* evulgarunt.	*Eſt unus idemque.* I. C. *Wolf* Biblioth. hebr. 593.
A. 1698. 62. Ioſephus Maria Thomaſius *textum* pſalmorum ipſum *ex Septuagintavirali verſione* latinum fecit.	*Notas* ſuas: textum autem petiit ex Verſione vulgata. *Giornale de' Letterati d' Italia* T. XXIII. 2.
Georg. Engelbrecht, *ſereniſſimorum Ducum Brunſvic. & Luneburgenſium Conſiliarius.*	*Sereniſſimi Ducis Brunſvic. & Luneburg.* Georgii Wilhelmi *Conſiliarius.*
A. 1699. 292. Caſp. de Degingk, ſenatoris tum, & *poſtea Conſulis Reip. Lubecenſis.*	Senator fuit, ſed *Conſul nunquam.* Io. *Moller* Prolegom. in Morhofii Polyhiſt. 12.
309. Sponſaliorum de futuro & de præſenti diſtinctio ex verborum diverſitate, *Duco te*, vel *Ducam te in uxorem*, æſtimatur: prior enim formula ſponſalia de futuro &c.	*Ducam te*, vel, *Duco te in uxorem.*
346. De Voſſio patre, quod Corn. Balbum Gaditanum *vocet Mitylenæum*, & *Hiſtoricorum numero adſcribat.*	*Neque unum, neque alterum reperio.*
A. 1704. 353. Sive Clericus eſt auctor Præfationis in Eraſmi opera, ſive *alius fortaſſe aliquis.*	Eſt *ipſe Clericus.* Vide Tomum I. de la *Biblioth. choiſie* p. 380.
355 In Encomio ſtultitiæ edendo prævium ſe habuiſſe dicit *exemplar Pariſienſe* anni 1675.	*Exemplar baſilienſe. Clericus* Præfat. in Tomum IV.

Tan-

A. 1706. 208. Conſtare illud debet ex Gallica verſione *omnium* Elogiorum, quæ in Thuani voluminibus hiſtoricis leguntur.	*Tantum virorum illuſtrium. Struve* Introd. ad Hiſtor. philoſoph. 84.
A. 1711. 157. Et poſtquam editum eſt, *vehementer diſplicuiſſe.*	Propter temerariam editionem; *non propter contenta.*
A. 1712. 135. *Modum excesſiſſe* (Io. Phil. Pfeifferum in Græcarum antiquitatum libris) *in allegandis Lexicis, & quæ ſunt alia,*	Sed *& encomium libri ſequitur.*
A. 1713. 242. Varinus Phavorinus ad Nucerini Præſulatus (ſeu Epiſcopatus) orbitam raptus eſt *anno* reparatæ ſalutis 1517.	*Anno* 1514. *Giornale de' Letterati d'Ital.* T. XIX. 94.
A. 1714. 129. Autorem Diſcurſus de Cogitandi libertate (of the Diſcourſe of free-thinking) *Tolandum eſſe*, nuperrime accepimus.	Eſt *Ant. Collinus.* Et hoc indicatur ab ipſis *Actis erudit.* A. 1715. 488.
A. 1716. 234. Nic. Malebranchius A. 1715. poſtquam *ſex & octoginta*, & quod excurrit, annos vivendo expleverat, fatis conceſſit.	*Septem & ſeptuaginta.*
A. 1718. 519. Gaſſendus vixit *annos* 65. & vivere deſiit heri (25. *Octob.*) *circa tertiam* promeridianam.	Vixit *annos* 63. menſes 9. dies 13. & vivere deſiit IX. Kal. Nov. h. e. 24. *Octob. hora* 4. poſt meridiem. Sam. *Sorberius* in Wittii Memor. philoſophor. p. 210.
A. 1719. 136. Concilium Conſtantienſe per Vlricum a Reichenthal, *Conſtant.* 1403. *Auguſtæ Vindel.* 1443. 1536. *Francof.* 1575.	Concilium Conſtantienſe *A.* 1413. per Vlricum a Reichenthal, *Auguſtæ Vindel.* 1483. *Recuſum ibidem* A. 1536. *& Francofurti ad Mœnum* 1575.
468. Gabriel Biel *anno* 1485. deceſſit.	Anno 1495. *Olearius*, *Wharton*, *Labbe* T. I. 337. & *Lexicon. univ. hiſtor.* T. I. 371.

Tomo I. Supplementorum, p. 134. Reſponſio ad Cenſuram Henſchenii & Papebrochii, autore *Honorio* Stella.	*Onuphrio* Stella. Vide *Acta erud.* A. 1698. 82.
Tomo II. 99. Haut modica iſtarum litium (theologicarum) pars *e lubrico ac diſſoluto modo* provenit, quo Theologia vulgo tradi ſolet.	Hoc aliis *durum dictu* videtur. *Förtſch* Diſput. de pietate ſecundum ſcientiam, 12.
419. Du Pinius iudicat, caput *ultimum* Hæreticarum fabularum *libri* III. Theodoreto reſtituendum eſſe.	Caput *duodecimum libri* IV.
Tomo IV. Chriſtoph. *Wegleiter* in eorum eſt claſſe, qui nulla a ſe ratione paſſi ſunt impetrari, ut *ullum luci publicæ ſcriptum ederent.*	*Edidit* Orationem de palmariis ſæculi XVII inventis, Diſputationem de ſiderum influxu, quæ etiam exſtat in I. C. Sturmii Philoſophiæ eclecticæ Tomo I. p. 618. Orationem carminicam, qua gratias agit in promotione ſua & aliorum magiſteriali, Diſputationem, pro impetrandis honoribus doctoralibus, de ſerpente tentatore, ad Gen. 3, 1. 2. & Concionem ſolemnem in coronationem auguſtiſſimi Romanorum Regis IOSEPHI.
Tomo V. 60. Arnoldus in Hæreſiol. ſua p. 60. pronunciat, ſæculo II. nullas fidei Confeſſiones exſtitiſſe, *nec hæreticos damnatos legi.*	Nec hæreticos *tam frequenter* damnatos legi.
396. Tranſlatio biblica a philologo ac poſtea theologo A. 1665. conſcripta, *typis non eſt impreſſa.*	*Eſt impreſſa* uſque ad caput 17. prioris libri Samuelis, in quo & auctoris & typographi operæ ceſſarunt.

Otto

Otto *Mencke*, Oltenburgicus, Henr. *Kippingii*, Iac. *Thomaſii* & *Rappolti* diſcipulus, S. theol. licentiatus, atque in lipſienſi academia Moralium profeſſor publicus, Academiæ decemvir, & unus ex Maiori Principum Collegio, ſi plane nihil ſcripſiſſet, (ſcripſit autem Appendicem ad *Boxhornii* Hiſtoriam univerſalem, & Notas ad *Hornii* Orbem poëticum, variasque elegantes Diſputationes) immortaliter tamen cœpto Actorum eruditorum opere meritus eſſet: quot enim libros recenſuit, tot quaſi ſtellis cœlum gloriæ ſuæ ornavit, dignus, qui a Io. Guil. *Bergero* Diſſertationum p. 502. vocetur Cratippas Varroque lipſienſis, atque a *Caveo* Præfat. in Partem alteram Hiſtoriæ literar. ſcriptorum eccleſiaſt. p. 7. vir nullis non nominibus ſibi æſtimandus, & de quo incertum, eruditione ne, an humanitate ſit præſtantior. Tandem vero mortem eruditorum ſenſit, apoplexia percuſſus A. 1707. ætatis 63. Vide *Lexicon univ. hiſtor.* T. III. 510.

Fridericus Benedictus *Carpzovius*, lipſienſis, *Rappolti*, *Franckenſteinii*, *Alberti* & Iac. *Thomaſii* diſcipulus, & abſoluto itinere germanico & belgico in patria ſenator, & ædilis, vir æque de litteris ac republica præclariſſime meritus, & polyhiſtor clariſſimus, ac Mæcenas litteratorum, vita defunctus eſt A. 1699. cum ætatis annum ageret quinquageſimum primum. Vide *Præfationem in* eius Catalogum bibliothecæ. Laudem hanc tulit a Collectoribus *Actorum eruditorum* ad A. prædictum p. 288. quod a primis illorum auſpiciis ad illa uſque tempora, per octodecim annos, iis componendis ornandisque ſtrenuus ſecum operam dederit, quodque multis beneficiis officiisque (ut fuit vir inſerviendi cuiuscunque ordinis hominibus promtitudine nemini fortaſſe mortalium ſecundus) ſibi devinxerit, aut quibuscum doctum ipſi, dum viveret, per literas interceſſit commercium. Iidem pergunt, ſcribentes: Quam fuerit librorum cupidus, bibliothecæ, quam reliquit, (reliquit autem ampliſſimam) catalogus teſtatur. Præterea laudatur a *Tenzelio* Præfat. in Diſſertationes ſelectas, *Pritio* in Dedicat. Diſp. inauguralis de experientia renatorum ſpirit. Chriſtoph. *Cellario* Præfat. in Silium Italicum, *Gravio* Præfationum & Epp. p. 64. 534. *Tollio* Epp. itiner. p. 65. 79. Frid. Vlr. *Calixto* in Epicriſi ad Viam pacis p. 283. atque a Collectoribus *Lexici univ. hiſtor.* T. I. 575.

Io. Burchardus *Menckenius*, lipſienſis, natus A. 1674. die 8. April.

Digitized by Google

pril. I. V. doctor, hereditarius in Gährniz, Regiæ Maieſt. Polon. & Electoris Saxoniæ conſiliarius & hiſtoricus, atque Hiſtoriarum profeſſor in academia patria, regiæque Societati Britann. adſcriptus, multa nobis dedit ſcripta elegantia & plane egregia, ut, Diſputationes de Auguſtorum & Auguſtarum conſecratione ex nummis, de eo quod decorum eſt, de monogrammate, de eo quod placet, de eo quod iuſtum eſt circa teſtimonia Hiſtoricorum, de inſtauratoribus græcarum & latinarum litterarum, de nævis politicis CAROLI V. Imp. de Feimeris, veteris Weſtphalorum Iudicii ſcabinis, de Commentariis hiſtoricis, quos Galli *Memoires* vocant, de viris militia æque ac ſcriptis illuſtribus, deque Electoratu ſaxonico in Fridericum Bellicoſum iure meritoque collato: Opuſcula, ut, SIGISMVNDI AVGVSTI, Regis Poloniæ, Epiſtolas, Legationes & Reſponſa, Io. Ant. *Campani* Epiſtolas & Poëmata, Analecta de calamitate literatorum, Vitam & Acta LEOPOLDI Romanæ Imperatoris Philandri *Von der Linde* elegantia, eiusdemque iocoſa, & ſeria ac denique mixta Poëmata, ac Verſio atque exornatio de la Methode pour etudier l' Hiſtoire: & Orationes, ut, de felici Angliæ & Scotiæ unione, de viris eruditis, qui Lipſiam ſcriptis atque doctrina illuſtrem reddiderunt, de Charlataneria eruditorum, & quæ alia huc pertinent. Sed hæc omnia, quantacunque ſunt, opus ſuperat Actorum eruditorum, cuius lampada a patre accepit, & in præſentem uſque diem tam decore, quam utiliter geſſit, omnino dignus, ut vitam ei longam adprecemur, & vires animi corporisque ad illius continuationem ſufficientes. Vide *Muſeum novum* T. IV. 9. & *Crenium* Animadverſ. T. XIV. a quo vocatur ſuaviſſimus homo, & ſummi officii, ſummæque humanitatis. Conſervet Deus Domum Menckenianam, quæ, ut politiſſimi *Bergeri* verbis ex l. c. utar, non Saxoniæ tantummodo ac Germaniæ, ſed orbi etiam, qua doctrinæ ſtudio ducitur, eruditorum clara operum, diu multumque cognita, neque minus advenarum, quam civium, tanquam ad Muſarum ædem, huc confluentium, admiratione celebrata eſt.

CLI.

Dan. Georgii MORHOFII Polyhiſtor. Lubecæ 1708. Volumina II, Recuſus A. 1714. atque in III. Tomos, Literarium videlicet,

Digitized by Google

delicet, Philoſophicum & Practicum diviſus. Opus hoc integrum prodiit poſt auctoris obitum, eſtque accurate reviſum, emendatum, ex auctoris *αυτογραφοις* & MSS. aliis ſuppletum paſſim, atque auctum, in paragraphos diſtinctum, librorum capitumque ſummariis, hypomnematis quibusdam hiſtorico-criticis, duabusque Præfationibus, ſive Diatribis iſagogicis, Tomo I. & II. præfixis, illuſtratum a Io. *Mollero.* Ipſe auctor tantum Primi Tomi librum I. & II. edidit Lubecæ A. 1688. Poſt eius fata autem laborem hunc ex eiusdem ſchedis ſeu prælectionibus privatis continuare ac perficere voluerunt clariſſimi viri, Henr. *Muhlius*, Ioan. Burch. *Maius*, & Frid. Bened. *Carpzovius*; ſed cum id, propter eorum alias occupationes, præſtari non poſſet, ultimus prædictorum operis curam commendavit atque impoſuit erudito viro, M. Io. *Frickio*, ulmenſi, Collegii lipſienſis philoſophici tunc aſſeſſori. Atque hic interpolavit Tomi I. libros IV. poſteriores, eiusdemque eſt etiam totum caput 2. libri VI. & caput 2. libri VII. De quo labore ſic iudicat *Mollerus* in Prolegom. p. 76. *erudita eſſe omnia, & nomine Morhofiano adeo haud indigna, ut auctoris ipſius commentationibus extemporaneis præferri ſæpe mereantur; immo & ad notitiam autorum, de quibus agitur, plenam atque accuratam neceſſaria.* Hoc tamen addit, *præſtitiſſe, ſeorſum illa textui ſubiungi, tum ut* Morhofii *ſatis fieret deſiderio, tum ut a lectore quovis, quid huic, quid item continuatori debeatur, accurate poſſet dignoſci.* Morhofium illuſtratum ſeu Commentarium in eius Polyhiſtorem promiſit Chriſt. Matth. *Kneſebeck* ICtus, & Io. *Grœningius* emiſit Relationum ſuarum Reip. literariæ Tomum I. quæ debeant eſſe ſupplementum Polyhiſtoris Morhofiani; ſed ille in lucem non prodiit, neque etiam hic conatus adprobationem nactus eſt. Ita & ad ſupplendum Tomi II. librum V. Io. Chriſt. *Dorn*, ut legitur in Novæ biblioth. T. IX. 719. Bibliothecam ſuam theologico-criticam edere intendit. Præfatio in I. Tomum eſt *Morhofii*, in qua occaſionem ſui ſcripti exponit, ſeque excuſat, ſi non omnia in eo reperiantur exaſciata & polita, & vocem *auctoris* pro ſcriptore a Livio l. 2. c. 8. uſurpatam eſſe indicat. In Prolegomenis autem, a *Mollero* conſcriptis, Morhofii vita traditur, ac ſcripta eius omnia, tam edita, quam affecta ordine recenſentur, & elogia eruditorum, quæ illi eiusque ſcriptis tributa ſunt, plena lance appenduntur. Ceterum notandum,

dum, 1. ſicut T. I. 87. de Locis communibus Phil. *Melanchthonis* refertur, eos ſub nomine *Philippi di Terra nera* gratos fuiſſe in exteris & religione diſſentientibus terris, reiectos autem & exoſos ſub vero auctoris nomine; ita idem contigiſſe Ioannis *Cirelli* Ethicæ chriſtianæ, quippe quam profeſſor quidam academicus, cum neſciret, eam eſſe Crellii ſociniani, auditoribus ſuis quam maxime commendavit, factum hoc poſtea valde improbans. 2. *Ieſuitam*, de quo p. 90. n. 22. videri eſſe Nicol. *Avancinum*; Orationis autem de opinione fabrum fuiſſe Io. Balth. *Schuppium*. 3. *Cabala denudata editorem* p. 121. eſſe Chriſtianum *Knorrium a Roſenroth*. 4. *Academiam*, quæ *Florentia in Io. Bapt. Storzza ædibus* inſtituta dicitur p. 155. appellari Florentinam, & diſtingui a Furfurea. 5. Varini Lexicon græcum, de quo Lib. IV. 94. Romæ editum eſſe *anno* 1523. 6. *Autorem*, *qui*, ut p. 277. ſcribitur, *Proverbia italica edidit*, fortasſis eſſe Fran. *Lenam*. 7. *Virum doctum*, qui, ut p. 400. a Mollero refertur, opus hoc Morhofianum ſupplevit, eſſe Io. *Frickium*, ulmenſem. 8. *Non neminem*, qui Petro Molinæo oppoſuit Antiquitatem papiſmi, ut legimus Tomo III. 61. eſſe Laurentium Forerum.

Tomo I. Lib. I. p. 7. Andr. Schottus Wowerium, auctorem Polymathiæ Belgam facit, ſed *falſo*.	*Recte*, reſpectu parentum, qui e Belgio Hamburgum ad tempus ſeceſſerant. *Reimmannus* Tentam. crit. in Baylii Dictionarium p. 78.
17. n. 13. Suiſſet, ex Anglico Swinshead, *os porci*, corruptum.	*Caput* porci. *Thomaſius* Colloq. menſtr. T. II. 584.
34. n. 20. Aliqui *negant*, bibliothecæ heidelbergenſis quidquam ad bibliothecam Vaticanam perveniſſe.	Sed Leo *Allatius teſtatur*, ſe Virgilianum codicem antiquiſſimum Heidelberga cum Palatina bibliotheca in Vaticanam advexiſſe. *Crenius* Animadverſ. P. I. 110.
79. n. 16. Liber, cui titulus, *Ars nihi credendi*.	*Liber utopicus*. Verus autem libri Godof. Vallei titulus eſt *Fleau de la foy*, i. e. Flagellum fidei. *Menagiana* T. IV. 417.
Voetius nominat Bonaventuram *de Periers*.	*Des Perriers*.

Titu-

n. 17. Vanini Dialogi atheiſmi virus ſub dialogorum forma tegunt, in quorum titulo diſertis verbis Natura *dea & regina* dicitur.	*Titulum* non Vaninus *fecit*, ſed *typographus*. Vaninus autem in Amphitheatro Naturam definit *poteſtatem Dei ad omnes motus ordinarios*. *Nova biblioth.* T. III. 74.
83. n. 35. *Puteanus* libelli, qui inſcribitur Caſauboni Corona regia, auctor a quibusdam habitus fuit.	Fuit potius Caſp. *Scioppius*. Chriſt. *Thomaſ.* Colloq. menſtr. T. II. 588.
84. n. 3. In Antiquitates etruſcas Paganin. *Gaudentius* obſervationes ſcripſit.	Henricus *Ernſtius*. Vide *Placcium* de anon. 379. deque pſeudon. 523. *Fabricium* Biblioth. lat. 876. & *Thomaſ.* Colloq. menſtr. T. II. 588.
91. n. 23. *Quare faveti furibus*, niſi quia fures? *Redde mihi Præfationes meas*, dicta acuta ex infinitis epiſtolis &c. & ingratus eſto.	Invertenda verba: *Redde mihi Præfationes meas* — & ingratus eſto. *Quare faveti furibus*, niſi quia fures?
107. n. 12. Et hunc quidem ego *pulverem ſympatheticum eſſe* exiſtimo.	Eſt *aurum fulminans*. *Thomaſius* Colloq. menſtr. T. II. 591.
113. n. 35. Syneſium *cur Pſeudoſyneſium vocet Reineſius, non video.*	Quia Syneſius, quem Chemici allegant, *iunior eſt* Syneſio cyrenæo. *Moller* de homon. 520.
122. n. 1. το θεῖον, *divinum, quod in diſciplinis eſt.*	*Negatur*. *Colloq. menſtr.* T. II. 598.
123. n. 5. Eſt *philoſophia quædam alphabetaria.*	*Negatur*. l. c. 592.
124. n. 9. Quis non *in Oratoribus* aliquid divini agnoſcat?	*Non agnoſcitur*. l. c. p. 595.
125. n. 12. *In Poëtis* etiam το θεῖον.	*Neque hoc*. l. c. p. 596.
n. 13. Homo ruſticus italus, cum legeret Torquati Taſſi carmina, *quaſi ſpiritu quodam afflatus*, elegantiſſima ſine mora fudit	An *uſu*, *attentione*, *ſpirituum temperamento*? Si tamen fabula vera eſt.

 Videtur.

carmina, quæ vel ipſos artifices in pudorem coniicerent.	
126. n. 15. *Philoſophia*, quæ in contemplatione conſiſtit, ut *Naturalis*, eo ipſo nomine aliquid divini inferre *videtur*.	*Videtur*, l. c. p. 597.
127. n. 19. In *mathematicis ſcientiis* quid non divini eſt?	*Ex praiudicio*. l. c. p. 598.
129. n. 28. Qui *medicam artem* profitentur, quotidie illud ſibi θεῖον propoſitum habent.	*De eo antea perſuaſi*. l. c. p. 598.
130. n. 30. *Virtus*, quæ *heroica* dicitur, divino impulſu excitatur.	Virtus heroica *idem eſt in moralibus, quod in phyſicis Qualitas occulta*. Vide Colloq. menſtr. T. II. 598.
n. 31. Strozzius *Cigogna*.	Strozzius *Cicogna*.
131. n. 35. Vtinam vir rerum civilium peritiſſimus, *Bœclerus*, qui *Theatrum fati* ſcribere voluit, illum librum abſolviſſet, magnam huic argumento *facem* accenſam videremus.	*Fortaſſe ad alia prælucentem*, l. c. p. 599.
138. n. 26. Mirabilis iſtius lapidis *hiſtoria*, a Thuano deſcripta, animo obverſatur.	*Fabula potius*: non erat enim niſi deſcriptio ignis. l. c. p. 600. De qua etiam ſupra egimus, P. III. 49.
191. n. 23. Claud. *Verdierius* librum ſcripſit exiguum magnifico titulo: *Cenſio* omnium veterum & recentiorum.	*Verderius*, gallice Verdier, librum ſuum nominat *Cenſionem* omnium veterum & recentiorum. *Crenius* de furib. librar. p. 275.
197. n. 51. E ſcriptis Melanchthonis *Georgius* Richterus, ſacerdos Gorlicenſis, collectionem iudiciorum inſtituit.	*Gregorius* Richterus.
210. n. 31. A Thoma *Hide*.	A Thoma *Hyde*.
222. n. 37. Fran. Swertius in Athenis ſuis belgicis *quædam ſibi ſubrepta* queritur.	*Svvertius Deſſelium exſcripſit*, notante *Struvio* Introduct. c. VII. 344.

Pag. 225. n. 51. Melchior Adami, qui in noſtra gente aliquod tamen operæ pretium fecit.	Qui *unicus* in noſtra gente *ſcriptor*, aliquod tamen operæ pretium fecit. *Krauſe* in Hiſtor. libr. 97.
250. n. 71. *De pictoribus quibusdam* in germania lingua memoriæ quædam apud *Sandratum*.	De pictoribus *& ſtatuariis* quibusdam apud *Sandrartum*.
262. n. 22. *Vindingius* in Additionibus ad *Deckeri* librum de Scriptoribus anonymis putat, Speculum hiſtoriale totum ab alio quodam Vincentio eſſe confectum.	Vindingius ad *Deckheri* librum, *loquitur de Doctrinali.* Io. *Moller* de homon. 642.
277. n. 100. Orlandus *Peſquetus*.	Orlandus *Peſettus*.
307. Noviſſima & nitidiſſima Aonii Palearii editio prodiit Amſtelodami *anno* 1695.	Anno 1696.
336. n. 123. Itinerarium Chinenſe *Nieuhoffii*.	*Nieuhovii.*
342. n. 17. Fabula de latino *Hegingenſi*.	De latino *Hechingenſi*.
384. n. 14. Poſtea *non ſpernendum* artis Lullianæ *uſum* animadverti.	*Diſſentit Thomaſius* Colloq. menſtr. T. II. 607.
In Continuatione, & quidem Lib. IV.	
P. 21. n. 3. Olaus Rudbeckius *in Atlantica ſua*, *&*, quod iſtam ſecutum eſt, *Lexico*.	Lexicon ſueo-gothicum edidit quidem Rudbeckius, ſed hoc eſt *Olai Verelii.* *Moller* in Hypomnem. p. 389.
32. Ottfridi Weiſſenburgenſis librum Euangeliorum, ab auctore (ſi Trithemio credimus) *Gratia Theodiſta* inſcriptum.	Initium libri hoc eſt: Incipit liber Euangeliorum primus, *Domini Gratia Theotiſce conſcriptus*. Hinc Trithemius titulum

ſlum illum, Gratia Theodiſtæ, effinxit. Io. Alb. *Fabricius* in Annot. ad Trithem. de ſcriptor. eccleſ. p. 76. & Dav. *Hofmann* diſſert. de Otfrido, monacho weiſſenburgenſi p. 12.

P. 53. n. 5. R. Schabtai ben Ioſeph liber, inſcriptus Labia dormientium, excuſus eſt Amſtelodami *anno* 1681.

Anno 1680. *Muſeum novum* T. I. 693.

99. n. 6. Nitidiſſima Scapulæ editio prodiit Lugduni Batavorum *anno* 1650. in fol.

Anno 1652.

115. n. 16. Miror, *Bœclerum Foro Romano Fabrum a Buchnero revisum præferre*, in Diſſert. de Lexicis.

Præfert Baſileenſe Lexicon. Deinde hoc addit: In Fabri Theſauro plus doctrinæ eſt. Vide Tomum I. Diſſertationum Bœcleri p. 653.

117. n. 18. Recuſum Gloſſarium latinum Caroli du Freſne *Noriberga*, *anno* 168-

Francofurti, *anno* 1681.

154. *Epiſtolia amatoria*, *quæ libro IV.* Carminum Tibulli extant, *Barthius* Sulpitiæ poëtriæ eſſe ſuſpicatur.

Epiſtola Tibulli ſoluto ſermone fuiſſe ſcriptæ videntur, quum ab Elegiis aperte diſtinguantur. *Nullo* enim *iure brevia illa poëmatia*, quæ ſolent in IV. librum coniici, pro his Epiſtolis accepit Barthius. *Brouckhuſius* in Notis ad Tibullum p. 2.

188. n. 3. Quintiliani Inſtitutiones oratorias *primus* in Conſtantienſi Concilio, *in ſalſamentarii officina*, reperit Poggius Brandolinus.

Reperit *in monaſterio S. Galli*, non plane antea ignotum Quintilianum, cum iam aliqua eius in manibus eruditorum verſarentur, ſed *codicem cæterorum uberrimum*, tametſi quibusdam in locis deficientem. *Recanatus* in Poggii Vita p. 9. *Lenfant*

P. 207. n. 11. Luctatii Commentarium *in Tacitum.*

223. n. 11. Thomæ Gatakeri Cinnus, ſeu *Animadverſionum variarum liber.*

234. n. 10. *In Witſenii libro* de navium architectura multa deprehendiſſe ſibi viſus fuit Schefferus, *e ſchedis ſuis deprompta.*

De donariis & votivis tabellis veterum Iac. Phil. *Thomaſius* ſingulari libro egit.

237. n. 15. De veterum acclamationibus libros VII. ſcripſit Fran. Bernh. Ferrarius Mediolani *anno* 1628. editos in 4.

240. n. 3. *Extant præterea quædam Opuſcula Demetrii* Phalerei, quibus præcepta continentur de membris & inciſis: de periodo eiusque partibus: de componendis epiſtolis, & de characteribus dicendi.

247. n. 17. Lud. Creſollius ſcripſit Vacationes autumnales, ſive librum de perfecta oratoris actione & pronuntiatione, *in quo geſtum & vocum rationes pulcherrima copia ac varietate explicantur.*

254. n. 27. Thomæ *Farnabii Index rhetoricus & oratorius parum bonæ frugis habet.*

ſant Hiſt. concilii conſtant. 400.

In Statii Thebaidem. Moller hic in Hypomnem. p. 398. I. A. *Fabricius* Biblioth. lat. 436.

Seu *prior pars Adverſariorum.*

Witſenii honorem vindicarunt poſtea I. A. *Fabricius* in Ep. dedic. Supplementi Biblioth. lat. & Io. *Moller* in Monito, Epiſtolæ illi ſubiuncto.

Tomaſinus.

Anno 1627.

Illa *ſunt excerpta* ex libro περὶ ἑρμηνείας, præter quem Demetrius nihil ſcripſit. *Krauſe* Animadverſ. in Bœcleri Bibliograph. crit. 835.

Actio non e regulis diſcitur, ſed partim ex propria exercitatione, partim ex auditione optimorum in hac arte Roſciorum. *Gibertus* Tomo II. des Iugemens des Sçavans (in Actis erudit. A. 1721. 261)

Eſt *liber tironibus perutilis. Idem* (263).

P. 262. 8. Elegantiſſima Demoſthenis editio prodiit Baſileæ apud *Epiſcopum* A. 1572.	Apud *Euſebium Epiſcopium.*
Tomo II. pag. 22. n. 4. Gatakeri extant varia ſcripta, ut *Adverſaria ſacra, Cinnus* aliaque.	Adverſaria ſacra & Cinnus *unum ſunt idemque.* Vide *Hiſt. noſtra biblioth.* P. II. 35.
38. n. 16. Io. Fran. Pici opera cum *Fratris* Operibus iunctim prodierunt Baſileæ *anno* 1573.	Cum *patrui* Operibus. Atque *editio anni* 1601. correctior eſt, & locupletior. *Hiſt. noſtra biblioth.* P. III. 206.
68. n. 3. Petri Gaſſendi Exercitationes paradoxicæ *editæ ſunt* Amſtelodami A. 1649. 8. & Hagæ A. 1656. 4.	*Liber primus* A. 1649. & 1656. *Secundus* vero A. 1659. 4.
131. Semper ſuadere ego ſoleo, ut pueris, *quamdiu* uti ratione diſcunt, exhibeantur artium mechanicarum artificia.	*Quam primum* uti ratione diſcunt.
142. n. 15. Cum fama Societatis regiæ Anglicæ ad Gallos perveniret, ipſi *Academiam Pariſienſem*, quæ in linguæ Gallicæ culturam inſtituta erat, *ad ſtudium rerum naturalium transtulerunt.*	*Academia pariſienſis, in lingua gallica culturam inſtituta, manſit*; ſed quæ circa res naturales occupatur, Academia ſcientiarum & artium regia, a LVDOVICO XIV. excitata, ab iſta plane eſt diverſa. *Moller* Hypomnem. 526.
222. Imperite faciunt, qui *doctrinam de ſpiritu ſeu anima mundi*, non platonico, ſed ſaniori ſenſu acceptam, ut rem inanem vel impiam, rident & reiiciunt.	Iſta placet auctori *ob amorem erga chemiam ſecretiorem*, obſervante *Mollero* in Hypomnem. 527.
427. n. 9. Gottfr. Voigtius *in Curioſitatibus ſuis phyſicis* problema de nivis albedine propoſuit.	*In peculiari de materia hac Diſſertatione*, edita Roſtochii A. 1669. 8. *Idem* 531. & I. A. *Fabricius* in Catal. ſcriptor. Voigtii.
451. n. 2. Antimonium *corpus eſt Mercurio pene deſtitutum, aut admodum exiguum habens.*	Auctor *poſtea retractavit hanc ſententiam, Idem* 532.

P. 474. n. 2. De muribus norwagicis *Thomas Bartholinus* ſcripſit.	*Olaus Wormius. Idem* 533.
Tomo III. p. 20. Ante aliquot annos lingua ſuecica editus eſt de Principis inſtitutione liber, ante *ducentos* plus minus annos ſcriptus.	Ante *trecentos. Idem* 120.
25. n. 2. Naudæus Lud. *Septalium librum de re familiari ſcripſiſſe* ait.	*Dubium*, an unquam prodierit. Iul. Bernh. *Von Rohr* in Biblioth. oeconom. (Act. erudit. A. 1717. 25)
45. n. 5. Rich. Simonis Hiſtoria critica in V. Ttum, *a Pontifice ad rogum* damnata eſt, & *ægre unum exemplum ſalvatum*, quod Elzevirius recudit.	Hæc *relatio eſt dubia. Moller* Hypomnem. p. 124.
67. n. 31. *Cauſam Ianſeniſtarum* inter alios Dionyſ. *Petavius egit.* Eundem defenderunt *Sorboniſtæ pariſienſes.*	*Fuit eorum adverſarius. Nec de toto Sorboniſtarum collegio* illud verum eſt. *Idem* 127.
68. n. 33. *Abſolutiſſimum* Scriptorum ſocinianorum *catalogum* dedit Sev. Walth. *Sluterus.*	Sed *pleniorem* poſtea Chriſtoph. *Sandius* in Bibliotheca Antitrinitariorum. *Idem* 128.
Corpus *omnium* ſcriptorum ſocinianorum editum eſt Amſtelodami aliquot Tomis in folio.	Non omnium, ſed *aliquot. Idem* 127. Vide etiam *huius Operis* P. II. 57.
86. n. 4. Val. Forſtero plagii crimen intendit Conr. Rittershuſius, quod *pleraque* ex Io. Oldendorpii libro ſimilis argumenti ceperit.	*Tantum ea, quæ ad expoſitionem Legum XII. Tabularum pertinent. Idem* 129.
116. n. 2. Io. Rhodii Commentarius & Index ſeu Lexicon in Scribonium Largum *incendio bibliotheca Bartholiniana*, ut	Illa cum auctore *edita ſunt Patavii* A. 1655. 4. Alb. *Bartholinus* de ſcriptis Danorum p. 87. Incendio autem perierunt Variæ

arbitror, *conſumtus eſt.*

A Mart. Ruaro, *Dithmarſo.*

riæ lectiones, Notulæ & Diatribæ cum Lexico & Collectaneis ad editionem Celſi. *Moller* Hypomnem. ad Bartholinum de ſcriptis Danor. 307. *Crempa-Stormarſo. Idem* 128.

Mich. PICCARTI Pericula critica. Helmſtadii 1663. Multorum rogatu altera iam vice edita a Io. *Sauberto*: prius autem A. 1608. Auctor quidem in Præfatione labores hoſce, ut adoleſcentiæ, extenuat atque excuſat, immo tandem nugas vocat; ſed melius de iis ſenties, ſi perceperis, quid hoc in libro tractetur. Nimirum Bucephali etymon inquiritur, *Iacturas* pro impenſis, *Nec* pro et non, *Copiam* pro exercitu uſurpari, vocesque easdem in initio litteras habentes eleganter coniungi docetur, & *Plautus*, *Apuleius*, Corn. *Nepos*, *Seneca*, *Feſtus*, *Symmachus*, *Petronius*, *Quinctilianus*, Valer. *Flaccus*, *Cuiacius*, *Capitolinus*, *Lampridius*, *Servius*, *Maternus*, *Arnobius*, & *Martialis* emendantur & explicantur: & quidem ita, tamque feliciter, ut doctiſſimos viros, Scip. *Gentilem*, Georg. *Remum*, Conr. *Rittershuſium*, Andr. *Dinnerum*, Caſp. *Hofmannum*, Mich. *Virdungum*, & Caſp. *Buſium* nec piguerit, nec puduerit adplaudere. Ac meruit hoc libello Piccartus, ut *Morhofius* Polyhiſt. Tomo II. p. 63. ſcriberet, Pericula hæc critica oſtendere, eum non ſolum philoſophiæ, ſed & philologiæ peritiſſimum fuiſſe.

Mich. *Piccartus*, Altdorfio-francus, Ioannis filius, primum Logices, deinde Poëtices ac Metaphyſices profeſſor in academia patria, philoſophus, philologus, orator, & poëta, adornavit Iſagogen in lectionem *Ariſtotelis*, Obſervationes hiſtorico-politicas, Orationes varias, Laudationem funebrem Scip. *Gentilis*, *Oppiani* librum de venatione latino carmine reddidit, & quod mortale habebat, depoſuit A. 1620. ætatis 46. Quanti æſtimaretur ab illuſtri Senatu noribergenſi, hinc conſtat, quod virum ſui ordinis, Senatorem & Scholarcham, ad funus defuncti ablegavit. Neque profecto indignus hoc erat honore vir de ſtudiis literarum ac ſapientiæ meritiſſimus, & in toto orbe erudito clariſſimus. *Witte* Memor. philoſoph. 181. *Omeiſius* Glor. acad. altorf. 104. 108. *Magirus*

girus 661. *Richteri* Epp. 34. 164. *Rupertus* Orat. hiſtor. 215. *Baeler* Diſſert. T. I. 19. *Crenius* Methodor 424.

Io. Caſp. GRVNEWALDII Dubiorum grammaticorum dodecades V. Brunſvigæ 1660. 1663. Dubia appellat, ut videatur dubia movere veritatis inquirendæ cauſſa: ſed ipſe interim docet præclare, atque oſtendit, ſe multam ſtudii poſuiſſe in litteris, & philologum eſſe eximium.

Ioannes Caſparus *Grunevvald*, gothanus, Scholæ catharinianæ, quæ Brunſvici eſt, conrector, ea eruditione, quæ ad virum ſcholaſticum requiritur, probe excultus, dignusque adeo, cuius memoria conſervetur, ſupremum diem obiit A. 1683. ſeptuagenario maior.

Alphabeta ac notæ diverſarum linguarum pene LXX. tum & Verſiones orationis dominicæ prope C. collecta & illuſtrata ab Andrea MVLLERO. Berolini, anno, ut videtur, 1703. Quibus adduntur 1) Selectiorum numiſmatum inſcriptiones non nullæ, hiſtorice, grammatice, & critice conſideratæ. 2) Antiquæ inſcriptiones, quarum litteræ dudum in uſu eſſe deſierunt. 3) Geographia moſaica generalis ex Cap. X. Geneſeos. Berolini 1689. Quod ad Orationem dominicam attinet, ea quoque in diverſas omnium fere gentium linguas verſa, & propriis cuiusque linguæ characteribus expreſſa per Ioan. *Chamberlaynium* prodiit Amſtelodami A. 1715. 4. quæ quidem dimidia parte auctior eſt, quam illa Mulleri. Vide *Acta erudit.* A. 1715. 397. & *Clericum* Tomo III. de la Biblioth. anci. & mod. p. 208.

Andreas *Müller*, natus Greiffenhagæ, Pomeraniæ transviadrinæ oppido, a quo etiam dici voluit Müllerus *Greiffenhagius*, diſcendi cauſſa Roſtochium adiit, Gryphiswaldam & Wittebergam, & impetrata apud Pomeranos laurea philoſophica, promptus fuit ad regimen ſcholæ regiomontanæ ad Wartam in Nova Marchia, deinde ad præpoſituram eccleſiæ treptovienſis, poſtea bernavienſis, tandemque berolinenſis; hac tamen ultima ſparta, ut litteris orientalibus unice vacare poſſet, ſua ſe ſponte abdicavit, & poſt novennium, h. e. anno 1694. mortuus eſt Stetini Pomeranorum. Magnus & incomparabilis erat amator cultorque linguarum, ac multas ſine magiſtro didicit, Briano *Waltono* atque Edmundo *Ca-*

ſtello ad opus biblicum & Lexicon polyglottum edendum ſuppetias tulit, eiusque cauſſa, a treptovienſi inſpectura in Angliam abiit, atque in Caſtelli domo vixit annos X. Londini erat, cum CAROLVS II. cum fratre Iacobo in regnum avitum ab exilio revocatus urbem ingrederetur, & in via habitabat, qua Rex in arcem ſeu palatium aſcenderet. Sed ille nec ſpectaculi voluptate avocari potuit, nec tranſeuntis pompæ ſtrepitu, plaudentisque multitudinis vocibus turbari, quo minus agenda perageret, Muſisque ſuis adhæreret. Tantus erat in viro ardor ſtudendi. Cumque non parem haberet in tam multarum linguarum, atque ipſius difficillimæ ſinicæ notitia, mirum non eſt, doctiſſimos in orbe viros, *Kircherum*, *Thevenotium*, *Welſchium*, *Cupletium* eius amicitiam expetiviſſe, ipſum vero & *Ludolfum* ac *Tenzelium* mutuo ſe amaſſe, magnique æſtimaſſe. Scripſit multos libros, ac dolendum, eum paulo ante mortem, fortaſſe vi morbi uſum rationis ſuperante, (poſtea enim, cum ad ſe rediit, pœnitentia facti ductus eſt) multa MSS. in ignem conieciſſe. Seb. Gottfr. *Starckius* in Præfat. in qua etiam catalogus omnium eius ſcriptorum exhibetur.

CLII.

Variorum auctorum Conſilia & ſtudiorum methodi, collecta, recenſita, emendata, in inciſa ſive commata diſtincta, & notis illuſtrata a Thoma *Crenio*. Roterodami 1692. Tomi III. vol. *II.* ſed alteri volumini quædam etiam alia ſunt annexa. In Tomo *I.* comparent 1) Ioachimi FORTII de ratione ſtudii liber. Cui annectit Appendicem ex Chao, qua viam ad eruditionem monſtrat triplicem, videlicet Audire, Docere, Scribere. Hoc ſcripto encyclopædiam totam complexus eſt, atque in eo narrat de ſtudiis ſuis, quo illa modo tractaverit, & inter alia ſuadet, ut, *ſimul* ac quid didiciſti, hoc ipſum doceas alios. Præmiſſa ſunt virorum doctorum de hoc tractatu iudicia, ut, *Morhofii*, *Deſſelii*, anonymi, atque *Erpenii*, quorum ultimus a ſtudiis animum abduxiſſet, niſi forte incidiſſet in optimum hunc hodegetam. 2) ERASMI Roterodami Tractatus de ratione ſtudii. 3) Io. Lud. VIVIS de ſtudij puerilis ratione Epiſtolicæ II. diſſertationes. Quæ leguntur initio Tomi I. operum Vivis, Baſileæ A. 1560. editorum, ac poſtea eiusdem Introductioni ad ſapientiam & Satellitio animi, de novo

Lug-

Lugduni Batavorum A. 1644. ſeparatim editis, additæ ſunt, laudanturque a *Morhofio* Polyh. T. I. 366. ac *Neandro* apud Pope-Blount p. 520. 3) Io. CASELII de lingua latina addiſcenda Diſſertatio. 4) Io. STVRMII de litterarum ludis recte aperiendis Liber, isque emendatus & auctus ab ipſo auctore, ſed & eruditorum iudiciis ac teſtimoniis, quæ præmittuntur, ornatus, *Sebizii*, puta, *Morhofii*, *Gerbelii*, *Sapidi*. 5) *Eiusdem* Nobilitas litterata. Qua docet, quid iuveni nobili præcipue diſcendum ſit, ut eruditus fiat, aptusque ad utile miniſterium Principi aut Reipublicæ præſtandum. *Morhof* T. I. 509. 6) Caſp. SCIOPPII de ſcholarum & ſtudiorum ratione, deque prudentiæ & eloquentiæ parandæ modis Conſultationes. 7) Olai BORRICHII Cogitationes de variis linguæ latinæ ætatibus. Auctor *Scioppii* ſententiam de IV. illius linguæ ætatibus, aurea, argentea, ænea & ferrea, examinat, quæque ſubſiſtere non poſſe videntur, notat atque emendat, ipſi autem, Iul. Cæſ. *Scaligerum* & Ger. Io. *Voſſium* ſecuto, in lingua latina intueri placet vivum & ſpirans humanæ vitæ ſimulacrum, eamque diſpeſcere in infantiam, iuventutem, ætatem virilem, ac ſenium, atque ad hunc modum ſcriptoribus latinæ linguæ convenientem aſſignare locum. 8) Paſcaſii Groſippi, i. e. Gaſp. SCIOPPII de rhetoricarum exercitationum generibus, ac præcipue de recta Ciceronis imitatione, deque orationis latinæ vitiis ac virtutibus Diſſertatio. 9) *Eiusdem* Pædia politices, ſive Suppetiæ logicæ, ſcriptoribus politicis latæ, adverſus *ἀπαιδευσίαν* & acerbitatem plebeiorum quorundam iudiciorum, cum notis & animadverſionibus Herman. *Conringii*. Propoſitum Scioppio eſt, oſtendere, immerito politicos quosdam ſcriptores, qui docent malas artes regendarum quarundam rerumpublicarum, interque eas tyrannici quoque regiminis, a cenſoribus non nullis coargui, tanquam illa doceant, quæ docere ſit nefas, vel ſaltem neutiquam conveniant civili Philoſophiæ. *Naudæi* de hoc libro iudicium exſtat in ipſius Bibliographia politica p. 523. huius voluminis. 10) Leonardi ARETINI ad illuſtrem dominam Iſabellam Malateſtam Epiſtola de ſtudiis & litteris. Qua eam ad continuanda & provehenda ſtudia, quibus illa iam inclaruerat, cohortatur, peritiam litterarum cum ſcientia rerum coniungendam eſſe docet, tandemque concludit, religionis & bene vivendi præcepta ſibi præ-

præcipua eſſe, cetera vero omnia, tanquam adminicula quædam, ad iſta, vel adiuvanda vel illuſtranda, referri debere. 11) Gabr. NAVDAEI Bibliographia politica. In qua plerique omnes ad civilem prudentiam ſcriptores, qua recenſentur, qua diiudicantur. Præmittuntur Io. *Argoli* & *Morhofii* de hoc ſcripto iudicia; quibus addi poteſt *Boſius* in Diſſert. de compar. prudentia civili n. 84. (hic Tomo II. Methodor. p. 392) qui Naudæum interdum ſtudio partium, odioque nationis aut religionis quibusdam, ut, Clapmario, Grutero, Fœrſtnero, Scip. Gentili & aliis, iniquiorem eſſe, multos etiam egregios auctores ob easdem cauſſas plane prætерire, indicat. 12) *Eiusdem* Syntagma de ſtudio liberali. In quo 1. diſcendi, & Lyceum Academiamve frequentandi munia præſcribit, & 2. ſtudiorum fructum atque utilitatem ad quævis officia civilis vitæ ſedulo exercenda commonſtrat, ſimulque modum adſignat ſtudiis ipſis legitime utendi, & evitandi ea, unde eruditorum conſuetudo redditur durior atque aſperior, ut adeo homo liberalis effingatur, hoc eſt, ad omnem civilis vitæ cultum & elegantiam compoſitus. 13) Hugonis GROTII Conſilium de ſtudiis bene inſtituendis. Eſt Epiſtola ad Beniam. Huber. Maurerium, quæ etiam exſtat in volumine Epiſtolarum Grotii, Amſtelodami edito A. 1687. atque in eiusdem Operibus. 14) Ger. Io. VOSSII de cognitione ſui Libellus. Hæc omnibus hominibus eſt neceſſaria, & perducit nos ad ſincerum Dei cultum, & proximi amorem. 15) *Eiusdem* de ſtudiorum ratione Opuſcula. Et hæc ſunt (a) Diſſertatio generalis bipartita, 1. Quibus diſciplinis perfecta conſtet eruditio. 2. Quomodo tam variæ diſciplinæ optime addiſcantur. (b) Diſſertatio particularis, 1. de ratione & ordine univerſam legendi hiſtoriam. (c) de ſtudiis inſtituendis. (d) de ratione, qua præiri ad eloquentiam, aliaque ſtudia debeat iuventuti. Quibus additur Fran. IVNII Paræneſis, *miſſa Alberico* de Vere, Comiti oxonienſi. Qua eum pueritiæ tempus extremum principium habentem militarium rudimentorum hortatur, ut fugiat conſortia malorum, impoſtricem aleam, feritatem & immiſericordiam, ſtudeat autem frugalitati & temperantiæ, atque in primis pietati, & conſtanter hoc agat, ut rara, atque in perpaucis occurrens mixtura vetuſtæ nobilitatis, ſpectatæ virtutis, eruditionisque haud vulgaris ipſum pariter illuſtret. 16) Ger. Io. VOSSII

Intro-

Digitized by Google

Introductio in Chronologiam. In qua omne ævum ab orbe condito, uſque ad hoc tempus, in III. partes dividitur, quarum prima a M. C. uſque ad vocationem Abrahami eſt ſpatium annorum 2023. ſecunda a vocatione Abrahami ex Meſopotamia uſque ad Chriſtum natum, annorum 1927. tertia a nativitate Chriſti in hæc uſque tempora; atque hoc ſpatium eſt bipartitum, a Chriſto nato uſque ad Carolum M. (ſunt anni 800.) atque a Carolo M. uſque in præſens tempus. 17) *Eiusdem* de imitatione, cum oratoria, tum præcipue poëtica liber, deque recitatione veterum. In Tomo II. & III. harum Methodorum plures quidem ſequentur auctores, qui de ſtudiis inſtituendis cogitationes ſuas aperuerant; at tamen & alii fuere, qui idem tractarunt argumentum, ut *Schrevelius*, *Richerius*, *Mechovius*, *Mokerus* & *Heidegger.* Huc etiam pertinent Inſtitutiones litteratæ Tomi III. ab Henr. *Strobandio* collecti, Bernh. *Cavallerii* Methodi ad veram eruditionem conſequendam, Aonii *Palearii* Oratio de ratione ſtudiorum ſuorum, eiusdem Grammatico, (Fran. *Sacchini*) Modus utiliter ſtudendi, Rein. *Neuhuſii* Oratio inauguralis de recte informanda iuventute, Epiſtolis eius familiaribus in 12. ſubiuncta, Aug. *Buchneri* Conſilium de recte inſtituendis ſtudiis in Epiſtola CXXIIX. expoſitum, Chriſtoph. *Cellarii* Inſtructio de auctoribus, tam poëticis, quam ſolutæ orationis, in ſcholis publicis & privatis tractandis, quæ legitur Diſſertationum academ. p. 670. 695. & Chriſtiani *Weiſii* Gutachten ſive Iudicium de rebus ſcholaſticis. Ac de auctoribus, qui præcepta παιδαγωγιας tradiderunt, pluribus agit *Morhofius* Polyhiſt. T. I. 362. In Tomo II. 1) Guil. BVDAEI de ſtudio bonarum litterarum recte & commode inſtituendo. Ad Franciſcum I. Regem Galliarum. Cui ita commendat Philologiam, eiusque conſervationem, promotionem ac defenſionem, ut ſingularem ei Maieſtatem inde polliceatur. Præmittuntur etiam Teſtimonia ſcriptorum de Budæo, Paulli *Iovii*, Lud. *Vivis*, *Erasm.*, *Bezæ*, *Humfredi*, *Victorii* & *Barthii.* 2) *Eiusdem* de philologia libri II. Hoſce Henrico Aurelianenſi, Carolo Angoliſmenſi, Regis filiis, inſcribit, de ſtudii huius amplitudine & dignitate multa agit, & inſtituto quaſi cum Rege colloquio illum hortatur, ut hæc ſtudia, Regno ſuo ſplendorem conciliatura, ornanda ſuſcipiat, viros illa profitentes præmiis afficiat, illisque magiſtratum, honores ac ſacer-

dotia tribuat. 3) Thomæ CAMPANELLAE de libris propriis & recta ratione ſtudendi Syntagma. Quo etiam iudicium ſuum promit de quibusdam auctoribus in ſpecie, ut *Ariſtotele*, *Platone*, *Teleſio*, *Plinio* naturalis hiſtoriæ ſcriptore, *Seneca*, *Cicerone*, *Iulio Caſare*, de Poëtis, Oratoribus, Hiſtoricis, Scriptoribus epiſtolarum, Mathematicis, Medicis, Legiſtis, Theologis, & iis, qui varia ſcripſerunt. 4) Ioachimi PASTORII de iuventutis inſtituendæ ratione Diatribe. Scripta ab auctore, non in aucupium famæ, ſed ſpe adiuvandi ſtudia Gymnaſii, in quo docebat, dantiſcani, arbitrans, in hoc quoque argumento, quantumvis vile ac levidenſe videatur, non eſſe indecorum, vel poſcere, vel dare conſilium. 5) *Eiusdem* Epiſtola de eloquentiæ ſtudio recte inſtituendo. Cui ſubiiciuntur Tituli Locorum communium oratoriorum, nec non Tituli epiſtolares ſelecti. 6) *Eiusdem* Palæſtra Nobilium. Eſt conſilium de generoſorum adoleſcentum educatione, in gratiam quorundam illuſtrium Polonorum ſcriptum: eique annectitur eiusdem auctoris Epiſtola ad Io. *Kænerdingium*, ſed in qua nihil rei memorabilis, aut ad eruditionem facientis. 7) Io. Andr. BOSII de prudentia iuxta & eloquentia civili, deque libris & ſcriptoribus ad eam rem maxime aptis Diſſertationes iſagogicæ. Coniunxit ille in hac tractatione prudentiam & eloquentiam civilem, quia (ſunt verba præfatoris) non exiſtimavit, unam harum ab altera divelli aut poſſe, aut debere, ſed coniungendas potius eſſe exemplo politicarum quondam in Græcia urbeque Roma ſcholarum, ac de ſententia ſapientiſſimorum hominum, qui in hac doctrinæ parte primas hodie tenent, ac non capienda magis conſilia, quam pragmatico ſermonis charactere deſcribenda, ornanda, ſuadenda, diſſuadenda didicerunt. Propoſuit autem eas in ſchola privata: & quamvis fortaſſe animus ei non fuerit in lucem mittere, bene tamen illi fecerunt, deque publico præclare meruerunt, qui ad editionem faciendam conſilia contulerunt ſua. Cave autem tibi ab ea prioris Diſſertationis de comparanda prudentia civili publicatione, quam quis inſalutata Boſii vidua, atque irata Minerva ſuſcepit, quippe quæ ita corrupta ac mendis informis eſt, ut nulla pæne periodus integra ſibi conſtaret, nec verba ac ſenſa auctoris bona fide referret. 8) Io. SCHEFFERI de generoſi nobiliſque informatione litteraria Diſſertatio. In gratiam illuſtris viri,

Cl.

Digitized by Google

Cl. Ralambii, Baronis & Senatoris regni Sueciæ, ſcripta, tandemque, ad inſtantiam aliorum, luci publicæ ab auctore permiſſa. 8) Petri Angelii BARGAEI, quo ordine Scriptorum hiſtoriæ romanæ monumenta ſint legenda, Libellus. Præmittuntur iudicia de Bargæo virorum doctorum, Pauli *Manutii*, *Archiepiſcopi cantabrigienſis*, & *Thuani*. In Tomo III. quem alterum continet volumen, 1) Ioach. CAMERARII Præcepta morum ac vitæ, accommodata ætati puerili, ſolutaque oratione & verſibus quoque expoſita. Præmittuntur virorum doctorum de Camerario Iudicia, videlicet Matth. *Irenæi*, *Rudingeri*, *Landſidelii*, *Lipſii*, *Victorii*, *Turnebi*, *Mureti*, *Dreſſeri*, *Iunii*, G. I. *Voſſii*, *Barthii*, *Quenſtedtii*, I. F. *Gronovii*, *Naudæi*, *Geſneri*, *Sandæi*, *Alſtedii*, *Scioppii*, I. C. *Dieterici*, Iac. *Thomaſii*, *Morhofii*, *Waſei* & P. *Freheri*. 2) *Eiusdem* Dialogus de gymnaſiis. 3) *Eiusdem* Ludus VII. ſapientum. 4) *Eiusdem* Expoſitio verſuum *Solonis*. Cui etiam adiunguntur Verſus *Rhiani*, *Mimnermi*, *Tyrtæi*, *Callinoi*. 5) *Eiusdem* Enumeratio docendorum. 6) Io. FVNGERI de puerorum diſciplina & recta inſtitutione Liber. 7) Arn. CLAPMARII Nobilis adoleſcentis triennium, ſeu quo modo ſtudioſus humaniorum litterarum triennio animum iuxta ac ſermonem feliciter excolere poſſit. Eſt Epiſtola ad Volcardum Svingerum, qui a Clapmario conſilium hoc flagitaverat. 8) Chriſtoph. COLERI de ſtudio politico ordinando Epiſtola, ad Stanislaum Zelenium Vitellium de Zelanka. Quam Wittebergæ primus edidit, ſuæque de ſtudio politico commentationi adiecit Bornitius A. 1604. 8. *Conringius* Præfat. in Scioppii Pædiam politices, & Naudæi Bibliographiam politicam, epiſtolam iſthanc elegantem ac nitidam adpellat. 9) Ignatii HANNIELIS ad Io. Witten Epiſtola. Qua principia Sratiſtica, quæ honeſtati contraria ſunt, deteſtatur, unicum autem ad magnitudinem iter agnoſcit Pietatem & Iuſtitiam, deque ſuis laboribus diſſerit, & *Cenſorini* locum, in quo mythici temporis medium, ab Inacho ſcilicet uſque ad Ilii initium omiſſum, expendendum præbet. 10) Aegidii a LANCKEN Epiſtola de educatione nobilium. 11) Ioan. Andr. BOSII Introductio in notitiam ſcriptorum eccleſiaſticorum. Auctior edita Kilonii in 8. cum Oratione de hiſtoria eccleſiaſtica diligentius excolenda. Vide *Struvium* Introd. ad notit. rei liter. 393. & *Crenium* Animadverſ. P. I. 9. 12) Gabr. NAVDAEI

 Biblio-

Bibliographia militaris. Primum edita a G. *Schubarto*, Ienæ 1683. 12. & laudata a Iac. *Olſelio*, hic p. 470. 13) Lucæ Antonii THOMASONI de re militari Tractatus. In quo docet, artem militarem in milite conſiſtere & armis: Imperatorem ſive Capitaneum ſcientia & uſu pollere, nec tantum generalem regionis, in qua bellum geritur, ſed etiam ſpecialem locorum notitiam habere, militesque frequenti exercitatione habiles reddere, & lectioni hiſtoriarum atque librorum, in quibus præcepta militaria dantur, operam impendere debere. 14) Præcepta quædam & exempla ad rem militarem & imperatoriam artem pertinentia, a *Nobili veneto* collecta. 15) An litterarum ſtudia militiam enervent? Negatur. 16) Henr. RANZOVII Methodus apodemica, ſeu peregrinandi, perluſtrandique regiones, urbes & arces ratio. Præmittuntur ei elogia & teſtimonia de hoc auctore virorum eruditorum, Io. *Fungeri*, eius, *qui elogium illius ſcripſit*, & *Bœcleri*. 17) Io. Henr. ALSTEDII Epiſtola ad Ioſuam *Von der Tann* de peregrinatione prudenter inſtituenda. Vbi tria ei commendat, prudentiam, ſcientiam, & eloquentiam. 18) Matthiæ BERNEGGERI Enodatio quæſtionis, An hominibus illuſtribus, & quomodo, peregrinandum. Ita autem eos vult peregrinari, ut ſcopum habeant proficiendi in prudentia, ſcientia, & bonis moribus. 19) Iuſti LIPSII ad Phil. *Lanoyum* Epiſtola de peregrinatione utiliter inſtituenda. Et quomodo? Triplice limite deſignato, prudentiæ, ſcientiæ, morum. Valerius *Andreas* eam vocat elegantiſſimam atque auream, hic p. 585. 20) Georgii RICHTERI Epiſtola ad 3. Patricios noribergenſes, eodem de argumento. Qua eundem iis ſcopum commendat. Atque ita recenſuimus ſcripta, quæ in Crenii Methodorum III. Tomis continentur: & hoc duntaxat addimus, auctorem Cogitationum de Ephemeridibus, Extractis & Scriptis menſtruis, T. I. 355. putare, in eius modi Methodis & Conſiliis 1. regulas eſſe nimis generales. 2. conſilia a Scriptoribus dari ſecundum ipſorum captum & guſtum. Quod nos quidem ſuo loco relinquimus, neque in hanc diſputationem deſcendimus; aliud autem notamus: nempe, Primum horum Tomorum recenſeri in *Actis erud.* A. 1692. 343. & litteratiſſimum Io. *Mollerum* Spicileg. Hypomnem. in Bartholinum de ſcriptis Danor. p. 73. Methodos præſentes vocare aureas. Laudantur etiam, & commendantur hæ Methodi a

Lyn-

Lynckero in Felleri Monum. var. inedit. T. I. 440. Tomo I. 504. in fine ſcribitur: Pathologiam animi paſſionum *Germanum aliquem* haud ita pridem edidiſſe. An forte hic fuerit Henr. *Gutberleth*, edens librum ſuum Herbornæ A. 1615. in 8? In I. & III. Tomum ſcripſit celeberrimus *Grenius* Præfationes, quarum illa propoſitum ſuum exponit, quod erat, diſcentes adiuvare, ut recte ſtudeant; hac ordinem doctrinæ atque Methodum, ut omnis artis ac ſcientiæ animam, commendat, & vocabulum ἑταῖρος, quod *Dionyſius* halicarnaſſ. de Iſocrate uſurpat, non per ſodalem, ſed *amicum* reddendum eſſe docet.

In Tomo I.

Pag. 83. Meliorem Colonienſi de *anno* MDLV. Laur. Vallæ Elegantiar. editionem hactenus non vidi.	De *anno* MDXCV. Quæ eſt illa ipſiſſima.
120. De Eraſmi Paraphraſi in N. T. *optime meritus eſt* Cl. Dn. M. Hilmarus Deichmannus, Hannoveranus.	Ea, quæ A. 1668. prodiit, adeo fuit *turpis & vitioſa*, ut non modo ſingulæ voces paſſim eſſent fœde corruptæ, ſed & integri verſus omiſſi. Aliquamdiu poſtea Bibliopola titulum recudi curavit, quaſi eſſet alia editio: quæ fraus primum ei male ceſſit; ſed paucis poſt annis iterum tentata, neſcio quo errore hominum, effecit, ut in Anglia millia aliquot exemplarium vitioſiſſimæ editionis vendita fuerint. *Clericus* Præf. in VII. Tomum Operum Eraſmi.
146. Plato *Serrani optimus* eſt.	Leonis *Allatii* & Cl. *Fleurii* apud I. A. *Fabricium* Biblioth. græcæ lib. III. 39. iudicio, Serrani interpretatio elegantior eſt, *Ficini fidelior*.
322. Habeo Virgilium cum commentationibus Guellii & Ioſ.	*Anno* MDLXXV. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 214.

Scaligeri, Antverpiæ *anno* MDCLXXV.	
Pag. 522. Hieronymus *Fragetta.*	*Frachetta.*
In Tomo II.	
209. Inter quos recenſetur *Vechettus.*	*Vechiettus.*
219. *Diodato.*	*Deodato.*
267. Alb. Crantzius obiit *anno* 1570.	*Anno* 1517. Melch. *Adamus* in Vitis philoſoph. p. 33.
373. Io. Sleidanus, *non Germanus, ſed Belga.*	Vtique *Germanus*, natus Sleidæ, Vbiorum oppido, civis Ioannis Sturmii. *Idem* 176.
425. Lexicon Geographicum *Io.* Philippi Ferrarii.	*Philippi Ferrarii. Ghilinus* Theatri hominum literat. P. I. 52.
430. Phil. *Cluveri* Introductio in Geographiam.	*Cluverii.*
460. Conringii de Imperio Germanorum Romano nova auctiorque, quam pollicetur, *an unquam prodierit* editio, plane me fugit.	*Prodiit* Helmſtadii anno 1694.
In Tomo III.	
425. Bellarminum *Græcarum litterarum prorſus ἀμύητον rudem fuiſſe.*	Sunt, qui huius *deſiderant probationem.*
467. Opera Franciſci *Tayleri.*	*Taylori.*
522. *Georgii* Richteri Axiomata militaria.	*Gregorii* Richteri.
531. Ioannes Matthæus *Cigogna.*	*Cicogna. Bibliotheca Thuana* P. II. 126.

Ioachimus *Fortius* Ringelbergius, germanice *Sterck*, natus Antverpiæ, puer ex alto in medium flumen decidit, ita ut ſpes vitæ omnis periret. Mox tamen caſu advenere, qui non ſine ſuo periculo iam fere mortuum liberarunt. Circa decimum ſeptimum ætatis annum, relicta Aula Imperatoris *Maximiliani*, latinæ linguæ rudimenta Lovanii didicit, inque ea & græca, ac philoſophiæ partibus tantos fecit progreſſus, ut Lovanii & in pluribus Galliæ urbibus

bibus cum adplauſu poſtea doceret linguam, nec non arithmeticam, aſtronomiam, atque alias partes Matheſeos. Stupendæ fuit diligentiæ cum in ſtudiis ſuis tractandis, tum in erudiendis aliis, ſi vel 12. ſingulis diebus horæ tali informationi impendendæ eſſent, atque ut ſtili elegantioris ſtudioſiſſimus erat, ita, ſi forte in libris ſuis ſpecioſum aliquem vocum contextum, aut verba duo ornata inveniſſet, maiore exſultavit lætitia, quam ſi aureus ipſi fuiſſet oblatus. Scripſit Elegantias, Libellum de conſcribendis verſibus, aliumque de figuris ac vitiis ſermonis, Sphæram, Coſmographiam, Librum de tempore, Librum de homine, & multa alia; operaque eius omnia uno volumine edita ſunt Lugduni apud Gryphium A. 1538. Idem fuit inſignis ſcribendi artifex, nec minus cælatoriæ, quam pictoriæ artis peritiſſimus, &, quod præcipuum, talis homo, cui nihil ad morum integritatem vitæque elegantiam deeſſet; atque ideo maximi & optimi quique viri eius conſuetudinem expetiverunt. Tandem mortuus eſt vir bonus, quem Muſa vetat mori, ex calculo, circa annum Chriſti 1536. M. *Adamus* in Vitis philoſophorum p. 81. & *Ghilinus* P. II. 116.

Io. *Sturmius*, natus Sleidæ in Vbiis, Lovanii tres annos diſcendo, duos docendo conſumſit, ibique cum Rudgero *Reſcio* inſtituit officinam typographicam, & auctores quosdam græcos, Homerum autem primo omnium impreſſit. Inde abiit Lutetiam Pariſiorum: cumque in nobiliſſima illa Galliæ academia aliquot annis operam dediſſet viris doctiſſimis, animumque ad Medicinæ ſtudium appuliſſet, contigit, ut ob virtutem præſtantem, ingenium excellens, doctrinam variam, iudicium grave, linguæ græcæ & latinæ peritiam, in primis vero propter orationis puritatem, & methodi in docendo concinnitatem facilitatemque, ad munus docendi admiſſus ſit una cum *Andernaco* & *Latomo*; ubi linguæ utriusque bonos autores, artesque logicas docuit annis octo. Sed cum Senatus argentoratenſis ſcholam erigere vellet in urbe ſua, aptiorem eius moderatorem non poterant eligere, quam Sturmium. Hunc igitur Eraſmi, Melanchthonis & Buceri conſilio e Gallia evocarunt, nec ſpe ſua fruſtrati ſunt: ita enim ille ei præfuit, & legendo, ſcribendo, commentando, omnis generis litteraria exercitia inſtituendo ornavit & auxit, ut alteræ Athenæ, alteraque Maſſilia diceretur. Nec ceſſavit etiam, donec beneficio inclyti Se-

natus,

natus, & MAXIMILIANI II. Imp. clementia ad culmen Academiæ eveheretur. Ex argentina dimanavit Sturmii virtus, doctrina, integritas, fides, prudentia in omnes orbis chriſtiani partes. Atque ideo ille, quamquam invitus, expeti & adhiberi cœpit, non ſolum ad graviſſima conſilia de eccleſiis & ſcholis, etiam alibi, recte conſtituendis; ſed etiam ad ardua cum primis negotia & deliberationes de regnis rebusque publicis reconciliandis & pacandis. Quin & legationes obivit in Galliam, Angliam, Daniam, Caſtra Proteſtantium, ad Colloquium wormatienſe, atque ad complures alios Principes S. rom. Imperii, in quibus tanta eius præſtantia illuxit, ut ſummi Imperatores, Reges, Electores & Principes amore eius afficerentur, eundemque nobilitate, libertate, aliisque privilegiis honorarent. Neque in ſenectute diſcere ceſſavit: didicit enim tunc hebræam linguam, ut vetus Teſtamentum in fonte ſuo legere atque intelligere poſſet. Multa ſcripſit, tam theologica, decertans etiam cum D. Io. *Pappo*, quam philologica, tandemque orbatus viſu, cumque vires corporis partim ſenio laboribusque, partim febricula exhauſtæ eſſent, naturæ conceſſit, pieque & placide exſpiravit anno 1589. cum ad annum ætatis pervenïſſet primum & octogeſimum. Melch. *Adamus* in Vitis theologor. 342. *Thuanus* lib. 96. p. 313. *Boecler* Orat. p. 191. *Fecht* Supplem. Hiſt. eccl. 176. *Crenius* Animadv. P. I. 34. *Biblioth. Schrader.* P. I. B 7.

Olaus *Borrichius*, natus in Ripenſis Cimbrorum diœceſeos paroecia Borchenſi, Olai *Wormii*, Thomæ *Bartholini* & Sim. *Pauli* in academia hafnienſi diſcipulus, quamvis magnam in medicina & litteris eruditionem ſibi comparaſſet, non recuſavit tamen oblatam functionem ſcholaſticam in regia urbe, ſed iuventutem ſextæ claſſis per quadriennium erudivit. Hoc exacto exteras terras adire ac viſere conſtituit, ſed illuſtriſſimus vir, Ioach. *Gerſtorfius*, primarius Regis Miniſter, voluit, ut filiorum ſuorum annos regeret. Dictum, factum. Et in hac functione quinquennium conſumſit: quo finito Belgium, Angliam, Galliam, Italiam & bonam partem Germaniæ peragravit, in notitiam doctiſſimorum virorum venit, eruditionem ſibi ac prudentiam auxit, & poſt ſex annos, Andegavi honoribus in arte medica doctoralibus auctus, Hafniam rediit, duplicemque profeſſionem, medicam videlicet, & philolo-

lologicam, ad quam ante cœptum iter vocatus fuerat, orſus eſt. Atque in hoc munere ita ſe geſſit per 20. integros annos, ut neque conſcientiæ ſuæ, nec Heri, nec Collegarum, nec civium academicorum teſtimonium formidare neceſſe habuerit; utque expeditius philoſophari poſſet, a coniugio tota vita abſtinuit. Condidit etiam in utraque profeſſione præclara ingenii monumenta, in Medicina quidem Prodromum de ortu & progreſſu chemiæ, & plenum opus de Hermetis, Aegyptiorum & Chemicorum ſapientia, Docimaſticen metallicam, Tractatum de uſu indigenarum plantarum in Medicina, (ſic enim ſentiebat atque diſcipulos docebat ſuos, eſſe in patria tot diverſi generis plantas, ut, ſi exoticis omnibus deſtituerentur, non ideo apud ipſos deficeret vera & conveniens medendi ratio: plurimumque ad lectos ægrorum experiundo diſci) in philologia autem, Parnaſſum in nuce, Iudicium de Lexicis latinis & græcis, Romæ veteris imaginem, Opuſculum de poëtis græcis latinisque, Analecta philologica, Cogitata contra *Voſſium* & *Scioppium*, & Diſſertationes ſeu Orationes, a præſtantiſſimo viro Severino *Lintrupio* A. 1715. in 8. iunctim editas. Geſſit etiam, nec infeliciter, bella litteraria cum Ant. *Deuſingio*, Herm. *Conringio*, Chriſtoph. *Cellario*. Quid multa? Borrichius, ut bene ſcribit clariſſimus *Mollerus* Hypomnem. ad Bartholinum de ſcriptis Danor. p. 353. erat Chemicorum ſui ævi princeps, Medicorum autem, Philoſophorum, Philologorum, Criticorum & Poëtarum eiusdem vix cuiquam ſecundus, ideoque a clementiſſimo Rege unam poſt alteram conſecutus eſt dignitatem: non tantum enim archiater factus eſt Regis, ſed etiam conſiliarius, & ſupremi Tribunalis iuſtitiæ aſſeſſor. Sed quantuscunque erat, ab adverſis, quæ in mortales cadunt, non poterat eſſe immunis: diuturnis enim atque ingentibus calculi veſicæ cruciatibus, poſt exſectionem fruſtra tentatam, ſuccubuit, animamque efflavit A. 1690. ætatis 64. in ipſa etiam morte magnificus, dum facultates ſuas inter cognatos & ſtudioſos pauperesque per ultimam voluntatem ita diſtribuit, ut illis relinqueret 50000. thaleros, hiſce cum *Collegio*, ut vocavit, *mediceo*, cubiculis & conclavibus plurimis, auditorio, horto, laboratorio chemico, bibliotheca inſigni ornato, ſedecimque ſtudioſorum habitationi deſtinato, 26300. Frid. *Roſtgaard* in Vita Borrichii, quæ exſtat inter Vitas ſelectas p. 276. Paul. *Vindingius* Orat. in exceſſu

illius, *Acta erudit.* A. 1694. 32. & A. 1683. 281. *Weiſmann* Lex. lat. linguæ in Præfatione, *Crenius* Exercit. III. de libris ſcriptor. optimis p. 43. C. *Cellarius* in Præfat. Iudicii de Vindiciis L. L. Borrichii, & ipſius libelli p. 1. 17. 34. *Kriegk* Conſtit. rei ſcholaſt. ilfeld. 130. *Bartholinus* de Scriptis Danor. p. 111. & *Moller* Hypomnem. p. 353. quorum ultimus omnia Borrichii memorabilia uberius tradet in Cimbria litterata, quam anxie quidem deſiderat univerſus orbis litteratus.

Leonardus *Aretinus*, ſic dictus, quia natus fuerat Aretii, vero nomine *Brunus*, italice *Bruni*, Immanuelis Chryſoloræ in lingua græca diſcipulus, & linguam illam primus inter Italos ad ſolium evehens, INNOCENTII VII. papæ & quatuor eius ſucceſſorum ab epiſtolis, deinde ſecretarius Reip. florentinæ, philoſophus, hiſtoricus & orator non contemnendus, multa ſcripſit inſigni eruditione plena, interque illa Dialogum de moribus, Librum contra hypocritas, Florentinam hiſtoriam ſui temporis, Hiſtoriam belli punici I. & Hiſtoriam Gothorum, non ſurreptam *Procopio*, ſed ex aliis auctoribus propriisque ſcriptoris obſervationibus locupletatam, multa e græco vertit in latinum, obiitque Florentiæ A. 1444. ætatis 74. relicto unico filio, in cuius nuptias, ſeculi vitio, nimios ſe ſumtus facere, & patrimonium cum matrimonio abſumere oportuiſſe, in epiſtola quadam ad Poggium lamentatur. *Kœnig* 55. *Lexicon univ. hiſtor.* P. I. 456. *Giornale de' Letter. d' Italia* T. IX. 212. *Moller* de homon. 647. *Magirus* 64. *Pope-Blount* 453.

Gabriel *Naudæus*, pariſinus, Medicinæ doctor, qui & bibliothecis præfuit Cardinalium, Io. Franciſci, e Comitibus *Guidiis* a Balneo, Fran. *Barberini*, Iulii *Mazarini*, & CHRISTINAE Suecorum reginæ, ſcripſit Marphorium, ſive diſſertationem contra libellos famoſos, Inſtructionem pro Gallia de Fratribus Roſeæ crucis, Apologiam pro magnis viris, qui magiæ ſunt ſuſpecti, Appendicem ad Hiſtoriam regis LVDOVICI XI. Orationem de antiquitate & dignitate ſcholæ medicæ pariſienſis, Quæſtionem de venenis, an magnum homini ab illis periculum? & alia, atque ex Septentrione, ubi favor Reginæ in odium con-

verſus erat, rediens, patriamque urbem anhelans, ardente febri exſtinctus eſt Abbatisvillæ in Picardia A. 1653. cum vixiſſet annos 52. *Allatius* in Apib. Vrban. p. 114. *Imperialis* Muſei hiſtor. p. 214. *Lexicon univ. hiſtor.* T. III. 11. *Boſius* de comparanda prud. civ. §. 84. *Daumius* Epp. T. I. 144. *Crenius* T. I. Methodor. p. 496. *Acta erud.* A. 1702. p. 225. *Feller* Monum. inedit. 523. *L' esprit de Patin* 188. *Menagiana* T. IV. 411.

Petrus Angelius *Bargæus*, ſic dictus a Barga, Etruriæ caſtello, in quo natus erat, poſt varias per Græciam & Aſiam peregrinationes, Piſis complures annos humaniores litteras profeſſus, ac poſtea Romæ in comitatu Ferdinandi MEDICIS, tunc cardinalis, commoratus, obiit A. 1596. ætatis 78. Præcipue excelluit in arte poëtica: ſed & Cynegetica eius ac Syrias, inter alia felicis ingenii monumenta, commendantur. *Thuanus* lib. CXVII. 770. *Kœnig.* 85.

Io. *Fungerus*, Leovardienſis friſius, puer ingenii fructum Lovanii cepit, poſtque obitas Germaniæ Galliæque academias, ſumtamque Iuris lauream, ſcholæ patriæ rector fuit. Scripſit Symbolorum ethicorum explicationes, Tractatum de conflagratione mundi, Etymologicon trilingue, Proverbiorum farraginem, Sacrorum carminum ſyllogen, IV. libros Meſſiados, atque ex hac vita migravit anno 1612. *Witte* Diarii B b b b b, & *Deſſelius* apud Crenium T. III. harum Methodor. 250. *Kœnig* 323.

Arnoldus *Clapmarius*, bremenſis, iuvenis magno ingenio, atque inſigni ſupra ætatem doctrina, cum litteris ſupra omnium exſpectationem vacaſſet, cum Germaniam, Belgium, Angliam aliasque regiones perluſtraſſet, cum res militares miles ipſe didiciſſet, & iam maturos fructus ſuos oſtenderet, operamque ſuam florentiſſimæ Reip. noribergenſi, politicam in academia altorfina docendo, probaſſet, cum denique eruditionem ſuam egregiis ingenii monumentis teſtatam feciſſet, in ipſo ætatis rerumque ſuarum flore, anno ætatis primo & triceſimo, ſæculi XVII. quarto, exſtinctus, eruditis dolorem, parenti luctum, fratribus æternum ſui deſiderium, ceterisque fragilis conditionis humanæ luculentum reliquit exemplum. *Omeis* Gloriæ acad. altorf. 100. *Morhof* Polyhiſt. T. III. 19. *Struve* Biblioth. philoſoph. 156. *Magirus* 220. *Biblioth. Schrader.* P. II. M. 5.

Chriſtophorus *Coler*, francus, ICtus & philologus, in academia altorfina profeſſor fuit, ſed Muſis noricis mature valedixit, annoque ſæculi XVII. quarto in Auſtria deceſſit, relictis Parergis. *Omeis* l. c. *Kœnig* 202.

Ignatius *Hanniel*, marchicus, ICtus & philologus inſignis, ac profeſſor roſtochienſis, idemque philoſopus ſubtilis, politicus prudentiſſimus, & mathematicus ſolers, floruit in initio ſæculi XVII. *Scioppius* & Scipio *Gentilis*, Tomo III. harum Methodor. 399.

Georgius *Richter*, noribergenſis, *Virdungi*, *Queccii*, *Piccarti*, *Sonneri*, *Dinneri*, Conr. *Rittershuſii* & Scip. *Gentilis* in academia altorfina diſcipulus, exacto Helmſtadii apud Cornelium *Martini* anno uno abiit in Belgium, inde in Angliam, denique in Galliam. Inde iter inſtituit Baſileam, ut honores ibi doctorales impetraret; eosque impetravit ſummo cum honore, ita ut competitores eius, pro quarto loco, quem ei ſors contulerat, primum illi, quia inuſitata eruditione præditus erat, ultro obtulerint ac dederint. Domum reverſus primo advocatum egit, mox autem ab illuſtri Senatu conſiliarius conſtitutus, virtutis ac ſcientiæ ſuæ dotes domi & foris in plurimis legationibus ita explicuit, tamque præclare meritus eſt, ut tandem primarius fieret, & procancellarius academiæ altorfinæ. Sed vix hac dignitate ornatus fuit, cum podagra eum invaderet, eamque poſtea calculi dolores ſequerentur. Sic felicitas non eſt ſine adverſitate, dulcedo non ſine amaritie. Interim ille, non obſtantibus ſævis illis ac ſæpe quotidianis tortoribus, cum Reip. & Academiæ negotia graviſſima ſedulo ac diligenter peragere, tum, quidquid ſupererat temporis, legendis, atque in ſuum & aliorum uſum transferendis bonis auctoribus, inter quos præcipue æſtimabat *Eraſmum*, *Caſſandrum*, *Melanchthonem* & *Grotium*, (unde enatæ ipſi ſunt Orationes, quarum III. Decades exſtant, Digeſta pietatis, Translationes libellorum quorundam *Eraſmi* & Andr. *Sennerti* e latino in germanicum, illius quidem de Præparatione ad mortem & Miſericordia divina; huius vero de Bene vivendi beateque moriendi ratione, impendere, donec tandem perpetuis fere cruciatibus attenuatum ac debilitatum corpus anima, æterna anhelans, deſereret, eoque excederet: quod placide ac ſuaviter, forte eum inviſente Io. Mich. *Dilherro*, quem ſibi moribundo

bundo præſentem antea optaverat, factum anno 1651. nec dum completo anno ætatis ſexageſimo. Chriſtoph. *Arnold* in Vita eius, Epiſtolis eiusdem præfixa, & repetita a *Wittio* in Vitis ICtorum p. 277. ac S. I. *Apinus* in Vitis Procancellariorum univerſitatis altorfinæ p. 20. Multa poſſemus coacervare elogia, a viris eruditis ac piis Richtero data, ſed ſufficiat unum & alterum. *Morhofius* Polyhiſt. T. I. 329. eum appellat virum undequaque doctiſſimum, magnique habitum a Batavis, Gallis & Anglis; & *Gronovius* pater in C. *Arnoldi* Teſtimonio Flaviano p. 204. & omnibus virtutum honorumque ſtipendiis emeritum: venerandum ſenem idemque in colloquio A. 1670. mecum habito, atque in Ammœnitat. meis theolog. p. 767. relato, ſingularem viri eruditionem, incredibilemque erga exteros humanitatem atque beneficentiam ſummis laudibus extulit. Vt adeo aliorum, qui præiudiciis occupati ſunt, & contentionibus delectantur, ſiniſtra iudicia plane non ſint attendenda.

Iac. Philippi TOMASINI Illuſtrium virorum elogia, iconibus exornata. Partes II. Patavii 1630. 1644. Atque inter viros in Parte II. etiam eruditæ feminæ recenſentur, ut, Laura *Cereta*, Angela *Nogarola*, Genevra *Nogarola*, Iſota *Nogarola*, Laura *Nogarola*. Ob hæc ſcripta dignus *Imperiali* in Muſeo p. 227. viſus eſt Tomaſinus, ut elogio luculenti Elogiorum ſcriptoris ornaretur: & *Schurzfleiſchius* Epp. arcan. p. I. 332. fatetur, Elogia eius, multis luminibus diſtincta, ſatis ſibi probari.

CLIII.

Tobiæ MAGIRI Eponymologium criticum, duplo quam olim auctius redditum a Chriſt. Wilh. EYBENIO. Francofurti & Lipſiæ 1687. Quid ergo opus, priores commemorare editiones? Complectitur illud cognomina, deſcriptiones, elogia & cenſuras perſonarum ac rerum, cum veterum, tum recentium, bello aut pace inſignium, ex variis ſcriptoribus collecta. *Hoc, quaſi indice, uti poſſumus,* ſcribit *Morhofius* Polyhiſt. lib. I. 196. *ad quem plura eius generis, quæ ſparſim apud viros doctos legimus, iudicia conferri poſſunt.* De hoc opere vide iterum *Morhofium* p. 55. 263. eique addde *Struvium* Introduct. in notit. rei liter. 385. *Mollerum* de homon. 865. & *Daumium* apud *Fellerum* in Tomo I. Monument. ineditor. p. 624. qui ſe illud ex Barthii libris ineditis copioſe auxiſſe

ſe teſtatur. Caſp. *Sagittarius*, qui A. 1663. & 1664. commilito meus erat in hac academia, iam illo tempore multa ad Magirum collegerat. Neque pauca ſunt, quæ egomet ipſe codici meo adſcripſi. Et Cl. *Fellerus* in libro prædicto p. 395. Specimen dat novi Eponymologii critici, ſive Iudicia varia, aliaque obſervatu digna de claris quibusdam ſcriptoribus ſeculi XVI. & XVII. tam ex libris bonæ notæ, quam ex ſchedis MSStis collecta. Vt vero Eybenianæ additiones a Magiri labore dignoſci poſſent, illis aſteriſci ſunt præfixi. In *Colloquiis menſtruis* ad A. 1689. p. 318. fatentur viri eruditi, reperiri in Additamentis illis res interdum notabiles, in primis eas, quæ Hamelmannum & Hippolitum a Lapide attingunt: clare enim inde patere, doctum & rerum imperialium peritum virum eas agnoſcere auctorem.

Pag. 7. Achilles *Statius* alexandrinus.	*Tatius.* Qui male confunditur cum Achille Statio, luſitano. Io. *Moller* de homon. 413.
35. Io. Althuſii *error eſt peſtilens*, & turbando orbi aptus.	*Acrius nimis de eo cenſuit* Conringius. I. Fr. *Buddeus* Select. iuris nat. & gent. p. 78.
94. *Avicenna*.	*Ebenſina* aut *Abenſina* vocandus. *Crenius* Animadv. philol. P. II. 185. *Rechenberg* Hiſt. eccl. 372. *Sorberiana* 2.
Avicenna *Cordubenſis Hiſpanus*.	*Perſa.* G. M. *Kœnig.* 73. *Perroniana* 32.
136. Traiani Boccalini *ſcriptis* ſæpe fine, ſæpe cum nomine *del Pietro del parragone* adiectum.	Eſt unicum *ſcriptum*, cuius rubrum eſt *Pietra del paragone politico.*
137. Io. Boccatius de *Cetaldo.*	De *Certaldo.*
Sam. *Bocchartus*.	*Bochartus.*
149. *Brouchton.*	*Hugo Brougthon.*
161. H. Conring de O. I. G. *cap.* 24.	*Cap.* 34.
162. Thomas CAIETANVS. vid. *infra* Thomas de Vio.	*Non exſtat.*
168. & 615. Nicephorus *Calliſtus.*	*Calliſti.*
226. Phil. *Cluverus*, geographiæ ſcriptor.	*Cluverius.*

Fran-

Pag.413. *Chriſtoph.* Guillimannus.	*Franciſcus.* Ian. Greg. *Betulius* in Epiſt. p. 70.
439. Hieronymus *Epiſcopus* Stridonenſis.	*Presbyter. Cave* P. I. 153. *Launoius* Epp. p. 798.
471. R. Salomon *Iarchi.*	*Iſacides. Crenius* Animadv. P. V. 186. Rich. *Simon* Crit. V. T. 545.
489. Fran. *Iunius* Lugduno Batavorum ob rerum novarum ſuſpicionem ab Ordinibus Belgii exactus, & Altorfi, ubi defecit, a Noribergenſi Rep. honorifico ſtipendio invitatus.	Iunius confunditur cum *Hugone Donello.* Vide *Partem* III. huius operis p. 51.
510. Conringius de O. I. G. c. 28. *Vbi tamen* (Conringius) cap. 33. *pag.* 210. *aliter eum ſcripſiſſe* dicit,	Cap. 28. *pag.* 171. & *cap.* 33. *pag.* 216.
528. Longinus. -- *Vid. DIONYSIVS.*	*Nihil ibi de hoc.*
564. *Baptiſta* Mantuanus.	*Ioannes Baptiſta* Mantuanus.
587. Io. *Mercerius*, Vticæ in Septimania natus.	*Mercerus.*
680. Poggius *Brandolinus.*	*Bracciolinus. Recanatus* in Vita Poggii p. 3.
702. *Theophr.* Raynaudus.	*Theophilus* Raynaudus. *Alegambe* Biblioth. Scriptor. S. I. 431.
793. Weſſelus, Friſius, etiam *Græciam* diſcendo ac docendo obiit.	*Græcam linguam didicit* quidem; ſed in Græciam abiviſſe, *vix probari poterit. Benthem* de Statu eccleſ. & ſchol. Holland. P. II. 179.

Chriſtianus Wilhelmus *Von Eyben*, Hulderici, ex anteceſſore gieſſenſi & helmſtadienſi illuſtris Aſſeſſoris Cameræ cæſareæ, filius, Eques rhenanus, primum Cellis conſil. aulicus, deinde in aula Gottorpienſi inter ſanctiores Conſiliarios, & Legatus ad Comitia Imperii, nunc primus Miniſter Status apud Reverendiſſ. ac Sereniſſimum Epiſcopum oſnabrugenſem, Ducemque Brunſvicenſem ac Luneburgenſem, nec non Eboracenſem, eo maioris æſtimandus

dus ac celebrandus eſt, quo aptior & promtior eſt ad ſuum cuique tribuendum, ad tuenda Heri iura, ad conſervanda & propaganda litterarum ac ſcientiarum ſtudia, ad fovendos & iuvandos eruditos, atque ad exemplum aliis præbendum, præcipuum decus Nobilium eſſe cultum virtutum, optimarumque artium ac diſciplinarum.

CLIV.

Roberti BELLARMINI de ſcriptoribus eccleſiaſticis Liber. Coloniæ 1684. Impreſſus primum Lutetiæ Pariſiorum A. 1616. obſtetricante *Sirmondo*, deinde ibidem cura *Labbei*: quæ duæ editiones ſunt optimæ, vitioſiſſima autem lugdunenſis A. 1663. Adiuncti ſunt Indices XI. & Chronologia ab orbe condito uſque ad annum Chriſti 1613. Quam tamen in plerisque mancam, atque a ſinceris temporum rationibus alienam eſſe, ipſe *Labbeus* agnoſcit. Sed ipſe liber a Moſe incipit, & ad ſæculum uſque XVI. decurrit. Nec de omnibus, uti auctor in Præfatione fatetur, agit ſcriptoribus, ſed de iis tantum, qui de rebus eccleſiaſticis quoquo modo tractarunt: immo nec de omnibus ſcriptoribus eccleſiaſticis, ſed illis duntaxat, quorum opera adhuc ſuperſunt. Bellarminus quidem hunc librum in ſuos duntaxat uſus conſcripſit, cum theologiam docere deberet; poſtea autem, cum in plurium manus veniſſe intelligeret, ac metuendum ipſi eſſet, ne ſe inconſulto ederetur, in ultima ætate eum recognovit, expolivit, & auxit. Continuationem eius debemus Andreæ *du Sauſſay*, ſicut Supplementa Phil. *Labbeo*, & Caſimiro *Oudino*. Quid? Bellarmini, Labbei & Oudini Supplementum, ut legitur in I. F. *Fellers* Monumentis var. ined. T. I. 378. meditabatur *Tenzelius*; immo illud eſt in MSto, uti refertur in *Germanicor. Actor. eruditor.* T. IV. 306. Atque hic liber Bellarmini ſingularem apud eruditos, etiam Proteſtantes, conſecutus eſt adprobationem, ita ut pro meliori eius ſcripto habeant, quamvis non ſit ſine nævis: obſervant enim eruditi, eminentiſſimum auctorem multa prætermiſiſſe, dubia ac ſuppoſititia ſcripta pro veris & genuinis venditaſſe, dogmata papiſtica paſſim velut aliud agendo interſperſiſſe & propugnaſſe, & linguæ græcæ imperitum fuiſſe. Adi modo & lege, ſi placet, G. *Calixtum* de coniug. clericor. §. 144. Ger. *Titium* Oſtenſ. ſummar. p 83. *Conringiana* p. 59. *Voglerum* Introduct. in notit. ſcriptor. 36. *Boſium* Introduct.

in

in notit. ſcriptor. eccleſ. c. 2. §. 3. (in Tomo III. Methodorum Crenii) p. 422. *Sluterum* Propyl. 106. & *Crenium* Animadverſ. P. IX. 95. nec non Diſſertat. de libris Scriptorum optimis p. 12. Ceterum quoniam hic occurrunt auctores, qui ſub illis nominibus, quibus vulgo appellantur, in præſentis libri Indice non ſtatim poſſunt inveniri, ideo eorum ſyllabum, in meos uſus confectum, cum Lectoribus communicabo, ſperans, eum illis haud ingratum fore: ſimul etiam adnotabo paginas huius libri, in quibus ſinguli poſſunt reperiri. Nimirum *Abbas Vrſpergenſis* eſt Conradus p. 195. *Abulenſis*, Alphonſus Toſtatus. 233. *Antiſiodorenſis* aut potius autiſſiodorenſis, Gulielmus. 197. *Argentinenſis*, Gregorius 222. *Burgenſis*, Paulus de S. Maria. 230. *Caietanus*, Thomas de Vio. 249. *Cameracenſis*, Pet. ab Alliaco. 228. *Capreolus*, Ioannes. 227. *De S. Caro*, Hugo. 199. *Carthuſianus*. Dionyſius. 240. *Cuſanus*, Nicolaus. 239. *Ferrarienſis*, Franciſcus 249. *Halenſis*, Alexander. 199. *Hoſtienſis*, Petrus Tarantaſius. 209. *Ab Ingen*, Marſilius. 226. *Panormitanus*, Nicolaus de Tudeſchis. 233. *Strabo*, Walafridus. 155. *Viterbienſis*, Gothefridus. 192. Sic etiam quidam apud alios certa nomina, aut agnomina gerunt, quæ parem generant difficultatem. Vt *Abbas S. Cyrani*, eſt Petrus *Aurelius*. De quo Clericus P. XIX. de la Biblioth. choiſ. p. 442. *Abbas Vercellenſis*, Thomas Gallus, ſive a S. Victore. De quo Bona Tomo III. operum, in Notitia auctorum (c) *Diſcipulus*, Io. *Herolt*. De quo Dionyſius Werlenſis in Cathol. Ehrenretter P. 226. *Ioannes a Lovanio*, Heſſelius. Apud Sauſſayum p. 41.

Pag. 30. *Tertullianus* in libro adv. Praxeam ſcribit, Canones Apoſtolorum eſſe nobis per manus traditos. *Athanaſius* in Synopſi eos numerat inter agiographa. *Synodus Trullana* c. 2. recipit Canones Apoſtolorum 85. *Ioannes Damaſcenus videtur* eos ponere inter ſacras Scripturas.

Apud Tertullianum nihil de illis. *Nec in Athanaſio* expreſſa illorum fit mentio; notumque eſt, antiquiores nihil Clementis genuinum agnoviſſe præter unicam ad Corinthios Epiſtolam. Trullanæ Synodi *canon conciliationi Bellarmini repugnat*. Damaſceni, audacis hic & impii, *nulla ratio habenda*. Iac. *Vſſerius* Diſſertat. de Epp. SS. Ignatii & Polyc. (apud Coteler.

teler. de Patribus apoſtol. T. II.) p. 196.

P. 33. *Soli* hæretici *Lutherani* & quidam ſcioli, Eraſmus, Valla, & pauci alii opera numerata negant eſſe Dionyſii Areopagitæ.

Etiam *Caietanus*, cardinalis, ſive Thomas de Vio, Guilielmus *Grocinus*, Pet. *Faber*, Georg. *Caſſander*, Coel. *Rhodiginus*, &, teſte *Coco* in Cenſura p. 97. *multi ex Pontificiis*. Guil. *Forbeſius* Conſid. controv. p. 241. & *Crenius* in Not. ad Boſii Introduct. 425. Immo ipſe *Bellarminus* l. 2. de Sacram. confirmat. c. 7. fatetur, non eſſe certum, an hoc opus ſit illius, cuius nomen præfert.

56. S. Pachomius *ſcripſit* Regulam Monachorum, Angelo dictante.

Alii dicunt, eam *aenea tabula inſcriptam Pachomio traditam eſſe ab Angelo*. Sed vereor, ne hæc *gratis dicta* ſint. *Cave* P. I. 112.

71. S. Gregorius, *Epiſcopus nazianzenus*, cognomento Theologus.

Nunquam fuit Epiſcopus nazianzenus, ſed *patris*, epiſcopi nazianzeni, *ſolummodo vices aliquando obiit*. *Cave* 139.

116. Eucherius, *Epiſcopus* lugdunenſis, ſub *Valentiano obiit* circa annum 433. vixit ultra annum Domini 463.

Sub *Valentiniano factus Archiepiſcopus* anno circiter 434. *defunctus anno* 454. *Alter* interfuit Concilio arelatenſi IV. A. 524. & arauſicano II. A. 529. *Moller* de homon. 559.

117. Claudianus Mamertus, *Presbyter* viennenſis. *Anno* 440.

Archiepiſcopus viennenſis. *Anno* 462. *Moller* 551.

122. De Theodoro Presbytero in Raytu. *Anno* 460.

Anno 646. *Du Pin* T. VI. 28. *Olearius* Biblioth. ſcript. eccleſ. T. II. 197. *Cave* H. L. 324.

125. Liber de duabus naturis Chriſti contra Eutycherem *non videtur eſſe Gelaſii Papæ*.

Eius eſt, ſecundum *Richerium* T. I. Hiſt. concil. gener. c. 2. p. 21. *Labbeum* T. I. 342. *Du Pin* T. IV. 26. & *Cavium* 269. Im-

Pag. 126. *Gelaſius Cyzicenus* ſcripſiſſe creditur librum de 2. naturis Chriſti contra Eutychetem.	Immo *Gelaſius Papa*. Vt modo probatum.
128. Andreas *Epiſcopus* Cæſareæ Cappadociæ. *Anno* 500.	*Archiepiſcopus. Simonio* tamen Hiſt. crit. N. T. Part. III. 466. *non tam antiquus* videtur.
130. Ioannes Maxentius ita refellit Neſtorianos, ut *ad Eutychianos declinare videatur*.	*Fidei profeſſio de Chriſto*, quam ille edidit, contrarium probat. Luc. Frid. *Reinhart* Præfat. in Primitivæ eccleſiæ arma victricia)(4.
131. Boëthius occiſus eſt *anno* Domini 521.	*Anno* 524. *Olearius* Biblioth. ſcriptor. eccleſ. P. I. 139.
133. *Primaſius* ſcripſit in Epiſtolas S. Pauli.	Potius *Remigius*, presbyter & monachus autiſſiodorenſis benedictinus, circa annum 900. mortuus. *Moller* de homon. 618.
139. Chronicum Iſidori Hiſpalenſis *decerptum eſt ex libro V. Etymologiarum*.	Niſi potius alius *ex Chronico in Originum libros* tranſtulit. *Voſſius* de Hiſtor. lat. l. 2. c. 25. p. 84.
140. *S. Hildephonſus* ſcripſit tractatum de perpetua virginitate & parturitione B. Mariæ.	*Paſchaſius Ratbertus*. Vide *Colomeſium* p. 441. & *Cavium* 325.
142. S. Germanus in exilio mortuus eſt *anno Domini* 730.	*Anno Domini* 740. *Labbe* T. I. 350.
150. De S. Ludgero. *Anno* 812.	Ille *obiit anno* 809. *Voſſ.* de Hiſt. lat. l. 2. c. 30.
Paſchaſius Ratbertus, *Abbas* Corbeienſis.	*Profeſſor & Prior* corbeienſis.
151. Amalarius Fortunatus, *Epiſcopus* Trevirenſis, *anno* 830.	*Archiepiſcopus* trevirenſis, *obiit* A. 814. *Moller* Iſag. ad Hiſtoriam cimbr. P. II. 42.
152. *Idem ſcripſit* libros IV. de eccleſiaſticis officiis, & librum de ordine Antiphonarii,	*Amalarius metenſis*. Vid. *Olearius* P. I. 39.

Freculphus Lexovienſis ſcripſit libros V. Hiſtoriæ univerſalis, *ab orbe condito* uſque ad annum Domini 600.	*A Chriſto nato. Sluter*, Propyl. 48.
P.154. *Haymonis Epiſcopi halberſtadenſis* exſtant commentaria in Epp. omnes S. Pauli.	Sunt *Remigii antiſſiodorenſis. Moller* de homon 616.
155. Simeon Metaphraſtes *anno* 850. vivebat.	*Sæculo* XIII. aut XIV. *Moller* 516. *Ancillon* T. II. 366.
156. Anaſtaſius bibliothecarius ſcripſit *Vitas* pontificum Romanorum.	*Nihil ei præter Nicolai I. Vitam deberi*, compertum eſt. *Acta erudit.* A. 1719. 426.
158. De Remigio *Antiſiodorenſi*.	*Autiſiodorenſi*, vel *Antiſſiodorenſi. Struvius* Actor. liter. Faſc. I. 99. *Launoius* de Varia Ariſtot. fortuna c. I. p. II. *Labbe* T. II. 282.
Ambroſius *Ansbertus* floruit *anno* 890.	Ambroſius *Ansbertus* floruit *anno* 760. *Crenius* Animadverſ. P. X. 77.
159. Radulphus Flaviacenſis floruit *anno* 910.	*Sæculo* XII. *Kœnig* 675. & *Olearius* T. II. 114.
163. Petrus Damiani *ſcripſit Epiſtolas, Sermones, duas Vitas.*	*Et librum, qui dicitur, Gomorrhianus.* Vide *Acta erudit.* A. 1690. 573.
167. Anſelmi Cantuarienſis *Commentaria in Epiſtolas S. Pauli.*	*Sunt Hervai*, monachi dolenſis. *Moller* de homon 576.
170. Lambertus Schnafnaburgenſis, inſignis & *verax* hiſtoricus.	*Poſterius epitheton ipſi haud adeo competit*, ſi ea, quæ de Gregorio VI. & Henrico IV. Imperatore memorat, conſideres. *Sluterus* Propyl. 51.
173. Sigebertus in ſua Chronologia iniquior fuit Gregorio VII. ob ſtudium erga Imperatorem: qua de cauſa non pauca *mentitus eſt*, & præſertim cum narrat obitum ipſius Gregorii.	*Iſtum loquendi morem* ego ſæpe admiror in viris tam magnis, tam doctis. *Geſſelius* Hiſt. ſac. & eccleſ. P. II. 235.

Et

Neque enim Gregorius VII. reprehenderat Miſſas coniugatorum Presbyterorum, ſed concubinariorum Presbyterorum: *neque* vetuerat, Miſſas eiusmodi concubinariorum *audiri*, quod exiſtimaret, illas non eſſe veras Miſſas, ſed quod iudicaret, concubinarios indignos eſſe, qui Miſſam celebrarent, & qui a fidelibus populis frequentarentur.	Et tamen prohibuit Gregorius, ne Miſſas dicerent presbyteri *coniugati*, easque *audiret* populus. Vide *Aventinum* ad A. C. 772, num 12. & *Geſſelium* l. c. 236.
183. *Hugonis de S. Victore* de Nuptiis carnalibus & ſpiritualibus libri II.	Sunt *Hugonis de Folieto. Moller* de homon. 582.
162. Helmoldus, *Canonicus Burſonienſis.*	*Paſtor Boſovienſis. Moller* Iſag. ad Hiſt. cimbr. P. I. 70.
196. Honorius Auguſtodunenſis claruit *anno Domini* 1220.	*Anno Domini* 1120. *Labbe* T. I. 473.
201. Vincentii Bellovacenſis Hiſtoriale ſpeculum tradit hiſtorias ab initio mundi *uſque ad annum Domini* 1244.	*Vsque ad annum Domini* 1254. *Neu* in Acceſſion. ad Whearum p. 198.
Obiit A. 1256. teſte Antonio ſenenſi, qui *Vaſeum* teſtem adducit.	*Chriſtianum Maſſeum.* Iac. *Thomaſius* de plagio literar. §. 579.
204. Commentaria in Epiſtolas canonicas videntur mihi erudita, & digna ingenio S. *Thomæ Aquinatis.*	Sunt *Thomæ Anglici*, non Angelici. *Moller* de homon. 668.
206. S. Bonaventura Cardinalis creatus *forte in IV. temporibus Decembris anni* 1273.	*Anno* 1274. *Labbe* T. I. 207.
210. Gulielmus Durantes, Epiſcopus *Nimatenſis.*	*Mimatenſis*, ſeu Gabalitanus in Aquitania prima. *Labbe* T. I. 404.
214. Nicephorus *Calliſtus*,	Nicephorus *Calliſti*.

Pag. 216. Franciſcus Mayro, natione *Scotus*.	Natione *Gallus*. *Olearius* T. I. 260.
218. Nicolaus Liranus, *ex iudaiſmo converſus ad fidem chriſtianam*.	*Nemo ante Sixtum Senenſem exſtitit*, qui iudaiſmi eius fecerit mentionem. *Olearius* T. II. 23. & *Saubertus* Palæſtræ theol. philol. p. 29.
220. Ioannes *Andreas*.	Ioannes *Andrea*.
221. Ioannes de *Baccone*.	Ioannes de *Bacone*: etiam Bacondorpius cognominatus. *Olearius* T. I. 371.
234. S. *Antonius*, patria Florentinus.	*Antoninus*. *Labbe* T. I. 91.
236. Ioannes Baſſolius vivebat *anno Domini* 1466.	*Anno Domini* 1322. *Olearius* T. I. 372.
238. Io. Trithemius ſcribit, Matthæum Palmerium de hæreſi convictum & damnatum fuiſſe, ſed *in Chronico ipſius* nullum ego erroris inveni veſtigium.	Trithemius locutus eſt *de Poëmate* Palmerii, non vero de eius Chronico. *Giornale de' Letter. d' Italia*. T. X. 466.
243. *Baptiſta* Platina.	*Bartholomaeus* Platina. *Labbe* T. I. 736.
247. Albertus Kranzius *Bambergenſis*.	*Hamburgenſis*. *Olearius* T. I. 427. Io. *Moller* Iſag. ad hiſt. cimbr. P. I. 95.
248. Io. Trithemii Steganographia *merito prohibita eſt, cum ſit opus plenum perniciosis dogmatibus* ad Magiam pertinentibus.	*Alii benignius interpretantur*, & ab omni labe purgant. Labbe T. I. 614. *Wagenſeil* Exercit. II. 59. Et ipſe *Trithemius* in Præfat. ſatis ſe purgat.
253. Ioannes Cochlæus *Norimbergenſis*.	*Wendelſteinenſis*. *Kœnig* 200.

Andreæ *Du* SAVSSAY Continuatio libri præcedentis Bellarminiani. Coloniæ 1644. Ab A. C. 1500. usque ad annum 1600. In qua tamen non omnes omnino Scriptores eccleſiaſticos recenſet, ſed, ut ipſe quidem in Præfatione ſcribit, præcipuos duntaxat,

Digitized by Google

xat, iis, qui in Proteſtantium numero ſunt, plane omiſſis, atque præteritis. Videantur *Boſius* Introduct. in notit. Scriptor. eccleſ. c. 4. n. 38. & *Sluterus* Propyl. 106.

Pag. 1. Laur. Surius *Commentario ſuo* rerum in orbe geſtarum, ac præſertim Caroli V. Ioanni *Sleidano ſilentium perenniter impoſuit.*	*Mors*, non Surii Commentarius, Sleidano ſilentium impoſuit: Sleidanus enim obiit A. 1556. Surii autem Commentarius editus eſt A. 1567. *Crenius* Animadv. P. XV. 167.
10. *Iacobus* Faber Epiſcopus viennenſis.	*Ioannes* Faber. *Moller* de homon. in Procemio):(8.
14. Io. Cochlæus patria *Norimbergenſis.*	*Wendelſteinenſis. Kœnig* 200.
32. Franciſcus *Victorius* mortalitatem exuit *anno* 1560.	Fran. *Victoria*, ſeu *de Victoria*, mortalitatem exuit *anno* 1546. Nic. *Antonius* Biblioth. ſcript. Hiſpan. T. I. 379. 380.
34. Melch. Canus *impegit circa hiſtoriam eccleſiaſticam*, aliquando fidens minus dignis fide ſcriptoribus; quemadmodum polemici auctores ſubinde iudicaverunt.	Cur? *propter acriorem* de S. Gregorii Papæ Dialogis, Bedæ Hiſtoria Anglorum, aliisque cenſuram. Scripſit etiam *Iudicium de ſecta Ieſuitarum*, quod non omnibus erat ad palatum. *Antonius* T. II. p. 97.
54. Sanctes Pagninus, *anno* 1588.	*Anno* 1541. hoc enim obiit.

Andreas *du Sauſſay*, latine *Sauſſagius*, pariſinus, primum S. R. E. protonotarius, ſacellanus regius, & paſtor ædis SS. Lupi & Aegidii in urbe pariſienſi, deinde Epiſcopus & Comes tullenſis, floruit medio ſæculi XVII. multisque ſcriptis, inter quæ ſunt Notæ in Breviarium pariſienſe, Tractatus de præſcriptione limitis, Miſcellanea, Martyrologium gallicanum, Epiſtola de cauſſa converſionis S. Brunonis, Panopliæ tres, videlicet clericalis, ſacerdotalis & epiſcopalis, de gloria S. *Andreæ*, apoſtoli, Divina doxologia, de bipartito clavo Domini, Statuta ſynodalia diœceſis Tullenſis, de gloria S. *Remigii*, Epitome vitæ Phil. *Nerii*, Officia Sanctorum diverſa, deque myſticis Galliæ ſcriptoribus; ne quid dicam de polemicis contra IACOBVM Regem Angliæ, Pet. *Molinæum*, Ioannem

annem *le Sueur*, & Archiepiſcopum lugdunenſem, deque ineditis, immortalem ſibi famam acquiſivit. Omnium autem operum Catalogus exſtat in fine huius libri.

Io. Chriſtoph. MEELFVHRERI Corona C. Patrum & Doctorum eccleſiæ. Gieſſæ 1670. In quo oſtenduntur eorum natales, educatio, res geſtæ, ſcripta, tam genuina, quam ſuppoſititia, nævi & errores. Nempe e quingentis Bellarmino memoratis elegit centum duntaxat, ſed primarios, iiſque addidit quoſdam, a Cardinale ſilentio præteritos, & in recenſendis eorum nævis atque erroribus veſtigia Centuriatorum ſe legiſſe profitetur. Eſt ſcriptum iuvenile, attamen non contemnendum.

Pag. 2. *Kircherius* in Prodromo ait: Aegyptiaca lingua ſcripta eſſe monumenta profana *Hermetis*.	*Kircherus* de Hermete *triſmegiſto* loquitur, qui non eſt confundendus cum *Herma*. *Moller* de homon. 477.
190. Vigilius, Epiſcopus tridentinus, *fortaſſean eſt ille, quem depoſito Sylverio Papa rom. Beliſarius fecit Papam romanum*.	*Audacior hac eſt coniectura*, *Moller* 637.
216. Nicephorus *Calliſtus*.	Nicephorus *Calliſti*.

Io. Chriſtoph. *Meelführer*, Onoldo-francus, Philoſ. magiſter, S. theol. licentiatus, paſtor primarius & decanus ſvobacenſis in Marchionatu onoldino, diligens & curioſus theologicarum diſputationum inauguralium, quæ poſt tempora reformationis a Proteſtantibus ſcriptæ ſunt, quoniam eas iunctim edere conſtituerat, collector, naturæ debitum ſolvit A. 1708. ætatis 70.

CLV.

Io. Andreæ QVENSTEDTII Dialogus de patriis illuſtrium doctrina & ſcriptis virorum. Wittebergæ 1654. Recuſus A. 1691. Eo recenſentur viri omnium Ordinum ac Facultatum, qui ab initio mundi per univerſum terrarum orbem uſque ad annum reparatæ gratiæ 1600. claruerunt; ſimulque exhibentur plerorumque Doctorum encomia, præcipua ſcripta & ætas, & regionum ac urbium per Europam, Aſiam & Africam deſcriptiones. Si Philippo *Labbe* in Encomio Galeni (apud I. A. *Fabricium* Biblioth. gr. lib.

lib. IV. c. 17. §. 19.) credendum, auctor noſter librum ſuum ex vilibus plerumque recentiorum pannis conſarcinavit, creberrimisque parachroniſmis & hallucinationibus infecit; ſed *Fabricius* in ſubiecta annotatiuncula aſperiorem hanc ait Labbei cenſuram de libro Quenſtedtiano, quem iuvenis compoſuit, non magis detrahere poſſe præclaris eius in Eccleſiam meritis, quam alias ſive Labbei ſive ſociorum eius invectivas in Gerhardum & alios doctores noſtros effuſas. Benignius igitur *Morhofius* iudicat, lib. I. Polyhiſt. c. 18. p. 218. ſcribens, non contemnendum librum eſſe. Sed & hoc addit pro candore & integritate ſua, non ſatis plenum eſſe, nec in recenſendis ſcriptis accuratum. Et *Struvius* Introduct. c. VII. p. 313. fatetur, iam dudum adnotaſſe eruditos, multos nævos, geographicos potiſſimum, in eodem contineri. Quibus etiam Io. *Mollerus* adſtipulatur, in Præfat. in Bartholinum de Scriptis Danorum §. 5. p. 16. obſervans, Quenſtedtium noſtrum hoc in libro VII. tantum Cimbros, VI. Danos, totidemque Suecos Borealibus accenſuiſſe, ac circa hos ipſos aliquoties impegiſſe. Pag. 58. meminit auctor noſter *Catalogi conringiani de viris doctis*: qui forte (ſunt verba *Felleri* in Monumentis ineditis p. 404.) idem eſt cum eo libro, cuius *Morhofius* Polyhiſt. p. m. 22. meminit his verbis: Verſatur & in non nullorum manibus eiusdem liber *ανεκδοτ@* de Scriptoribus; quam tamen extemporalem eius operam crediderim.

Pag. 59. *Guido narbonenſis*, Conſiliarius in Parlamento Delphinatus, poſtea Clemens IV. Papa, ſcripſit plurima ad Ius civile pertinentia.	Sunt Guidonis *Papa*, ICti gallicani. *Moller* de homon. 573.
117. Nicolaus, cognomine Liranus, Liræ, *Brabantiæ* oppido, luci expoſitus eſt.	*Normanniæ* oppido.
175. Chriſtoph. Cornerus in *Academiis* 54. annos cum laude docuit.	In *Academia francofurtana*. An autem totos in hac 54. *annos*, inquiſitione indiget: nam Generalis Marchiæ ſuperintendendens conſtitutus eſt. *Cre-nius* Animadverſ. P. VI. 143.

	Melch. *Adamus* in Vitis theol. 664. & I. C. *Becmann* Notit. Vniverſit. francofurt. 56.
Pag. 196. Andr. Angelus natus eſt *anno* 1600.	*Anno* 1561. Georg. Petr. *Schulz* Differt. epiſtol. II. de claris Marchicis p. 32.
217. *Northuſa* in lucem edidit Ioannem Spangenbergium Herdeſſianum.	*Herdeſſa*, oppidulum Ducatus brunſvicenſis partis Hanoveranæ, unde Herdeſſianus fuit cognominatus. *Leuckfeld* in Vita Io. Spangenbergii)(2.
251. Ericus Olai, *Archiepiſcopus* Vpſalienſis.	*Decanus* upſalienſis. Io. *Moller* ad Schefferi Sueciam liter. 358.
273. *Tarviſium* eſt patria Pontici Virunii.	*Bellunum*. *Giornale* de' Letter. d' Italia T. XXIV. 236.
472. Cl. Galenus fuit μακρόβιος: vixiſſe enim a quibusdam ſcribitur *annos* 140. Et floruit *Troiani* ævo, uſque ad *Antoninum Pium*, *Athenis* & Romæ.	Obiit A. C. 200. *vita* 70. Floruit *M.* Aurelii *Antonini Philoſophi* ævo, uſque ad *Pertinacem*, & *Severum*: *Romæ*, non Athenis. *Labbe* in Encomio Galeni, apud I. A. Fabricium Biblioth. gr. l. 4. c. 17. p. 514. 525.

Io. Andreas *Quenſtedt*, quedlinburgenſis, in ſchola *Io. Prætorii*, in academia Iulia *Feldenii*, *Schraderi*, *Scheurlii* & Georg. *Calixti* diſcipulus, magiſter & adiunctus Ord. philoſoph. in Academia wittebergenſi, ac poſtea in eadem doctor & profeſſor theologiæ, tandemque primarius ac ſenior Collegii ſui, Templi academici præpoſitus, & Conſiſtorii eccleſiaſtici aſſeſſor, vir mitis, manſuetus, & ſubmiſſi pectoris, alienus ab ambitione & avaritia, multa vero humanitate præditus, & tam laborum tolerans, quam pacis amans & concordiæ, plurima edidit ſcripta, inter quæ eminent Liber de ſepultura veterum, Græcorum, Romanorum, Iudæorum & Chriſtianorum, Ethica paſtoralis & inſtructio cathedralis, Antiquitates biblicæ & eccleſiaſticæ & Syſtema theologicum, atque, ut a puero valetudine tenera uſus eſt, & languore ſtomachi afflictus, ita tandem viribus exutus placidiſſime indormivit A. 1688. ætatis 71. Vide *Pippingii* Memorias theologorum p. 229.

Ioannis

Ioannis HALLERVORDII Bibliotheca curioſa. Regiomonti 1676. Sic dicta in gratiam typographi. In qua plurimi rariſſimi, paucis cogniti ſcriptores, interque eos antiquorum Eccleſiæ Doctorum præcipuorum, & claſſicorum auctorum fere omnium ætas, officium, profeſſio, obitus, ſcripta, horumque optimæ ac noviſſimæ editiones indicantur. Atque hic liber debebat quaſi auctarium eſſe diligentiæ *Simleri* & *Friſii* in Geſneri Bibliotheca adhibitæ, eiusque ſecundum Tomum, affectum iam & in ſcriniis ſervatum, auctor promittit in Præfatione; ſed qui, quantum ego ſcio, lucem non adſpexit. Sed auctarium iſthoc, iudice *Struvio* Introduct. p. 28. admodum eſt imperfectum, cum nihil aliud agat, quam ut recentiores potiſſimum ſcriptores recenſeat, horumque tum ſtatum, tum ſcripta indicet.

Pag. 23. Ael. Ariſtidis Orationes græce & latine Tomis III. *editore* Guil. Cantero, *anno* 1608.	*Canterus obiit* A. 1575. Eius autem Ariſtides prodiit Baſileæ *anno* 1566. & Genevæ 1604. I. G. *Krauſe* Animadv. in Bœcleri Bibliogr. crit. p. 840. & *Kœnig* 58.
Ariſtotelis editio Caſauboniana *omnium eſt præſtantiſſima.*	Iſti tamen præfertur iam *Du Valliana*, inprimis ea, quæ anno prodiit 1639. *Struve* Biblioth. philoſoph. p. 13.
69. Erpoldus Lindenbruch *Helmoldum* edidit.	*Tantum V. eius capita.* Io. *Moller* de Helmoldo §. 11.
184. Io. Laurenbergii Antiquarius ab aliis Iano *Guilielmo* Laurenbergio tribuitur.	Non ſunt duo, ſed *unus idemque*, qui in honorem patris agnomen *Gulielmi* aliquot in ſcriptis uſurpavit. *Moller* in Hypomnem. ad Bartholinum de ſcriptis Danorum p. 279.
354. Rembertus *Friſius*, Archiepiſcopus Hamburgenſis.	*Flander. Moller* Iſag. ad Hiſtor. cimbr. P. II. 63.
379. Suidas circa finem *ſeculi V.* clarus. Lexicon eius prodiit cum interpretatione Aemilii Porti *Cretenſis.*	Circa finem *ſeculi* XI. Portus autem, Franciſci cretenſis filius, erat *ferrarienſis. Moller* de homon. 712.

Ioannes *Hallervord*, Regiomonto-pruſſus, philologus, literis conſignavit Spicilegium de Hiſtoricis latinis, citoque mundi ſcenæ ſe ſubduxit A. 1676. cum tantum 31. vixiſſet annos. Atque hinc patet, cur alter Bibliothecæ curioſæ Tomus non ſecutus ſit. *Witte* Diar. biograph. Mmmm.

CLVI.

Gerardi *Von* STOECKEN Thuanus enucleatus. Helmſtadii 1674. Diſtributus eſt in V. Partes, quarum I. viros dignitate, natalium ſplendore aut rebus geſtis illuſtres, II. viros eruditione aut artibus claros, III. viros illaudatos, IV. variarum regionum, urbium, inſularum & gentium deſcriptiones, V. prodigia aliasque res notatu dignas, cum Thuani Vita, ex Commentariorum libris VI. quos ipſe de ſe ſcripſit, ut plurimum collecta, exhibet. Elogia virorum eruditione & doctrina illuſtrium, quæ Hiſtoriæ ſuæ inſeruit Thuanus, ante iſtum Stœckenii laborem excuſa fuerant Francofurti A. 1636. eademque, ſub rubro Elogiorum Thuanæorum, Londini prodierunt A. 1671. Et multum illis, iudice *Morhofio* Polyh. lib. I. 196. tribui debet ob ſingularem huius viri candorem, qui procul ab omni partium ſtudio fuit, & perſpicaciſſimam eius in iudicando ſolertiam. Nec minus Antonius *Teiſſerius* (Teiſſier) publico bono inſervire voluit, Iudicia illa in gallicam linguam convertens, ſuaque additamenta adiiciens: atque hoc opus ad IV. uſque Tomum excrevit, de quo vide *Acta erudiitor.* A. 1716. 513. Notandum quoque *C. B.* qui Monumenta literaria, ſive obitus & elogia doctorum virorum, ex hiſtoria Iac. Aug. *Thuani*, Londini A. 1640. edidit, eſſe, ut *Placcius* de anonymis p. 304. indicat, Clementem *Barckſdalium*.

Gerardus *Von Stœcken*, ortu holſatus, ſed natus *Hafniæ*, nunquam ſe venditavit pro Nobili, Argentinæ iura publice docuit, atque evulgavit Amœnitates hiſtoricas, Diſſertationes de pollicitatione, & Diſputationes de innominatis contractibus, de iure maieſtatico Imperatoris romano-germanici, de poteſtate legislatoria, de iure odioſo, de ſervitutibus rerum, de uſucapione, de ſigillis, de arbitris, de iure Legatorum, mortuus A. 1682.

Mol-

Moller in Inſtructione (im Bericht) de novis libris, T. I. 703. *Witte* Diar. biograph. Ttttt 2.

CLVII.

Io. Frid. MAYERI Bibliotheca biblica. Francofurti & Lipſiæ 1709. Editio altera. Sunt decas Diſſertationum de notitia auctorum pontificiorum, reformatorum, ac lutheranorum, immo & iudæorum, qui in S. ſcripturam commentarios ſcripſerunt. Sed in hoc opuſculo deſideratur ea Pars, quæ Commentatores lutheranos in medium producit: hunc igitur defectum ſupplere ſtuduit Carolus *Arnd* in Continuatione huius Bibliothecæ. Atque *is ipſe* videatur de hoc libello in Procemio ſuæ Continuationis p. 11. & C. S. *Liebe* Epiſt. de Nova bibliotheca bibl. Luther. p. 10.

Pag. 34. I. Henr. Heidegger in Enchiridio bibl. inter Danielis interpretes *prætermiſſo Hieronymo* Apollinarium, Iulium Afrum, aliosque commemoravit.	Hieronymum *non prætermiſit* in *Editione* III. quæ Tiguri prodiit A. 1703.
58. Iſid. Clarius, Ordinis S. Benedicti eccleſiæ *fulginatenſis.*	Eccleſiæ *fulginienſis.*
66. Obiit Fran. Lucas *anno* 1629.	*Anno* 1619.
Autor *la Morale* des Ieſuites.	Autor *de la* Morale des Ieſuites.
90. Fran. Iunius obiit non Altorfii, *ut Thuanus memoria prodidit*, ſed Lugduni Batavorum.	*De obitu non loquitur Thuanus.*
110. Colomeſius in Gallia orientali p. 157. perperam affirmat, Iacobum Cappellum *circa annum* 1633. *obiiſſe.*	Colomeſius ſcribit, Capellum illum *obiiſſe circa annum* 1624. Vnde autem hoc παρόραμα? Nimirum ex antecedentibus, ubi de Aegidio Lochienſi ſcriptum eſt: *Claruit anno* 1633.
156. Io. Simplicii ſeu Sam. *Mareſii* Notæ ad Hug. Grotii Commentarium in 2. Theſſal. 2.	Notæ illæ ſunt Ionæ *Slichtingii. Placcius* de pſeudon. 509.

163. Crenius Animadv. philol. & hiſtor. P. I. *pag* 44. -- & *pag*. 46. | *Pag*. 46. & *pag*. 49.

Caroli ARNDII Bibliotheca B. Mayeri biblica continuata. Roſtochii 1713. Eſt inſtructio iſagogica, eaque hiſtorico-critica de notitia Autorum lutheranorum, eorumque optimorum pariter ac ſeleċtiſſimorum, qui vel generales in omnes, aut certe pleroſque ſacri Codicis libros ſcripſerunt commentarios, vel ſpeciales in ſingulos Bibliorum ſacrorum libros. Cum Præfatione, in qua de ſeleċtiſſimis ſuo in genere Bibliothecarum biblicarum, e Pontificiis, Reformatis, & Lutheranis ſcriptoribus, agitur. Vid. *Narrat. innoc.* A. 1713. 169. & *Liebii* Epiſtolam de Nova biblioth. Lutheran. p. 11. Nec reticendum, auctorem p. 127. promittere Supplementa huius Continuationis.

Carolus *Arnd*, guſtravienſis, Ioſuæ filius, philoſ. magiſter, & linguæ ebrææ, ut & Catecheſeos chriſtianæ profeſſor publicus ducalis in academia roſtochienſi, obiit A. 1721. cum annos ætatis numeraret 48. Eius ſcripta ſunt Fama arndiana refloreſcens, i. e. Vita & Scripta Ioſuæ *Arndii*, cum Præfatione de uſu, abuſu, & ſubſidiis antiquitatis profanæ, Schediaſmata bibliothecæ græcæ difficilioris, Programma de Cicerone, eiusque ſcriptoribus & commentatoribus, Bibliotheca politico heraldica, Bibliotheca aulico-politica, una cum Ioſ. *Arndii* Ioabo Davidis, Tabula grammatica analyſi ebrææ inſerviens, Rudis delineatio Syſtematis ſcientiæ litterariæ hiſtorico-pragmatici, eiusque Apologia, ſive Reſponſio adverſus auctorem recenſionis, quæ reperitur in *Bibliotheca nova* Tomo I, p. 135. Vindiciæ Tractatus Ioſ. *Arndii* de ſuperſtitione adverſus criminationes Chriſt. Henr. *Amthorii*, Defenſio adverſus epiſtolam hyperaſpiſticam Diſputationis Amthorianæ, Oratio inauguralis de digniſſimo ac utiliſſimo ſcientiæ litterariæ in theologia catechetica, & in philologia atque antiquitate hebraica, præſidio ac ſubſidio, Continuatio Bibliothecæ biblicæ Io. Frid. *Mayeri*, Syſtema litterarium hiſtorico-pragmaticum, Diſſertationum philologico-antiquariarum Triga ſingularis, 1) de Cancellariorum & Procancellariorum hodiernorum apud Hebræos non contemnendis veſtigiis, ex certo Chriſti & plerorumque Apoſtolorum exemplo. 2) de apoſtolo Paulo, ordinario academicarum promotionum munere (cancellariatus

riatus aut procancellariatus hodie dicto) doctoris titulo condecorato. 3) de præconiorum promotiones hodiernas antecedentium, concomitantium & conſequentium occaſionalibus apud Hebræos rudimentis. Ne quid dicam de ineditis, atque illis Obſervationibus, quæ inſertæ ſunt Miſcellaneis lipſienſibus Tomo V. p. 12. 227. VI. 212. IIX. 1. & 11. in quarum una ſub larva Chriſtmanni *Orthophili* comparere voluit. Videmus ex hiſce, virum fuiſſe valde induſtrium & polygraphum: quo nomine etiam commendatur a collectoribus *Narrationum innoc.* A. 1713. 169.

Io. Gottfridi OLEARII Bibliotheca Scriptorum eccleſiaſticorum. Ienæ 1711. Curante Io. Gottlieb *Oleario*, cumque præfatione D. Io. Fran. *Buddei*, in qua agit de ſcriptoribus quibusdam eccleſiaſticis, ut, *Caveo*, *Du Pin*, & *Labbeo*, deque vita & ſcriptis auctoris præſentis. Atque hæc Bibliotheca nihil eſt aliud, quam Abacus auctoris noſtri patrologicus, ab eius filio Ioanne Gottlieb ex *Cavei*, *Whartoni*, *Du Pinii* & *Oudini* ſcriptis auctus atque emendatus, ita ut iam Abaco illo carere poſſimus, cum meliorem ac perfectiorem hic poſſideamus. Interim de Abaco ſic iudicarunt viri eruditi, ut *Mollerus* de homon. p. 708. eum vocet libellum elegantem, Collectores *Actorum erudiror.* A. 1711. librum doctiſſimum & utiliſſimum, & *Boſius* Introduct. in notit. Scriptor. eccleſ. c. 3. §. 40. opuſculum, quod harum literarum ſtudioſis poſſit eſſe loco Indicis, e quo uno intuitu cognoſcant, quæ de XVI. ſæculorum ſcriptoribus eccleſiaſticis, & quibus locis ſcripſerint alii pleraque, tum a quibus, quando, & ubi eorum ſcripta prodierint. Quibus adde *Sluterum* Propyl. hiſt. p. 107. *Struvium* Supplem. ad Introduct. 107. *Narrat. innoc.* A. 1711. 219. *Novam biblioth.* T. I. 832. & *Bibliothecarium nulli parti addictum* T. I. 579.

Tomo I. p. 51. Sixtus ſenenſis Andream Cæſarienſem *circa annum* 600. refert.	Sixti Senenſis hæc ſunt verba: *Claruit, ut arbitror, ante annos mille.* Lib. IV. p. 243.
67. Ael. Antonius Nebriſſenſis *Italia* humaniores litteras primus intulit.	*Ex Italia redux* humaniores litteras primus *Hiſpania* intulit. *Ghilinus* T. II. 71. *Voſſius* de hiſt. lat. p. 204.
93. Auguſtinus. Patricius *dictus*,	*Auguſtinus Patricius*, (hoc enim Augu-

Epiſcopus *Potentinus*.	Auguſtini erat cognomen) Epiſcopus *Pientinus*. *Giornale de' Letter.* d' Ital. T. XIIX. 337.
Patricius *alter*, ſenenſis, Franciſci Piccolominæi ſecretarius.	Eſt *idem*, qui antecedens. *Giornale* 341.
113. Baſilius Seleucienſis, cuius opera Claud. Dauſquius edidit, Io. *Chryſoſtomi amicus & contubernalis creditur:* cui tamen aſſerto temporis ratio aliquatenus repugnat.	Ille *diſtinguendus eſt* a Chryſoſtomi amico & contubernali. *Moller* de homon. 429.
140. Bonaventura *Brocardus*.	Bonaventura *Borchardus*.
273. & T. II. 8. Nicephorus *Calliſtus*.	Nicephorus *Calliſti*.
279. Georgius Trapezuntius lucem adſpexit *anno* 1396.	*Anno* 1395. *Giornale* T. XVI. 416.
280. Expiravit *anno* 1486.	Anno 1483. *Giornale* f. 422.
321. Helmoldus Presbyter *Lubecenſis, & Butzovienſis, prope Lubecam, Canonicus*.	Helmoldus presbyter *Eccleſiæ ruralis Boſovienſis, lacui ploenenſi contermina: neutiquam vero canonicus fuit Butzovienſis. Moller* Iſag. in hiſt. cimbr. P. I. 70.
334. Hieronymus *Dalmata*.	*Natus Stridonii, urbe Hiſtriæ*. Vide *Hiſtor.* hanc *biblioth.* P. I. 202.
343. Hippolitus Portuenſis, *Arabs*, Portus Romani ad Oſtia Tiburis Epiſcopus, *Martyr* tandem factus. Marmorea illius *cathedra* in agro Verano effoſſa eſt.	Hippolytus portuenſis *non fuit arabs, nec martyr*. Marmorea illius *ſtatua* in agro Verano effoſſa eſt. *Moller* de homon. 480.
395. Io. Nauclerus, vulgo *Vergebans*.	*Vergebans*.
437. Alia Leonis elogia *congeſſit Thomas Pope Blount* in Cenſura celebrium autorum.	*Ille ne quidem mentionem facit Leonis M.*
488. Inter ſcripta Mich. Pſelli, qui claruit ſæc. XI. eſt *Dialogus de operatione dæmonum*.	Eſt potius *ſenioris Pſelli*, qui nono vixit Sæculo. *Cave* P. I 392.

Ble-

Tomo II. pag. 75. Petrus *Blaſenſis.*	*Bleſenſis.*
P. 83. Petrus de Natalibus *circa annum* 1470. quaſdam *Scripturæ S.* Hiſtorias edidit. Compoſuit quoque Catalogum *Venetorum ſenatorum* & geſtorum eorum.	*Ant. Verla* Petri de Natalibus Hiſtorias *Sanctorum* edidit *anno* 1493. Neque aliud eſt ſcriptum Catalogus *Sanctorum* (non Venetorum Senatorum) & geſtorum eorum. *Giornale de' Letter. d' Ital.* T. XVI. 465. 466.
99. Barth. Platinæ Hiſtoria de Vitis Pontificum Romanorum prodiit *Baſileæ* A. 1479. Scripſit etiam *de tuenda valitudine: de Natura rerum.*	Prodiit *Venetiis* A. 1479. Et liber de tuenda valetudine *idem eſt,* qui de natura rerum. *Giornale* T. XIII. 426. 434.
101. Porchetus *Salvaticus.*	*Salvagus. Ghilinus* vol. I. 201.
122. Rembertus, Flander, *vel potius Friſius.*	Rembertus, *Flander. Moller* Iſag. ad Hiſt. cimbr. P. II. 62.
123. Remigius *Antiſſiodorenſis.*	*Autiſſiodorenſis. Struvius* Actor. literar. Faſc. I. 99. *Launoius* de varia Ariſtot. fortuna p. 11.

Io. Gottfridus *Olearius*, halenſis, Gottfridi, halenſis eccleſiæ antiſtitis, filius, & Ioannis tertii, theologi lipſienſis, frater, quorum gens olim *Kupfermanni* nomen habuit, Lipſiæ *Kromayeri, Geieri, Franckenſteinii*, Iac. *Thomaſii* & I. A. *Boſii*, Argentinæ *Dannhaueri*, utriusque *Schmidii, Scheidii* & *Bœcleri*, Ienæ *Chemnitii*, Io. Ern. *Gerhardi* & Io. *Muſæi* diſcipulus, philoſophiæ magiſter, & primum adiunctus eccleſiæ patriæ, deinde diaconus ædis B. Mariæ virginis, tandemque antiſtes ſeu ſuperintendens arnſtadianus, paſtor primarius, Conſiſtorii adſeſſor, & Gymnaſii inſpector, vir æque de litteris atque eccleſiis optime meritus, ea uſus eſt felicitate, ut ultra ſæculi dimidium publicis muneribus præeſſet, tamque multa ſcripſit, aut ab aliis ſcripta edidit, (inter quæ ſunt Diſputatio de immortalitate animæ, Lutherus Germaniæ modernæ periclitantis Elias, Defenſio honoris contra D. Io. *Schefflerum*, Primitiæ poëticæ, Scrinium antiquarium, Coronis Iudæorum converſorum hiſtorica, Analecta ad Halygraphiam parentis ſui, Colloquium de cometis, *Bretuffii* Chronicon de ſalinis halenſibus, *Glaſſii* Logica

& *Dorſchei* Commentarius in Ieſaiam) ut mirum ſit, ei a laboribus ordinariis tantum ſuperfuiſſe temporis, tandemque oculorum imbecillitate laborans, eorumque uſu tantum non plene privatus, ſtudiis finem impoſuit, atque ad quietem pervenit anno 1711. cum vixiſſet annos 76. *Buddeus* in Præfatione, in qua etiam integer ſcriptorum auctoris noſtri catalogus exhibetur, & *Acta eruditorum* A. 1711. 420. A *Crenio* Differt. I. de furib. librar. §. 119. Olearius noſter vocatur theologus multa probitate inſignis & doctrina.

Io. Gottlieb *Olearius*, prioris filius, philoſ. magiſter, non tantum editione Bibliothecæ ſcriptor. eccleſiaſt. gentis ſuæ decus ad poſteros propagare annifus eſt, ſed & aliis, teſte ac laudatore *Buddeo* in Præfatione, ingenii doctrinæque ſpeciminibus elegantiſſimis orbi erudito innotuit; eaque ſunt Diſputatio de conſiliis, Diſſertationes II. de Iul. Cæſ. *Vanino*, Diſputatio de *Luthero* ex Iuris ſtudioſo theologo, & *Zieglero* ex theologo iureconſulto, aliaque de Petro *Pomponatio*.

Io. Chriſtiani BVSMANNI Collectio de profeſſoribus eloquentiæ doctoribus eccleſiæ celeberrimis priorum IV. poſt C. N. ſæculorum. Helmſtadii 1710. Eſt Epiſtola ad Iuſt. Chriſtoph. *Bœhmerum*, Profeſſorem eloquentiæ, cui collatam profeſſionem theologicam ordinariam gratulatur. Ex Patribus autem, qui fuerint profeſſores eloquentiæ, nominat *Tatianum*, *Miltiadem*, *Cyprianum*, *Malchionem*, *Anatolium*, *Victorinum*, *Arnobium*, *Lactantium*, *Aſterium*, Fab. Marium *Victorinum*, *Gregorios* nyſſenum & nazianzenum, *Apollinarium*, *Amphilochium*, & *Auguſtinum*.

Ioannes Criſtian. *Buſmann*, helmſtadienſis, natus A. 1678. die 27. Aprilis, finitis in academia patria, lipſienſi & ienenſi ſtudiis, & peractis per Germaniam & Hollandiam itineribus, primum eccleſiæ breſimbrocenſi in Comitatu dannebergenſi præfectus, nunc vero eccleſiæ kloetzenſis vicinarumque in Ducatu luneburgico ſuperintendens conſtitutus eſt, tantamque fidem, induſtriam, & vigilantiam adhibet, quantam chriſtianus & ſincerus gregis Domini paſtor adhibere debet. Nec horas ſubciſivas otio perdit, ſed lectioni bonorum librorum, ac meditandis conſcribendisque tractatibus variis, aut edendis peculiaribus concionibus impendit: quales ſunt Chriſtiana temporis & horologii conſideratio, Conſecra-

ſecratio novi altaris & ſuggeſtus; iamque diu hoc agit, ut Hiſtoriam nobiliſſimæ *gentis Grotianæ* editurus ea colligat, quæ ad eam facere ullo modo poſſunt. Cum autem in ſtudioſorum numero adhuc eſſet, Orationem de pruritu innovandi in philoſophicis, & Hiſtoriam cœlicolarum ad L. XII. Cod. de Iud. & Cœlic. (cuius poſterior pars etiam in litteras redacta eſt, ſed in loco quodam hæret, quaſi in carcere) ſcripſit, atque in publicum emiſit.

Io. Henr. *Von* SEELEN Stada literata. Stadæ 1711. Qua doctorum virorum, Stadæ Anno 1711. viventium, vitæ, honores, atque opera edita & inedita exhibentur.

Io. Henricus *Von Seelen*, natus Aſſelæ, (zu Aſſel) uno a Stada lapide, d. 8. Auguſti A. 1688. Mich. *Richey*, *Wernsdorfii*, *Chladenii*, *Klauſingii*, *Vateri*, *Heucheri*, Io. Guil. *Bergeri*, *Wichmanshuſii*, *Wolfii*, *Iani*, & *Thryllitii* diſcipulus, Gymnaſii ſtadenſis tunc civis erat, Stadam cum ſcriberet literatam; ſed talis, qui a rectore ſuo, Michaële *Richey*, clariſſimo & integerrimo viro in Epiſtola ad ipſum ſcripta, & huic Tractatui præfixa, maximopere laudatur: *Habet enim* (ut ille eum affatur) *in te Gymnaſium noſtrum, quem tanquam egregium innocentiæ, modeſtiæ, & incredibilis plane diligentiæ exemplum oſtentare poſſit: adeo ut de antiqua ſua gloria nihil plane detractum iri confidat, quoad non defuturi ſunt, qui tibi haud diſpares, matura ætate, & confirmata rerum ſcientia, verum illud erudita & ad academiam apta iuventutis decus tueantur.* Nunc autem, poſt geſtum Flensburgi & Stadæ conrectoratum, ipſe rectorem agit, & celebre Gymnaſium lubecenſe magno cum honore, nec minore iuventutis ſcholaſticæ commodo, moderatur, nominiſque ſui famam plurimis ſcriptis longe lateque circumtulit & auxit. Et quænam illa? Oratio de præcocibus eruditis, Diſſertatio de ſcriptoribus gentilibus, falſo in Chriſtianorum ordinem relatis, ac ſpeciatim de fruſtra quæſitis in Virgilio rebus divinioribus, Commentatio de ingrato quorundam pſeudolutheranorum erga Lutherum animo, Princeps muſicus, Memorabilium bremenſium Specimen, ſive de feſto lanceæ & clavorum, quibus Chriſti corpus fuit perfoſſum, in Ducatu bremenſi, iuſſu INNOCENTII VI. Pontificis, olim celebrato, Lutherus de ſcholis optime meritus, Commentatio de Io. Chriſt. *Wolfii* vita, ſcriptis, & meritis in Remp. litterariam, Cogitata de

conſervando maxime neceſſario ſtili latini puri & emendati ſtudio, Diſquiſitiones II. de reformatione Lutheri, Schediaſma philologicum de integritate vocis *Επειράσθησαν Hebr.* 11, 37. Inquiſitio in Sam. *Baſnagii* ſententiam de vaticinio Iacobi Gen. 49, 10. Meletema, quo modi moralia tractandi per meditationes uſus non plane ſpernendus aſſeritur, Vindiciæ librorum ſymbolicorum, & in primis Auguſtanæ confeſſionis, contra Godofr. *Arnoldum*, חנוך ſive de inſtitutione iuventutis apud veteres Hebræos ad Prov. 22, 6. Commentatio, Exercitatio de emphatica falſorum & impiorum Doctorum denominatione, qua a Iuda in Epiſtolæ commate 13. *Αστέρες πλανῆται* vocantur, Ecloga archæologica de dea Pace, Programma de incrementis, quæ ſtudium politicum ex reformatione Lutheri cepit, Obſervatio de vere ſacro, Selectorum litterariorum ſpecimina VIII. Diatribe de Medicorum in Scripturam ſacram meritis, Iudicium *Hildebrandinum* de coniugio Lutheri modeſte expenſum, Specimen Annotationum philolog. in Novum teſtamentum ex *Plutarcho* erutarum, Teſtes paſſionis Chriſti, qui chriſtianæ tamen religioni non adhærent, Præfatio, Notæ & Additamenta ad Guil. *Burtoni Λείψανα* veteris linguæ perſicæ, Pietas ex nummis conſularibus lubecenſibus delineata, Diſſertationes II. de improvidentia multorum noſtræ ætatis hominum circa litteras, Schediaſma de pietate Ioſephi erga Mariam, ad Matth. 1, 19. Præfatio & Obſervationes in Grammaticam latinam *Chytræo-Kirchmannianam* Diſſertatio de ſtudio conſervandi religionem per nummos, Specimina hiſtoriæ litterariæ ex nummis illuſtratæ, Memoriæ clarorum virorum, ut, Io. Iac. *Stolterfothii*, Michaëlis *Vermehren*, Chriſtoph. *Wendii*, Gab. *Fitzmanni*, Io. *Braſchii*, Io. Godofr. *Carſtens*, Io. Gottfr. *Borghelii*, Io. *Roddii*, Io. *Reichii*, Io. *Wolteri*, & Pet. Henr. *Tesdorpfii*, Athenarum lubecenſium Partes IV. &, quæ iam ſub prelo ſudat, Hiſtoria Athenæi lubecenſis. Vide *Bibliothecam novam* A. 1718. 522. *Muſeum novum* T. V. 514. *Ludovici* Hiſtor. gymnaſiorum & ſcholarum P. V. 334. *Kleſekeri* Bibliothecam eruditorum præcocium p. 345. & *Nova de rebus eruditis*, paſſim.

CLIIX.

Vitæ tripartitæ Iuriſconſultorum veterum, a Bernar. RVTILIO, Io. BERTRANDO & Guil. GROTIO conſcriptæ.

Halæ

Halæ Magdeburgicæ 1718. Nunc Primum iunctim editæ, in capita & paragraphos diſtinctæ, ſummisque marginalibus perpetuis auctæ, cum Vita Bernhardi ab ipſius filio *Franciſco* ſcripta, & Notis Aeg. *Menagii*, Editoris lugdunenſis, & Thomæ *Reineſii*, cum Laur. *Pignorii* Epiſtola, Iul. Paulum Romæ patriæ adverſus Bertrandum adſerente, cumque Indicibus locupletiſſimis. Luculentam atque emendatam hanc editionem curavit D. Io. Chriſtoph. *Franck*, doctamque ei præmiſit Præfationem de iis, qui diverſis modis vitas ICtorum deſcribendas ſibimet ſumſerunt, iudiciumque de iis fert, & utilia lecturis dat monita critica. Vide *Acta erudit.* A. 1718. 47. & *Actor. eruditor. german.* T. V. 227. *Novam bibliothecam* T. IX. 99. & *Clericum* Biblioth. anci. & mod. T. IX. 218. in quibus iuſtis hoc opus laudibus ornatur: optimeque de publico merebitur clariſſimus editor, ſi, ut in calce Præfationis pollicetur, tam politas ſimilium auctorum rarorum editiones adornare ac producere perrexerit.

Bernardinus *Rutilius*, vicetinus, gratia Card. Nicolai RODVLPHI, cui & hoc ſuum ſcriptum dicavit, florens, ſimilesque commentationes ſcripturus, immaturam Venetiis mortem ſubiit circa annum Chriſti 1537. *Iovius* in Elog. c. 196.

Io. *Bertrandus*, ex illuſtri Comitum toloſanorum familia, Arnoldi *Ferrerii* diſcipulus, primo ſenator ante ætatem, deinde, quamvis alienus eſſet a reip. adminiſtratione, præſes toloſanus, admiranda ubique prudentiæ, integritatis atque amoris pacis & concordiæ ſpecimina edidit, motusque civitatis vehementiſſimos componere ſtuduit, donec tot vigiliis curisque fatigatus dyſenteria laborare cœpit, & octavo morbi die e vita exceſſit anno 1594. ætatis 77. Fran. *Bertrandus* in patris Vita, quæ hic eius Βιοις νομικων præmiſſa eſt, cum notis Frid. Iac. *Leickheri*.

Gulielmus *Grotius*, Hugonis frater, IC. delphenſis, reliquit etiam Enchiridion de principiis Iuris naturalis, & Ius gentium, atque ad plures abiit A. 1662. cum vixiſſet 65. *Witte* Diar. biograph. T. II. 85. & *Moller* de homon. 679.

Io. Chriſtoph. *Franck*, argentoratenſis, V. I. doctor, iamque Halæ magdeburgicæ degens, ac rem litterariam ingenio atque induſtria egregie promovens, doctiſſimas A. 1715. edidit Diſputationes,

tiones, unam de iure adimplementi literarum cambialium honoris cauſſa, Vom recht der acceptation und zahlung der wechſelbrieffe per honore, alteram de induciis ad literas eambiales ſolvendas, earundem termino addi ſolitis, von Diſcretions-tagen.

S. Spyridionis Vita, examinata ab Vrb. Godofr. SIBERO. Lipſiæ 1718. Abſolvitur IV. capitibus, quorum primo Corcyræ nomen ex veris originibus depromitur, & incolarum fata, indoles & mores, chriſtianiſmus a Soſipatro cœptus, & Epiſcopi deſcribuntur, &, num templum a IOVINIANO conditum ſit, inquiritur: ſecundo vita S. Spyridionis in inſula Cypro ante epiſcopatum trimithuntinum conſideratur, monſtraturque, Spyridionem, cuius initia obſcura, Scripturam ſacram imbibiſſe, virtuti deditum fuiſſe, etſi non perfectum, artem medicam didiciſſe & docuiſſe, rei ruſticæ incubuiſſe & greges aluiſſe, nupſiſſe & liberos procreaſſe, Hieroſolymam abiiſſe, & oleum S. crucis attuliſſe: tertio vita eius in epiſcopatu proponitur, atque ita exponitur, eum non confeſſione veritatis, ſed probitate ac ſuavitate morum ad epiſcopatum perveniſſe ſub CONSTANTINO M. ſacram Scripturam ſedulo explicaſſe, ſcholas foviſſe, verborum Scripturæ tenacem fuiſſe, Triphyllium ordinaſſe, traditiones Eccleſiæ ſervaſſe, ſi non nicænæ, ſardicenſi tamen Synodo interfuiſſe, reducemque fati conſcium vitam depoſuiſſe, ac Trimithunti ſepultum: quarto de miraculis S. Spyridioni adſcriptis ſermo eſt, pariterque docetur, ea maximam partem conficta eſſe, *Triphyllium* vitam eius non ſcripſiſſe iambo, interim Spyridionem tanquam mediatorem implorari, & templo coli, oſſa eius ex inſula CPlin, & inde poſt aliquod tempus in inſulam corcyrenſem deportata, nihilque eum unquam adverſus hoſtes feciſſe.

Io. Georg. LEVCKFELDII Hiſtoria *heshuſiana, ſive* hiſtorica deſcriptio vitæ Tilemanni Heshuſii. Quedlinburgi 1716. Addita eſt Genealogica relatio de Oleariis. Vtriusque recenſionem invenies in *Actis erud.* A. 1716. 535.

Guſtavi Georgii ZELTNERI Schediaſma hiſtorico-theologicum de Pauli *Lautenſackii* fatis & placitis. Cum Ioannis *Schvvanhauſeri* ad Lautenſackium Epiſtola de S. cœna & maieſtate Chriſti. Altorphii 1716. Litteræ initiales E. S. M. D. P. P. quæ

in

in fine p. 27. conſpiciuntur, ſignificant Eraſmum *Sonerum*, Med. Doctorem, Profeſſorem Publicum. Et probe diſtinguendus eſt *Paulus Lautenſack*, pro fanatico habitus, a filio cognomini: ille enim pictor erat, hic organoedus noribergenſis.

Io. *Schwanhauſer*, bambergenſis, fuit primum in patria, deinde autem Norimbergæ ad S. Catharinæ verbi divini præco A. 1528.

Gottfr. ARNOLDI Duplex deſcriptio curriculi vitæ, quarum alterius ipſe eſt auctor. Lipſiæ & Gardelebiæ 1716.

Ioan. MOLLERI Diatriba de Helmoldo, eiusque Chronico Slavorum. Lubecæ 1701. Hic igitur differit de Chronici iſtius auctoribus, continuatoribus, atque editionibus, & magnam partem illa, quæ in nondum edito Cimbriæ litteratæ opere ſcripſerat, repetit.

Io. *Moller*, Flensburgi in Holſatia natus A. 1661. d. 27. Februarii, & poſt reditum ex academiis kilonienſi, lipſienſi ac hafnienſi, itineribusque germanico & danico, ſcholæ patriæ ab anno 1685. præceptor, ab A. 1690. conrector, & ab A. 1701. rector, non tantum numeris ſui partes fideliſſime obit, ſed incredibilem variis libris adornandis adhibet diligentiam: cui enim ignotum, quid præſtiterit in emendando & locupletando opere *Placciano*, in Bibliotheca Septentrionis eruditi, in Iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricæ, atque in Schediaſmate de ſcriptoribus homonymis? Ne quid dicam de vaſto opere Hiſtoriæ cimbricæ, quod ſub manibus habet, aliisque promiſſis, quæ legi poſſunt apud *Meelführerum* ad Almeloveenii Biblioth. promiſſ. & latent. p. 66. Quamvis vero & ipſe communem ſcholaſticorum virorum ſortem experiatur, & laborum affatim, lucri autem parum vel nihil experiatur, ſtatione tamen ſua contentus eſt, neque illam deſerere cogitat. Interim magnæ ei divitiæ acceſſerunt, quas ne cum Regum gazis commutare aut vellet, aut deberet: exquiſitis enim & excelſis laudibus paſſim celebratur a viris eruditis, e quibus in præſenti paucos duntaxat nominabo, videlicet auctores *Actor. erudit.* A. 1692. 94. A. 1698. 121. A. 1699. 204. *Morhofium* Polyh. l. 1. c. 18. p. 224. & *Crenium* Exercit. II. de libris ſcriptor. optimis §. 8. p. 18. atque in Addendis ad Partem VI. Animadverſionum: primi namque

que eum vocant doctum cimbrum, qui multa in medium adferat lectu non iniucunda, ſeque in eius libro de homonymis plura, quam titulus promittat, inveniſſe fatentur; ſecundus ea ἀκριβείᾳ, fide, induſtria in Cimbria literata verſantem, ut ceteris in hoc genere ſcriptoribus palmam facile prærepturus ſit; tertius ſcriptorem exactiſſimæ diligentiæ, & vetuſtatis omnis cognitione inſtructiſſimum.

CLIX.

Ariſtippus, philoſophus ſocraticus. Halæ Magdeburgicæ 1719. Vbi agitur de vita, moribus, & dogmatibus Ariſtippi, eum fuiſſe afrum ex urbe Cyrene, & Socraticum dictum a ſchola, quam frequentavit, Socratis, atque ſub hoc præceptore brevi temporis ſpatio tantum profeciſſe, ut IV. principibus diſcipulis annumeraretur. In Sicilia Dionyſii minoris, tyranni, mores non parum leniviſſe, vitamque philoſopho decoram egiſſe; Athenas autem reverſum, docendo clarum fuiſſe, aliiſque prodeſſe ſtuduiſſe. Præcipue vero tractaſſe philoſophiam moralem, & quomodo probe ſancteque vivendum, diſcentibus quovis tempore & loco commonſtraſſe, ita tamen, ut in quibusdam imperfectionis humanæ rationem haberet, & tempore uteretur, donec, quod uno ictu amputari non poterat, iterato, pluriesve repetito poſſet auferri. In cultu corporis eum tenuiſſe modum, qui magis elegantiam oſtenderet, quam luxum: ſubinde etiam pretioſas veſtes induiſſe, & unguento ſe inunxiſſe, ſi locus & perſonæ, cum quibus agebat, id poſtularent. Denique, quamquam nulli ab eo libri ſuperſint, certum tamen eſſe, quod non paucos reliquerit, partim hiſtorici, partim apologetici, partim dogmatici argumenti. Quo vero capacior & melior, nobilioribusque animabus acceptior fuerit Ariſtippus, eo magis ipſum invidiæ & obtrectationis telis expoſitum fuiſſe, quæ tamen ille non conviciis aut vindicta exceperit, ſed forti animo vel toleraverit, vel gravibus monitis & argutis ſententiis repulerit. Et huic narrationi Annotationes adiunguntur tam verboſæ, quam neceſſariæ. De auctore autem quid aurem vellicas? Eſt ille Fridericus MENZIVS, ficut proditur in Catalogo librorum Novi bibliopolii halenſis, Polyc. *Lyſeri* Hiſtoriæ poëtarum medii ævi ſubiuncto.

Fride-

Digitized by Google

Fridericus *Menzius*, philoſophiæ & optimarum artium magiſter, ſatis hoc ſcripto oſtendit, ſeſe in philoſophia, hiſtoria, antiquitatibus & eloquentia profectus feciſſe haud poenitendos.

Guidi PANCIROLI de claris legum interpretibus Libri IV. Lipſiæ 1721. Acceſſere 1) Io. FICHARDI Vitæ recentiorum ICtorum, ab Irnerio uſque ad *Zaſium*: ac prius editæ Patavii A. 1565. 2) Marci MANTVAE Epitome virorum illuſtrium. Legerat Mantua antiquos Gloſſatores, & perquiſierat grandia illa veterum Iuris interpretum volumina, atque ex illis excerpſit, quæ in hunc tranſtulit libellum. Hinc & rudi atque inæquali ſtilo opuſculum hoc eſt conditum, & plerumque enarratione iudiciorum & cenſurarum de ICtis latarum, quibus tamen raro fidendum, abſolvitur. 3) Io. Bapt. *de* GAZALVPIS Hiſtoria interpretum & gloſſatorum Iuris. 4) Catelliani COTTAE Recenſio brevis inſignium Iuris interpretum & Doctorum. Excerpta ex præſtantiſſimi *ICti* Memoraliis, quæ Lugduni apud Antonium de Harſy A. 1573. poſt varias editiones prodierunt. 5) Matth. GRIBALDI Mophæ Catalogus interpretum Iuris civilis: in quo de ſingulis, quæ memorabilia ſunt, diſtichis complectitur. Et hæc iudicia creduntur acuta eſſe. 6) Alberici GENTILIS de Iuris interpretibus Dialogi VI. Quorum primo adſtruere vult, legum ſtudioſum maiorem ſibi polliceri poſſe utilitatem ex Gloſſatorum lectione, quam recentiorum Scriptorum, qui Alciati principia tenent: ſecundo docet, bonum ICtum latinæ linguæ exquiſitiori cognitione carere poſſe: tertio oſtendit, græcæ literaturæ peritiam in interprete conſultore iuris non requiri: quarto, dialectices uſum in iuriſprudentia magnum non eſſe: quinto, hiſtoriam ICto neque neceſſariam, neque utilem eſſe: ſexto generaliorem quandam ſupra memoratorum ICtorum facit collationem, & in primis de arte critica in legum interpretatione adhibenda agit. Septenarium horum librorum, quorum non nulli valde rari erant, curæ diligentiæque clariſſimi D. Chriſtiani Godofredi *Hoffmanni* debemus, eique tanto maiores agendæ ſunt gratiæ, quanto nitidiorem reddidit editionem, quantoque doctiore eam ornavit Præfatione: ex hac enim diſces, quid ſit Iuriſprudentia media, quid noviſſima, quæ iudicia ferenda de libris huius operis, (hæc autem

nos iam ſupra excerpſimus) & quinam veſtigiis præſentium auctorum inſiſtentes de claris ſcripſerint Iureconſultis.

Ioannes *Fichardus*, Francofurti ad Mœnum natus, *Zaſii* diſcipulus, I. V. doctor, ac primum advocatus & procurator apud Cameram imperialem, quæ Spiræ erat, deinde advocatus & ſyndicus Reip. patriæ, ab eaque ad Aulam ſeu Comitatum CAROLI V. Cæſaris, qui tum Aſtæ in Liguribus morabatur, miſſus, trimeſtri ſpatio res ibi ſuas peregit, poſtque ea integrum annum Patavii reſidens non ſibi duxit dedecori auditoria ICtorum frequentare, ac docentes audire Marianum *Socinum*, Io. Ant. *Rubeum*, & Mar. *Mantuam*. Domum rediens, duplicato ſtipendio ſervire perrexit in munere ſuo, donec obiret A. 1581. annum agens ſeptuageſimum. *Panciroluſ* de claris leg. interpret. l. 2. c. 184.

Marcus *Mantua Bonavidius*, patavinus, Io. Petri *Bonavidii*, medici peritiſſimi, qui Mantua Patavium ſedem tranſtulit, indeque Mantuæ cognomentum tulit, filius, *Iaſonis*, *Ruini* & *Butigellæ* diſcipulus, in Lyceo patrio Ius pontificium, ac deinde etiam civile expoſuit, tantumque ſibi auctoritatis comparavit, ut nemo ſine eo legum tirocinium deponeret, &, quod nulli ICto patavino antea contigerat, 800. florenorum ſtipendium obtineret. Vir erat multæ lectionis, in extemporanea latine loquendi facultate promtus, in humanioribus ſtudiis non mediocriter verſatus, nec tantum docendo, ſed in capitalibus etiam iudiciis reos defendendo famam adeptus, moribus præclarus, inſigni præditus humanitate, in iudicando de aliis benignus, ab invidia alienus, & comis erga æmulos. Erat etiam amator antiquitatum, atque ideo ſtatuarum & numiſmatum magnam ſibi copiam comparavit, iisque bibliothecam exornavit ſuam. Sed & proſpera uſus eſt valetudine, ſi dolores arthriticos, bis eum affligentes, excipias, parumque ab ætate unius ſæculi abfuit: deceſſit enim A. 1582. ætatis 93. *Pancirolus* l. 2. c. 168.

Io. Baptiſta *de Gazalupis*, ſive, ut alii ſcribunt, *Caccialupus*, a S. Severino, Campaniæ oppido, Io. *Petrucii* & Angeli *Perilii* auditor in academia ſenenſi, impetratis Doctoris inſignibus, iuris civilis lectiones magna nominis claritate habuit, variosque edidit libellos, de Poëtis, Transactionibus & Ludo, Advocato & Debitore

re de fuga ſuſpecto, & Modo ſtudendi. Nec minus, in Curia romana primus advocatus factus conſiſtorialis, alia conſcripſit, nimirum de Eccleſiarum unionibus, Penſionibus, & Feudi cognitione, floruitque initio ſæculi XV. *Kœnig* 148. *Panciroslus* l. 2. c. 115.

Catellianus *Cotta*, mediolanenſis, *Alciati* diſcipulus, a quo etiam inſigni elogio, quod in Præfatione huius operis Hoffmanniana legitur, ornatus fuit, ſcripſit Memorabilia, ſive, ut ipſe effert, Memoralia, eoque floruit ſæculo, quo ipſius doctor ſupra dictus.

Matthæus *Gribaldus* Mopha, cherianus, quia natus in loco Pedemontii, qui vocatur *Quiers*, pagi Forgiarum Dominus, ICtus patavinus, (non enim obſtat, eum ab aliis vocari ICtum ticinenſem: quia in pluribus Italiæ gymnaſiis, adeoque & in ticinenſi, antea docuit) ſcripſit Methodum & rationem ſtudendi in Iure civili, Commentarios in Pandectas Iuris, Commentarium in legem de rerum miſtura & de iure fiſci, Hiſtoriam Fran. *Spira*, & Commentarios in aliquot præcipuos Digeſti infortiati novi, & Codicis Iuſtinianei titulos atque leges; deſertaque, ob opiniones, vulgari de S. Trinitate doctrinæ adverſas, ſtatione ſua, abiit ad Genevenſes, & mox ad Bernates; ſed tam hic, quam illic vitæ periculum incurriſſet, niſi fuga ſibimet conſuluiſſet: mortuusque tandem eſt ante annum 1566. Conſignavit etiam Confeſſionem ſuam, in qua ait, ſe tres æternos Spiritus, non confuſos tamen, ſed gradu numeroque diſtinctos pia mente complecti; Deumque filium & Spiritum ſanctum uni ſummo Deo & Patri, rerum omnium auctori, ita ſubordinare, ut omnis ratio deitatis & Filii & Spiritus ſancti, aliorumque cœleſtium Spirituum, ad unum illum ſolum Deum Patrem origine carentem, & a ſe ipſo Deum, tanquam ad unicum fontem, & caput omnis eſſentiæ & divinitatis, merito referatur. *Simlerus* Epit. Biblioth. Geſner. 591. *Clericus* Biblioth. anci. & mod. T. XIV. 424. *Lexicon univ. hiſtor.* P. II. 298. *Tomaſinus* Gymnaſii patavini p. 257. *Sandius* Biblioth. Antitrinit. 17. *Calvinus* Epiſt. CCXXXIIX. p. 440.

Chriſtianus Godofredus *Hoffmann*, Laubana-luſatus, natus d. 8. Novembris A. 1692. ardore diſcendi a puero flagrans, ſeque ipſum ad ſtudia litterarum excitans, ac ſtilum ſua ſponte & ſine

alterius inſtinctu frequenter exercens, ut ante annum ætatis 14. iuſtam latinæ linguæ notitiam acquirere poſſet, miram Dei providentiam, quam puer variis modis expertus eſt, gratus agnoſcit. Sicut domi profecit ſub informatione Chriſtiani Iacobi *Guntheri*, ex turca facti chriſtiani, & patris ſui Godofredi, præclari illius rectoris ſcholæ zittavienſis, ita Lipſiæ doctoribus uſus eſt *Titio*, *Barthio* & *Franckenſteinio*, eosque profectus fecit, ut ipſe ex magno ſtudioſorum numero eligeretur, cuius informationi duo concrederentur Principes iuventutis ruſſi ex celſiſſima Domo Galliczyn, ac poſtea a potentiſſimo Rege Poloniæ, eoque pariter Electore Saxoniæ, idem vocaretur ad profeſſionem publicam de Verborum ſignificatione & Regulis iuris. Lipſia enim altera eius debebat eſſe patria, ut, quæ eum creaverat philoſophiæ magiſtrum, & utriusque iuris doctorem, eadem ipſius doctrina frueretur pariter, atque ornaretur. Scripta eius ſunt ſequentia: Diſſertatio de eruditorum ſenio, Ingenuæ & mediæ cogitationes de Ephemeridibus, Extractis & Scriptis menſtruis, Specimen coniecturarum politicarum de origine & natura legum germanicarum privatarum antiquarum, earumque ad ſtatum præſentem Provinciarum Germaniæ, in primis ad terras Proteſtantium habitu, Diſſertatio de fatis ſtudii politici in academiis, Præfatio in Chriſtiani *Weiſii* Epiſtolas ſelectiores, Diſſertatio inauguralis de origine & conditione procuratorum, Verſio Deſcriptionis Imperii & ſtatus ruſſici ex italico in germanicum, Hiſtoria Iuris romani-Iuſtinianei, Programma inaugurale de Iuris naturalis vinculo cum Iure civili poſitivo, Hiſtoria Iuris romano-Iuſtinianei chronologica, Collatio Iuris naturalis, civilis, canonici & germanici circa doctrinam de emphyteuſi, in primis quod attinet ad bona ſalinaria liberæ civitatis imperialis Halæ Suevorum, Diſſertatio de interpretatione legum Imperii romano-germanici publicarum, Præfatio in Godofredi *Hoffmanni* Parva ſcripta germanica, Præfatio in Theodoſii *Gibellini* Cæſareopapiam romanam, Delineatio rationis & methodi iura publica & privata tractandi, Series rerum per Germaniam geſtarum a Transactione paſſavienſi ad annum 1720. Ne dicam de aliis hiſtoricis & politicis tractatibus, qui ab ipſo ſine expreſſione nominis ſui editi ſunt. Multum quoque ipſe contulit ad Opus rerum luſaticarum, idque, cum ſub prelo eſſet, correxit, ac Præfatione & Introductio-

ductione ornavit. Vide *Vitam* Godofr. Hoffmanni p. 86. Prioribus ſcriptis acceſſerunt etiam Programma de inveſtigandis verborum in Iure ſignificationibus, & Diſſertationes de ærariis Societatum, de verborum in Iure germanico ac ſaxonico ſignificationibus, deque fundamento controverſias de præcedentia inter liberas Gentes decidendi: atque nunc laborem operamque impendit conſcribendo Commentario ad Inſtrumentum pacis weſtphalicæ.

CLX.

Excerpta ex Diario Io. BVRCHARDI de Vita Alexandri VI. Papæ. Hanoveræ 1696. Editor G. G. L. eſt Godofredus Guilielmus *Leibnitius*, qui & Præfationem addidit. Multa hic memorabilia continentur, nimirum, de expeditione CAROLI IIX. Galliæ Regis in Italiam, de commercio inter Papam & Turcam, de Hier. *Savonarola*, de Actis inter Legatos circa honores & præcedentiam, e. g. Hungarum prælatum eſſe Scoto, Monſerratenſem Senenſi, Electores Duci Burgundiæ, Regem Romanum Hiſpano & Gallo.

Io. *Burchardus*, argentinenſis, Capellæ Alexandri VI. Papæ clericus Cærimoniarum magiſter, & eccleſiæ Horianæ a Iulio II. Papa præfectus, floruit ſæculo XV. & XVI. ſcripſitque Librum cærimoniarum, & Ordinem miſſæ pro informatione venerabilium ſacerdotum. *Simlerus* Epit. Biblioth. Geſner. 414.

Io. Chriſtoph. COLERI Gratulatio ad D. Gottlieb. *Wernsdorfium*, qua ſimul eius Vita deſcribitur. Vitembergæ 1719. Scriptum elegans & commendabile, cum ob laudatum theologum, tum ob laudandum auctorem.

Io. Chriſtoph. *Coler*, Philoſ. magiſter, Ordinisque philoſophici vitembergenſis aſſeſſor, edidit Hiſtoriam Gothofredi *Arnoldi*, adverſarium nactus *Anonymum Chriſtianum*, (vide *Narrat. innoc.* A. 1719. 840.) Vitasque pollicetur Profeſſorum inclytæ univerſitatis vitembergenſis, ex fide digniſſimis monimentis ſubſidiisque recentiſſimis explicatas. Quæ ut ab eruditis magno cum deſiderio exſpectantur, ita famam auctoris inter claros Coleros non tantum conſervabunt, ſed etiam augebunt.

Io. Conr. FEVERLINI Ehrengedæchtnis, Monumentum,

quo continentur 1) Vita ab *ipſomet* deſcripta. 2) Catalogus ſcriptorum eius publicorum. 3) Epicedia quædam, in honorem eius condita. De auctore diximus P. IV. 419.

Io. Georg. IVNCKERI Memoria renatæ veteris in Vngaria Vaiziorum nobilitatis, in natali 71. Iac. *Waizii* celebrata. Ienæ 1713.

Io. Georgius *Iuncker*, Baldricohuſanus, eſt Civitatis patriæ conſul, cauſſarum patronus, atque in rerum ſacrarum ibidem Iudicio aſſeſſor.

Io. Georg. LEVCKFELDII Hiſtoriſche nachricht, Hiſtorica narratio de vita & ſcriptis Io. *Spangenbergii*, præmiſſa eius Poſtillæ domeſticæ & quæſtionariæ ſuper Epiſtolas & Euangelia. 1720.

EIVSDEM Hiſtoria, ſeu deſcriptio vitæ Herm. *Hamelmanni.* Quedlinburgi 1720. Ex multis raris ſcriptis collecta, pluribusque litteris anecdotis confirmata, atque ad illuſtrationem hiſtoriæ eccleſiaſticæ illius temporis, & controverſiarum ſæculo XVI. agitatarum, in publicam ſcenam producta. De Hamelmanno autem actum a nobis eſt in P. III. 42.

Chriſtoph. Sam. MARTINI Schediaſma de Coleris doctrina ſcriptisque claris. Vitembergæ 1718. Præmiſſa ſunt Analecta potiorum huius generis de eruditis homonymis Scriptorum, quæ apud Io. *Mollerum* & Burcard. Gotthelf. *Struvium* non exſtant.

Chriſtophorus Samuel *Martini*, dresdenſis, philoſoph. & optimarum artium magiſter, de Colerorum gente hoc modo bene ac præclare meritus eſt.

Henr. Auguſti SCHVMACHERI Memoriæ Antiſtitum ſacrorum grimenſium. Grimæ 1720. A M. Ioanne *Schreinero* usque ad D. Abrah. *Pilzium*. Et hiſce gratulatur auctor M. Chriſt. *Feuſtelio*, novo antiſtiti grimenſi. Cum laude recenſentur in *Novis erudit. lipſienſ.* A. 1720. n. LIIX. d. 22. Iulii.

Henricus Auguſtus *Schumacher*, naſcendi auſpicia habuit Corbachii in Waldecciorum oppido A. 1683. VI. Idus Novembr. atque in eiusmodi præceptores ſcholæ patriæ incidit, Io. videlicet

Cur-

Curtium, Io. *Althuſium*, Chriſtoph. *Stiegenhauſium*, & Ioſ. *Strubenium* rectorem, quorum ipſum plane non pœnitet. Conquiſita ſub hiſce ea litterarum notitia, quæ ad altiorem ſcholam adeundam neceſſaria eſt, elegit florentiſſimam litterarum ſedem Vitembergam, ibique in humanioribus & philoſophicis ſedulo audivit *Schurzfleiſchios* fratres, (quorum ſenior tanto civem favore complexus eſt, ut in domum ſuam reciperet, optimis monitis inſtrueret, & aditum ei ad bibliothecam patefaceret) *Wichmanshuſium*, *Röhrenſeeum*, *Schœningium*, *Daſchytzkium*, *Rœſchelium*, & *Schroeerum*; in theologicis *Deutſchmannum*, *Hannekenium*, *Lœſcherum* ſeniorem, *Neumannum*, ac poſtea *Wernsdorfium* & Val. Ern. *Lœſcherum*. Ita multivaria eruditione imbuto haud difficile fuit lauream impetrare philoſophicam, atque illuſtris viri Io. Frid. *Reinhardi* filiis optimæ ſpei, quos in pietatis via & optimarum artium ſtudiis erudiret, Dresdæ præfici. Et hæc res adeo dextre feliciterque proceſſit, ut diſcipuli, ex prudentiſſimi patris ſententia, non minus in græca, quam latina lingua docendi, quotidieque exercendi, viri fierent in Rep. conſpicui, & ipſe A. 1710. ad conrectoris grimenſis provinciam vocaretur: quam ille non modo non recuſavit, ſed lubens lætusque acceptavit, certus, laborem ſcholaſticum, etiamſi multis deſpicabilis videatur, talem eſſe, quo quis Deo, reip. & eccleſiæ quam optime poſſit ſervire; ideoque etiam nunc ſua ſorte contentus eſt, magis cupiens bene mereri, quam gloriæ & divitiarum vanitates ſectari: quamquam quid amplius deſideret prudens ac fidelis moderator ſcholæ, qui, *Eraſmo* in Epiſtola ad Io. *Sapidum* p. 1581. iudice, proximus Regi eſt? Præterea, quantum per publicos & privatos muneris ſui labores licet, in volvendis libris nullum tempus, nedum horam, omittit, ſubinde etiam ſcripta quædam publicæ luci exponit: qualia ſunt Conſpectus Waldecciæ litteratæ, Hiſtoria vitæ Ad. *Siberi*, & Epiſtola de Io. Frid. *Reinhardi* Vita. Vide *Nova erudit. lipſienſ.* A. 1719. n. XXXVII. d. 10. Maii & A. 1722. n. XIIX. d. 2. Martii.

Vrb. Godofr. SIBERI de Alemannis Commentatio. Lipſiæ 1710. In primis iis, quos Magdeburgum ob nobilitatem gentis a VII. retro ſeculis ad ſe recepit, atque inde per omnem Europam in publicum orbis commodum diffudit. Adduntur 1) Chriſtiani Frid. *Barneri* Oratio panegyrica ad excellentiſſimum Io. Aegid.

Ale-

Digitized by Google

Alemannum, ex legatione ad LEOPOLDVM M. reverſum. 2) Ioannis *Schulzii* Epigraphe gratulatoria, qua illum Budiſſinam urbem intrantem excepit.

EIVSDEM Programma de Teleſphori, papæ romani, vita. Lipſiæ 1714. In quo id agitur, ut illa ab erroribus purgetur.

EIVSDEM Diſſertatiuncula de Sanctis columnaribus. Lipſiæ 1714. Tales ſtylitæ erant *Theodulus*, *Eparchus*, *Coſmas*, *Sabas*, *Symeones* III. *Nicander*, *Daniel*, *Ioannes*, *Iulianus*, *Alypius*, & *Lucas*.

Io. Chriſtoph. COLERI, & Henr. Andr. TOEPFERI Diſputatio de vita ac meritis Bohuslai *Haſſenſteinii*, Lib. Bar. Lobcovicii. Vitembergæ 1719.

Sinceri VERIDICI Fuſsſtapffen der gœttlichen furſehung, Veſtigia providentiæ divinæ erga fideles & ſubmiſſos doctores, ſive Narratio de felicibus progreſſibus D. Henrici Iacobi *Van Bashuyſen*, 1714.

Ioannis *Van der* WAEYEN Oratio funebris in obitum D. Nic. *Gürtleri*. Daventriæ 1711.

Ioannes Van der *Waeyen*, ſeelandus, S. theolog. & hebreæ linguæ profeſſor in academia franekerana, nec non eccleſiaſtes in templo academico, vir profunde eruditus & latine diſertiſſimus, ita ut in gratiam ſtudioſorum ex Gallia, Hungaria, Tranſilvania, Polonia, & ceteris longe remotis terris advenientium, ſingulis hebdomadibus latinas ex ſuggeſtu templi academici habuerit conciones, ſcripſit contra *Limborchium* & *Clericum*, Summam theologiæ chriſtianæ, ac plura alia, obiitque A. 1716. *Grundmann* in Memoriis A.1716. defunctorum p.57. *Acta erudit*. A.1689. 584.

Io. Chriſtoph. WENDLERI Commentatio de D. Val. Erneſti *Læſcheri* meritis in Eccleſiam & literas politiores. Ienæ 1720. Quæ p. 30. 37. & 38. de *moderatione eccleſia noxia*, & *ſyncretiſmo* dicuntur, ſuavia ſunt ſomnia, nec vindicanda, ſed contemnenda.

Ioannes Chriſtophorus *Wendler*, philoſophiæ magiſter, ordinisque philoſophici in academia ienenſi adiunctus, plura eruditionis ſuæ ſpecimina edidit, Diſſertationes videlicet varii atque amœni argumenti, de ampliſſimis divitiis, quas Clerus romanenſis in ditionibus auſtriacis poſſidet, de Lutheranis, quod in præiudicium cæleſtis veritatis neque ſupprimant, neque corrumpant ſcriptores

ptores eccleſiaſticos & profanos, de Raritate librorum, de Fatis præcipuorum quorundam Theologorum ſæculi XVI. & XVII. de Meritis Electorum & Ducum Saxoniæ lineæ Albertinæ in Eccleſiam & literas politiores, de Libris a Pontificiis aliisque, in præiudicium doctrinæ purioris, ſuppreſſis & corruptis, & Prodromum Bibliothecæ biblicæ perfectioris, exhibentem hiſtoriam criticam Commentatorum in Epiſtolas Paulinas, cum Specimine ad *Derſchei* Biblia numerata; ut taceam Pauli *Ambergeri* elegantem Diſſertationem de Auguſta litterata, quam ipſe moderatus eſt.

CLXI.

Le glorie de gli Incogniti, Gloriæ Incognitorum. Venetiis 1647. Eſt deſcriptio illuſtrium aliquot virorum academiæ venetæ, quæ Incognitorum appellatur, eorumque adduntur icones elegantiſſimæ. Vulgo hic liber adſcribitur Io. Fran. *Lauredano*; ſed *Placcio* de anon. p. 647. & *Morhofio* Polyhiſt. l. 1. c. 14. p. 154. hoc non videtur veriſimile, cum ii, qui vitam eius ſcripſerunt, ac libros recenſuerunt, nullam eius mentionem faciant, nec credibile ſit, ipſum ſui panegyriſten eſſe voluiſſe. Poſterior tamen hæc ratio haud videtur eſſe ſufficiens, quia vitam eius etiam alius deſcribere, & encomium formare potuiſſet, dum Lauredanus neceſſaria modo ſuppeditaſſet, ſicut a ſingulis id poſtulabatur. In Præfatione ſecundum promittitur huius operis volumen; ſed an ſecutum ſit, valde dubito. Interim ſive Lauredanus auctor ſit huius libri, ſive non ſit, quia tamen auctor & caput fuit Academiæ Incognitorum, atque ad eum acclamationes fiunt in principio præſentis ſcripti, ſilentio eum præterire nefas foret.

Io. Franciſcus *Lauredanus*, italice *Loredano*, patricius venetus, natus A. 1606. ultimo Februarii, litteras ac ſcientias didicit ſub fideli & dextra informatione equitis *Colurafſi*, ea ingenii capacitate, tantoque ardore, ut aliis admirationi eſſet. Poſtquam familiares in pueritia ſibi reddiderat linguas hiſpanicam & gallicam, Contentionem trium Dearum, & epiſcopi *Belleyi* Hiſtoriam catalanam in vernaculam ſuam tranſtulit. Adoleſcentiæ incrementum conſecutus, magnam ſibi famam & auctoritatem erectione Academiæ Incognitorum conciliavit, eamque ſenator in sereniſſima Rep. quin & advocator, qui leges contra reos defenderet, factus, mirum in

modum auxit atque amplificavit. Scripta eius mere ſunt italica, omniaque amœna, quia vel ingenioſa continent, vel hiſtorica: nam, ut de MSStis nihil dicam, ab ipſo prodierunt Ioci geniales, Luſus academici, Nova amatoria, Amores infelices, Dianea, Hiſtoriæ Regum luſitanorum, publicatæ ab Henrico *Giblet*, Mors *Wallenſteinii*, Vita *Marini*, ALEXANDRI III. Papæ, *Adami*, ſanctique *Ioannis* traguriensis, Epiſtolæ, &c, ne tantum in profanis hæreret, Senſus devotionis, & Gradus animæ, ſeu paraphraſis Pſalmorum Davidis gradualium. Atque hi partus ingenii feliciſſimi habuerunt fortunam non tantum in omnibus Europæ locis, ubi ſuaviſſima lingua italica æſtimatur, legi, typisque iteratis ſubiici, ſed etiam in alias converti linguas, puta, hiſpanicam, gallicam, latinam & græcam. Obſervatum quoque eſt, ſcriptorem hunc, adhuc iuvenem, ſicut aſſumtus fuit in principales Italiæ academias, ita cum laude nominatum fuiſſe in plus quam 85. libris. Vide hic *le Glorie degli incogniti* p. 245. Io. *Imperialem* Muſ. hiſtor. p. 221. & *Ferrarium* Proluſion. p. 430. Quid impedit vero, quo minus horum verba, in honorem elegantiſſimi Lauredani noſtri, exſcribamus? *Imperialis* hæc ſunt: *Ecquid poëticarum narrationum* Io. Franciſci Lauredani, *eiusdem patricii ordinis, lepore ac Venere ſuavius excogitari poteſt, cum absque verſa orationis rhythmo vernaculi ſermonis proſa amatorias eleganter confingat, referatque vices, quarum lectione laſſatus interdum curioſorum animus blandiſſime delinitur?* *Ferrarii* in Peplo veneto, quem A. 1666. texuit, & oratione ſolemni explicuit, iſta: *Se quoque principibus permiſtum agnavit, qui nuper immatura morte literas deſtituit,* Io. Fran. Lauredanus, *ſacra laurus, ſeram factura nepotibus umbram, ſub quam ſe Camœna & doctorum grex reciperet, blandum Camœnis doctisque nomen, mutuis venerationis officiis cultum: quo vix aliud uberius ingenium ætas iſta tulit, niſi illi nimis indulſiſſet, &, dum patrio ſermone contentus aut teneros amores ludit, aut multo ſale urbem defricat, aut feſtivis narrationibus adrepit, ut erat, ſuavis videri maluiſſet, quam gravis. Quanquam dum hiſtoriam tractat, aut advocatoris munere pallentes reos legibus tradit, ſolida facundia expers non fuerit: maior utique futurus, non clarior, ſi ad illuſtrandas latinas literas tale ingenium conferre potuiſſet.*

Auguſtini VALERII Opuſculum de cautione adhibenda in edendis libris. Patavii 1719. Illud hic primum editur, eique acceſ-

acceſſere 1) eiusdem *Valerii* Vita Bernardi Naugerii cardinalis, quæ ante centum annos Veronæ quidem edita fuerat, ſed raro admodum occurrebat. 2) Pet. *Barrocii* Orationes III. quarum prima dicta eſt, cum Fran. *Scledus*, eorum, qui iura Patavii tractant, rector, in magiſtratus ſui fine civilis & pontificii iuris inſignibus donaretur; ſecunda pro Chriſtophoro *Mauro*, Venetiarum Duce, quo die Ioanni patruo, bergomenſi prius antiſtiti, poſtea Venetiarum patriarchæ, Venetias venienti obviam cum Senatoribus & urbe tota profectus, eum Caſtellum uſque deduxit; tertia in funere Ant. *Roicelli*, ICti patavini. 3) Aliæ Patriciorum venetorum; videlicet (a) Paulli *Barbi* Oratio ad LVDOVICVM XI. Galliæ regem, habita Turoni A. 1461. (b) Bernardi *Iuſtiniani*, ad eundem Regem A. 1462. (c) Petri *Contareni*, in funere Marci *Cornelii*, qui pater fuit Catharinæ Corneliæ, Cypri reginæ, habita Venetiis A. 1479. (d) Caroli *Capellii*, in funere Georgii *Cornelii*, Catharinæ Cypri reginæ fratris. (e) Angeli *Gabrielii* in funere cardinalis Baptiſtæ Zeni, A. 1501. (f) Petri *Paſchalici*, ad Emmanuelem Luſitaniæ Regem A. 1501. (g) Fran. *Piſani* de univerſæ philoſophiæ ornamentis. (h) Ant. *Longi*, in funere Nicolai de Ponte, Principis Venetiarum. Collectio atque editio huius theſauri debetur doctiſſimo Io. Ant. *Vulpio*, qui tamen inſigni liberalitate Io. *Paſchalici*, Senatoris apud Venetos ampliſſimi, & *Zenorum* fratrum, Apoſtoli nimirum & Petri Catharini, ſe adiutum fuiſſe, in Præfatione gratus profitetur. Idemque exhibet clarorum virorum de Auguſtino *Valerio*, ac Petro *Barrocio* teſtimonia p. 16. 101. & copioſis atque accuratis indicibus opus inſtruxit. Recenſio huius operis habetur in *Supplementis* Actor. erudit. T. IIX. 20. & in *Ephemer.* litterat. Ital. T. XXXII. 553.

Auguſtinus *Valerius*, patricius venetus, ac primum in patria urbe profeſſor, deinde, cum nihil tale cogitaret, epiſcopus veronenſis, ac tandem S. R. E. Cardinalis, *Palaeoti* & Car. *Borromaei*, quod in maximum eius honorem cedebat, amicus, vir de litteris, pietatis ſtudio, atque egenis immortaliter meritus, obiit Romæ A. 1606. ætatis ſuæ 75. Longum foret, omnia eius ſcripta, numero CXXVIII. quorumque catalogus p. 23. traditur, commemorare; hoc tamen ſilentio non eſt prætereundum, cum non omnia abſolviſſe, neque etiam omnia revidiſſe, Epiſcopum vero, ſeu de optima epi-

ſcopi forma, hortatu Caroli *Borromæi* ſcriptum opuſculum, præ ceteris lucubrationibus ſuis ipſi fuiſſe adamatum, neque cuncta ipſummet ſcripſiſſe, ſed quædam amanuenſibus dictaſſe, immo eodem plerumque tempore per vices tribus amanuenſibus, ægre verba notis ſubſequentibus, Hiſtorias rerum venetarum, Epiſtolas ad familiares, & Sermones ad populum dictaſſe, in lectica non nulla opuſcula conſcripſiſſe, & libellum, cui Somnii titulus præfixus eſt, evigilaſſe ſub tempus comitiorum pontificiorum. *Vulpius* in Præfat. p. 8. *Lollinus*, inter Teſtimonia, p. 17. *Ghilinus* vol. I. p. 4. Ian. Nic. *Erythræus* Pinacoth. P. I. 170. *Sanſſay* 197. *Thuana* 451. *Paruta* della perfettione della vita politica p. 7. *Ferrarius* Proluſion. p. 426. *Giornale de' Letter. d' Ital.* T. V. 373.

Petrus *Barrocius*, patricius venetus, epiſcopus primum bellunenſis, deinde patavinus, ſacrarum litterarum cultor eximius, fide, religione ac pietate incomparabili, ut pares paucos, ita ſuperiorem habens neminem, ſcripſit de ratione bene moriendi Librum I. de conſolatione Libros III. Hymnos & epiſtolas ad diverſos, familiarium, cum ægrotararent, magnam, ut epiſcopum decet, habuit curam, municipibus egenis potius, quam exteris, opem tulit, Montem pietatis Patavii erexit, Aulam, ubi candidatis laureæ inſignia traduntur, exſtruxit, atque in omni vita ſe ſe ita geſſit, ut optimi ac ſapientiſſimi quique eum ſatis laudari poſſe negarent. Tandem migravit ad Dominum anno 1507. cum annum ageret ſuæ ætatis 66. Vide *illuſtrium virorum* Teſtimonia p. 101.

CLXII.

Iac. Phil. TOMASINI Gymnaſium patavinum, libris V. comprehenſum. Vtini 1654. Primus agit de Gymnaſii ſive Academiæ origine, incremento, decremento, confirmatione, ædificiis, de univerſitatibus ſtudioſorum, eorumque privilegiis, honoribus, miniſtris, de profeſſoribus, cathedris, collegiis, ceteriſque ad veram totius academiæ rationem pertinentibus: Secundus profeſſores tum iuris pontificii, tum civilis a prima origine ad noſtra uſque tempora enumerat: Tertius profeſſores theologiæ, S. codicis, philoſophiæ naturalis, moralis, metaphyſicæ ac medicinæ, aliarumque artium recenſet: Quartus Gymnaſii hiſtoriam, & memorabilia quædam ad annos quingentos breviter perſequitur: Quintus deni-

denique Gymnaſii monumenta exhibet. Additæ etiam ſunt figuræ æneæ Gymnaſii patavini, eiusdem rectoris, & prorectoris ſeu viceſyndici, ſceptrorum, ſigillorum, theatri anatomici, ac viridarii medici.

CLXIII.

Georgii Nicolai KRIEGKII Conſtitutio rei ſcholaſticæ ilfeldenſis. Northuſæ 1716. Abſolvitur XII. capitibus, agiturque de accedentibus ad lyceum, de exercitiis pietatis per dies dominicos & feſtos, moribusque & officiis in templo ante & poſt meridiem, de quotidianis pietatis exercitiis, de claſſium & ordinum diſtributione, & lectionibus ſecundum catalogos, de catalogo lectionum claſſis ſecundæ, qui commentatione parergica de ratione ſtudiorum humaniorum colendorum illuſtratur, de catalogo lectionum claſſis ſuperioris, qui etiam illuſtratur, & ordines diſtinguntur, ſtilique comparandi modi oſtenduntur, de ſtudiis quotidianis, repetitionibus, examinibus, exercitiis memoriæ, recitationibus, diſputationibus, dialogis, diſquiſitionibus & collationibus, de exercitationibus corporis, de legibus, de diſciplina & moribus, deque abituris ab hoc lyceo. Hiſce præmittit Proluſionem de rei ſcholaſticæ ilfeldenſis origine & auctoribus. In Præfatione diſcipulis ante omnia pietatem commendat, eosque ad amorem virtutis & omnigenæ doctrinæ incendit, & variarum ſcholarum, in qua ſimilia fiunt exercitia, ut walkenredenſis, gottingenſis, gandersheimenſis, goltpergenſis, portæ Mariæ, miſnenſis, grimmenſis, lauingenſis, altorfinæ, hailsbrunnenſis, ſchleuſingenſis & gothanæ, facit mentionem: Dedicationem autem dirigit ad illuſtrem virum, Iuſtum Chriſtoph. *Reiche*, S. Regiæ Magnæ Britanniæ Maieſtatis atque Electoris Brunſvic. ac Luneb. conſiliarium Iuſtitiæ intimum, Cœnobii ilfeldenſis adminiſtratorem, & Prælatum ſumme venerabilem; cuius merita etſi enumerare veretur, conſcientiæ tamen vi fateri cogitur, cuius amor erga hunc locum & hocce lyceum maior, cura teſtatior, benignitasque tot argumentis exploratior, exiſtere nullum. Ceterum ſi ſcire cupis, qualis hic liber ſit, audi Collectores *Actorum eruditorum*, viros emunctæ naris, qui ad A. 1717. p. 224. ſcribunt: *Liber eſt optimarum rerum pleniſſimus, qui plura continet, quam prima iſtius facies promittit.* Et auctor *Bibliotheca nova* T. VI. 548. teſtatur, Kriegkium per ſingulas partes commonſtraſſe

ſtraſſe fructum huius Conſtitutionis, deque variis ad rem ſcholaſticam facientibus rebus ſuas aperuiſſe cogitationes.

Georgius Nicolaus *Kriegk*, iſenacenſis, natus A. 1676. in gymnaſio Siluſiaco hennebergenſi bonas litteras coluit ſub rectore Io. Erneſto *Schadeo*: poſtea in Ienenſi academia, uſus præcipue Ge. *Schubarto*, & Io. Philippo *Slevogtio*, elegantioris doctrinæ doctoribus. In ſtudiis ſic profecit, ut non tantum philoſophiæ magiſter creatus fuerit, ſed etiam adiunctus ordini philoſophico, habituſque loco meliore. Diſſertationes varias ibidem publicavit, & quidem de velamine veterum, ad illuſtrandum locum 1. Cor. XI, 10. binas de inclareſcendi modis apud Græcos, de A. *Perſio* Flacco, poëta ſatirico, de tunica moleſta, ad locum *Taciti* Ann. XV. cap. 44. de Sophiſtarum eloquentia, pro loco, ut dicunt, A. 1702. de menſa ſolis apud Aethiopes, ad locum *Herodoti* in Thalia, cap. 18. de peregrinationibus Romanorum academicis, de modis inclareſcendi apud Romanos. Orationes complures in laudata academia, tum ſuo, tum aliorum nomine compoſuit. Ipſe publice, & in templo academico, præmiſſis Ge. *Schubarti* programmatibus ſolemnibus, recitavit, exſcripſitque orationem in memoriam Paulli *Slevogtii* a. 1698. in funere *Io. Georgii*, ducis Saxoniæ, patris patriæ, A. 1698. in natalem *Mauritii Gulielmi*, Ducis Saxoniæ, A. 1699. in mortem Ge. *Schubarti*, præſcripto programmate Io. Georgii *Mülleri*, poëticæ profeſſoris, A. 1701. Vulgare quoque ibi cœpit Io. Ludovici *Praſchii* Roſetum, ſeu præcepta ſtili latini, cum præfatione verboſiore; eiuſdem de latiniſmis & barbariſmis Commentariolum, cum quibuſdam Caſparis *Scioppii*, Paganini *Gaudentii* Obſtetricem litterariam, ſive de componendis & evulgandis libris diſſertationes, Theodori *Ryckii* orationem de palingeneſia litterarum, Epiſtolam apologeticam, adverſus Adolphum *Clarmundum*, de Ge. *Schubarto*. Quando vero ex academia ad ſcholam Ilfeldenſem reſtaurandam A. 1707. revocatus eſt, tot, & tanta Programmata, Epiſtolas, Inſcriptiones, Carmina emiſit; tamque orationes diverſas habuit, quæ ſpiſſa volumina conficere poſſent. In aliis commentationibus & diatribis, conſtat Commentarius de vita Iuſti *a Dransfeld*; cui ſubnexæ Notæ, Gymnaſii gottingenſis hiſtoriam, & contextum illuſtrantes, Propemticon Henrico Vlrico *Hartmanno* perſcriptum; in quo ſimul de novis inſtitutis Superiorum, in

in emendatione diſciplinæ expoſitum, de iuſtitiæ ſcholis apud Perſas, cum comparatione ad Ilfeldenſem, de ſcholis temperantiæ, ſive ſyſſitiis apud Lacedæmonios, Poëtæ qui apud veteres dicti Pleiades, de diverſis in ſcholis effectus informationis cauſſis potioribus, Gratulatio Iuſto Chriſtophoro *Bœhmero* perſcripta, cum theologiæ profeſſor, & doctor renunciaretur A. 1711. de difficili, & ærumnoſa ratione proficiendi apud Sophiſtas, in virtute, ſapientiæ & eloquentiæ ſtudiis, Gratulatio ad Io. Reinhardum *Rus*, A. 1713. Narratio de vita Iuſti Zachariæ *Grobeck*, Bodenwerdera-hanoverani, quomodo per Ieſuitas hildeſienſes, & fuldenſes ad pontificiam religionem; & iterum ad euangelicam Ilfeldæ traductus, A. 1714. In vitam & mortem Iuſti *a Dransfeld*, cognati, elogium teutonicum, A. 1720. Gratulationis officium, Io. Martino *Riedel*, rectoratus peinenſis munus ſuſcipienti, præſtitum, A. 1721. In libellis, quos in uſum gymnaſii exſcribendos curavit, referenda Io. Papirii *Maſſoni* Elogia civium romanorum, ex Cicerone collecta, Petri Angelii *Bargæi*, quo ordine Scriptorum hiſtoriæ romanæ monumenta legenda, *Nicolai* Damaſceni de moribus Græcorum, aliarumque gentium, cum interpretatione latina Nicolai *Cragii*, Io. *Caſelii* νυχθημερον, *Publii* Syri Sententiæ, aliaque. Scriptis autem hiſce & ſedula dextraque informatione eam nominis famam adeptus eſt, ut inter meliores ac præſtantiores, quos hodie habemus, ludi moderatores numeretur, ac ſublimiori dignus eſſet ſtatione, niſi mutatio hæc ſcholæ incommoda, ſi non pernicioſa foret. Teſtes appello eximios *Actorum eruditorum* Collectores, & potiſſimum D. Iuſt. Chriſtoph. *Bœhmerum*, quorum illi A. 1717. 222. variis eum ingenii monumentis ſuaviſſimæ aiunt caſtæque latinæ linguæ non vulgarem conſecutum eſſe famam; hic Program. A. 1721. de optimo dicendi genere, lyceum ilfeldenſe, hodierni etiam temporis reſpectu, laudat, claramque formatorum præclare ingeniorum proventu officinam vocat.

CLXIV.

Theophili SPIZELII Vetus academia Ieſu Chriſti. Auguſtæ Vindelicorum 1671. Iconibus, exemplis & documentis priſcorum pietatis veræ Doctorum & Profeſſorum illuſtrata. Auctoris, ut ipſe in Præfatione indicat, ſcopus eſt, lectorum conſpectui lucidiſſima vitæ morumque exemplaria, quæ imitentur, ſiſtere, atque

que oſtendere, *chriſtianam illam & germanam theologiam* (arrigite aures, qui theologiæ ſtudioſi, & vos, qui paſtores gregis dominci aut theologi eſſe & haberi vultis) *probos exigere cultores ſeu amatores; in dies meliores, æquiores, ſuaviores, tractabiliores, modeſtiores fieri debere illos, qui Chriſtum prædicent, qui cœli divitias promittant fidelibus, qui morum alienorum cenſores & populi magiſtri velint appellari; neminem illo maiorem eſſe & fructuoſiorem, quam qui divina loquatur & concionetur expertus, hunc mentes rapere, animos commovere, regna & urbes Chriſti imperio ſubiicere, nec tam facile incendi poſſe auditorem, niſi ad eum ardens oratio & ſermo perveniat:* divinarum literarum explanationem, *ſecundum Theodoretum*, opus habere anima a labe notabili purgata, tum mentem deſiderare agilem, ac veluti pennis præditam, quæ divina pervidere poſſit, & in penetralia ſpiritus ingredi. *Baſilium M. ſermone ad animarum curationem haud multum indiguiſſe, quia opere quam plurima fecerit, orationem enim eius tonitruum fuiſſe, qui vita eſſet fulgur: ac, licet* verbo & ſacramentis *neutiquam deneganda ſit* efficacia, etiamſi per malos exhibeantur, *ſi tamen doctores non ſint feraces bonorum fructuum, ſed infœcundi, ſemet ipſos pariter ac cœleſtem, quam ore prædicent, veritatem plurimorum contemtui exponere.* De iconibus Patrum, quæ hic conſpiciuntur, dicit, ſe quidem illas pro indubitatis nolle venditare, neque tamen temere confictas, aut e cerebro pictas eſſe, ſed vel ex antiquiſſimis monumentis depromptas, vel ad veterum Scriptorum proſopographias efformatas. Chryſoſtomi tamen icon, quam *Caraccioli* Synopſis veterum religioſorum rituum in fronte gerit, melior videtur eſſe ea, quæ hic p. 139. exhibetur. Octavius *Ferrarius* Operum variorum P. II. 248. librum hunc vocat munus auro contra carum; *Boſius* Introduct. (in Crenii Methodor. T. III. 455.) librum dignum, quem veræ pietatis cultores diligenter & adſidue manibus terant; & *Spenerus* Pior. deſiderior. p. 143. eum, in quo egregiis & dignis exemplis demonſtretur, eos, qui Paſtores & Doctores aliorum idonei velint evadere, tunc demum tales futuros, ſi prius faciant, quam doceant; atque in Conſilior. theologicor. Parte III. p. 26. Veterem illam Academiam I. C. cum deſiderio ait ſe expectare, additque: *Vtinam tantis doctoribus dignos multos reperiat incolas & diſcipulos, & perſuadere tandem literatis poſſemus, non ultimum noſtrum in eruditione, ſed huius ad veræ pietatis exercitium uſu quærendum eſſe ſcopum, atque*

adeo

adeo in illis, quæ ad praxin faciunt, immo omnibus omnino parum profeciſſe, qui vel didicit, vel docet, neque prius fecit, vel ad faciendum ſe accingit.

EIVSDEM Templum honoris reſeratum. Auguſtæ Vindel. 1673. Quo XL. Theologorum, & X. Philologorum imagines exhibentur, & quibus ſive in ſacram, ſive literariam rem meritis, quibus item monumentis librisque editis vel MSS. inclaruerint, diſerte oſtenditur. Sunt autem (quod addo, quia liber Indice alphabetico caret) ſequentes: *Balduinus*. p. 77. *Barthius*. 380. *Bernegger*. 350. *Brochmand*. 189. *Calviſius*. 321. Io. Bened. *Carpzov*. 227. Matt. *Chemnitius*. 1. *Cluverus*. 116. *Dannhauer*. 284. *Dietericus*. 133. *Dilherr*. 295. *Dorſcheus*. 234. *Ebinger*. 364. *Feuerborn*. 211. *Franzius*. 102. *Freinshemius*. 357. Io. *Gerhardus*. 123. *Gerlach*. 25. *Glasſius*. 218. *Grauer*. 40. *Hackſpan*. 388. *Hafenreffer*. 53. *Helvicus*. 46. *Hemmelius*. 140. *Hoë* 164. *Hopfner*. 147. *Hoeſchelius*. 328. *Hülſemann*. 259. *Hutter* 32. *Kesler*. 155. *Kromayer*. 304. *Lyſer*. 9. Chriſt. *Matthias*. 203. Iac. *Martini* 176. Balth. *Meiſner*. 60. *Mentzer*. 68. Phil. *Nicolai*. 117. Melch. *Nicolai*. 244. *Quiſtorp*. 196. *Reihing*. 93. *Ræber*. 183. *Schickard*. 335. Io. *Schmid* 251. Er. *Schmid*. 344. Paul. *Slevogt*. 373. Io. Henr. *Urſinus*. 313. Mich. *Walther*. 268. *Wigelin* 109. Iac. *Weller*. 276. *Winckelmann*. 86. Acceſſit Anton. *Reiſeri* de claris quibusdam illius ævi theologis ad auctorem Epiſtola. Hoc opus Spizelianum *Meibomius* in Additam. ad Vogleri Introduct. univerſal. p. 168. 171. & 187. commendat; nec minus D. Io. Frid. *Mayer* in Bellis Domini, p. 956. Sed *Struvius* Introduct. in notit. rei liter. c. VII. p. 364. annotat, deſcriptiones vitæ non eſſe ſufficientes, & potius panegyricas. Pag. 395. dicitur, quod præter *I. V.* Scipio Sgambatus textum hebraicum emendare non dubitaverit. Is autem eſt *Iſaacus Voſſius*.

Pag. 84. Frid. *Balduini Tractatus* poſthumus de Caſibus conſcientiæ.	Cui quædam *infarſit Seldius*. *Crenius* P. VI. Animadverſ. 145. & P. XV. 135.
85. *Eiusdem* Antapologia, adverſus Politicum Berlinenſem. Germanice.	Auctores eius ſunt *duo Magiſtri philoſophiæ*. *Moſanus in* Vindiciis concionis Abr. Sculteti de idolis p. 413.
Eiusdem Poſtilla euangelica.	*Plurima ex Io. Wildii Poſtillis* transſcripſit.

Pag. 146. Himmelii *Triga* prophetica, *Haggeus*, *Zacharias*, *Malachias*.

169. Matthiæ Hoë mors accidit anno ſeculi currentis (XVII.) *nono* & quadrageſimo.

387. Inter opera MSS. Caſp. Barthii eſt Adverſariorum *Tomus II.*

In Epiſtola Reiſeri p. 400. Martinus Chemnitius fuit Andradio vir ingenio præſtans, & in evolvenda Antiquitate *diligens*.

Cenſura *Io. Lati* de M. Chemnitio, eum adſiduo labore tantum profeciſſe, ut poſt Philippi præceptoris obitum, Theologorum A. C. facile princeps haberetur.

Triga *quadruplex*, ſeu Commentarius *in omnes Prophetas minores*.

Anno *quinto* & quadrageſimo. *Witte* Memor. theol. 1019. *Rol* de nobilib. theologis, 145.

Et tertius. Acta erudit. germanica T. I. 925. *Narrat. innoc.* A. 1709. 383.

Mediocriter verſatus. Andradius Defenſ. trident. fidei lib. I. 41. e quo id etiam ita allegat Chriſtoph. *Sonntag* Diſp. de præcipuis theologis lutheranis p. 131.

Iſta ſunt verba *Thuani* lib. 84. p. 77

Antonius *Reiſer*, auguſtanus, *Dannhaueri* diſcipulus, philoſophiæ magiſter, primum Schemnizii in Hungaria (verba ſunt Epitaphii, quod Hamburgi viſitur) per 7. annos eccleſiaſtes euangelicus, poſtea Poſonii decanus & paſtor primarius in annum 13. inde poſt toleratos fœtidi carceris ſqualores, cum ab acerbiſſimis veritatis euangelicæ adverſariis intentatum, præter omnem culpam, capitis ſupplicium, quod tamen lætus exſpectaverat, divino nutu evaſiſſet, relicta multorum nummorum bibliotheca, & omni alia ſupellectile, cum gravida uxore & 4. filiabus in exilium pulſus, in illuſtri patriæ Gymnaſio vacantem forte rectoratum per triennium obiit; hinc Oringiæ in Comitatu hohenloico 3. annis paſtor cathedralis; poſtremo Hamburgi ad D. Iacobi paſtor in annum IIX. ſingulis his in locis fidei, induſtriæ, & vigilantiæ ſpecimina plane egregia edidit, donec tandem A. C. 1686. fractus infinitis curis ac laboribus, tanquam bonus miles I. Chriſti, dimiſſionem impetravit, atque ad quietem pervenit, cum annos ætatis ſuæ 58. & 2. menſes tranſegiſſet. Erat acer diſputator, & cui bella placebant

cebant cum Pontificiis, Reformatis, Quackeris, & Advocato quodam: hinc inter ſcripta eius ſunt quædam oppoſita Iod. *Keddio*, Chriſtoph. *Ottoni*, Thomæ *Leonhardi*, Rob. *Bellarmino*, Matthiæ *Fabro*, Chriſtiano *Pauli*, Rob. *Barclaio*, & auctori Theatrophomiæ; ſicut legi poteſt apud *Pippingium* Memor. theologor. p. 145. Cui adde *Serpilium* Epitaph. theol. ſuevor. 152. *Mollerum* Iſag. ad Hiſt. cimbr. P. II. 599. *Morhof.* Polyhiſt. T. I. 41. 63. & T. III. 49. *Wagenſeilium* Confut. Carm. Lipmann. p. 196. & G. H. *Gœtzium* Biblioth. luther. 8.

CLXV.

Illuſtrium Hollandiæ & Weſtfriſiæ ordinum alma ACADEMIA LEIDENSIS. Lugduni Batavorum 1614. Titulo adſcriptum eſt a non nemine in Hollandia: *Donum D. Rein. ab Oldenbarnevelt.* Icones hic & vitæ exhibentur Guilielmi & Mauritii, Principum Aurangiæ, Comitum Naſſavienſium, Curatorum academiæ, & Profeſſorum omnium Facultatum, qui a fundatione academiæ per 39. annos in ea docuerunt: additæque ſunt Academiæ, Horti academici, Bibliothecæ & Theatri anatomici delineationes artificioſiſſimæ, in æs omnes inciſæ, cum Deſciptione pompæ in Academiæ inauguratione. Altera huius libri editio prodiit Amſtelodami A. 1625. hoc ſub rubro: *Io.* Meurſii *Athena Batavæ, ſive de urbe Leidenſi & academia, viriſque claris, qui ingenio eam, aut ſcriptis illuſtrarunt.* Pauca tamen priori ſunt addita. De aliis vero academiarum deſcriptoribus vide *Meibomium* in Additam. ad Vogleri Introductionem in notitiam bonorum Scriptorum p. 194. & *Crenium* ad Boſii Introduct. (Tomo III. Methodorum) p. 464.

Simonis STAROVOLSCII Scriptorum polonicorum Ἑκατοντας. Francofurti 1625. Recuſa Venetiis A. 1627. Qua C. illuſtrium Poloniæ Scriptorum elogia & vitæ exhibentur. Miraris, cur centum duntaxat in tam vaſto regno? Sed *auctor* in Præfatione tres adfert facti ſui rationes: nam 1. Sarmatæ priſcis illis temporibus plus Marti ſervierunt, quam Minervæ. 2. in propaganda ſui apud poſteros memoria fuerunt negligentes. 3. auctori eos tantum commemorare animus fuit, quibus æternitatis genius adfuit, quique ſeriis ſcriptis ingenii ſui ſpecimen poſteris probarunt; & maior potuiſſet dari Catalogus, ſi collector omnium, præſertim veterum, notitiam aſſequi valuiſſet.

Pag. 57. Io. Honterus, Coronæ in *Boruſſia* natus. | In *Tranſilvania*, *Schmeitzel* in Annotat. ad Epiſtolam Mart. Lutheri ad Io. Honterum A 4.

Simon *Starovolſcius*, polonus, laudatur, ut refert, & referendo adprobat iudicioſiſſimus *Bœclerus* Bibliograph. crit. p. 363. in rebus polonicis: ſcripſit enim Poloniam, ſeu regni deſcriptionem, cum Tabulis geographicis, Tractatum de Sarmatiæ bellatoribus, Monumenta vel epitaphia illuſtrium Sarmatarum: idemque dedit Epitomen omnium conciliorum, Librum de conſilio, Commentarium in libros IV. Inſtitutionum, & Libros VIII. inſtitutionum rei militaris. *Kœnig* 773. *Naudaus* Bibliograph. polit. (T. I. Methodor. Crenii) p. 553. *Hyde* Catal. Biblioth. Bodlei. T. II. 177.

Magni Dan. OMEISII Gloria academiæ altorfinæ. Altorfii 1683. Eſt orationum faſciculus, Vniverſitatis noricæ ortum, progreſſum & cuncta memorabilia, omniumque Profeſſorum vitas, mortem, ac ſcripta exhibens: cui acceſſerunt Io. Pauli *Felvvingeri* Laudatio, conſcripta & recitata a Io. Iuſtino *Arnſchvvangero*, & ſuperiores orationes illuſtrantia Additamenta, variæque Inſcriptiones.

Magnus Daniel *Omeis*, *Moliteris*, *Felvvingeri*, *Dürrii*, *Reinharti* & *Weinmanni* diſcipulus, philoſ. magiſter, Societatis ad Pegneſum florigeræ collega, Viennæ Io. Frid. Guil. *Neumanni*, filii Legati electoralis brandenburgici, ac Noribergæ Caroli Benedicti *Nutzelii*, optimi & graviſſimi Senatoris filii, ſtudiis præfectus, poſtque ea Oratoriæ, Moralium ac Poëſeos in academia altorfina profeſſor, ac tandem, cum LEOPOLDVM Magnum plus ſemel cantaſſet, Comes palatinus cæſareus, vir de elegantibus Muſis præclariſſime meritus, multisque ingenii monumentis celebris, animam Deo reddidit anno 1708. ætatis 62. Erhard. *Reuſchius* in Memoria Omeiſii, quæ ſubiuncta eſt Iuvenco ab eodem edito. Memoriæ huic addita etiam ſunt Elogia Omeiſii a viris eruditis dicta, & Scripta omeiſiana. Sicut autem inter hæc eminent Proluſiones academicæ, Theatrum virtutum & vitiorum ab Ariſtotele omiſſorum, Memoria Gabr. *Nutzelii*, Ioan. Pauli *Paumgartneri* & Maur. *Hoffmanni*, Panegyricus in coronationem IOSEPHI, alter ob victoriam ſub LEOPOLDO M. a Turcis ad Salancamenam in Raſcia A. 1691. reportatam, & tertius in memoriam B. LEO-

POL-

POLDI, Ethica pythagorica & platonica, Compendium rhetoricum, Compendium ethicum, Iſagoge ad accuratam Poëſin germanicam, atque inter Diſputationes illæ, quæ agunt de Epicuro, de Symbolo heroico, de eruditis Germaniæ mulieribus, de Pythagoreis a famoſo ſimplicis talionis dogmate defenſis, de reſervationibus mentalibus, de recitationibus veterum, de contractibus qui âleam continent, de iure iurando, ac ſpeciatim academico, de officiis erga bruta; ita illis addo ſequens Henrici noſtri *Meibomii*, quod inſtar multorum eſſe poteſt: is enim in Additamentis ad Vogleri Introductionem p. 208. Omeſium clariſſimum virum appellat, eumque de illuſtribus academiæ ſuæ doctoribus accurate diſſeruiſſe, Notasque elegantes addidiſſe iudicat.

CLXVI.

Io. Henr. HOTTINGERI Bibliothecarius quadripartitus. Tiguri 1664. Ex bibliotheca Frid. Vlr. *Calixti*. I. pars, quæ Prolegomenis abſolvitur, agit de officio bibliothecarii & bibliothecis. II. de Theologia biblica. III. de Theologia patriſtica. IV. de Theologia topica; ſpeciatim autem in prima Parte diſſeritur de variis bibliothecis per orbem diſperſis, de Bibliotheca Anglorum theologica, de collectione ac diſpoſitione bibliothecarum, & ratione contexendi earum catalogos: in ſecunda de Bibliorum authenticis exemplaribus, editionibus polyglottis, variis in linguas vernaculas translationibus, de critica biblica, & exegetica reali ſeu theologica: in tertia de antiquitate & gradibus ſtudii patriſtici, ſcriptoribus ſyriacis & arabicis, Patribusque latinis & græcis, & p. 246. additur liber Io. *Leonis* africani de viris illuſtribus apud Arabes, ex arabico in latinum translatus, neque antea editus: in quarta de ſcriptis ſymbolicis, decretis, confeſſionibus, catechiſmis, palinodiis, diſputationibus, apologiis, de theologia ſyſtematica Reformatorum, Auguſtanorum, Pontificiorum & Novatorum, (i. e. Anabaptiſtarum, Socinianorum, Arminianorum, Vorſtianorum, Schwenckfeldianorum, Huberianorum, Weigelianorum) & Orientalium, tandemque adiungitur Specimen theologiæ ſyſtematicæ particularis. Editio hæc eſt valde mendoſa; ut bene obſervavit accuratiſſimus *Crenius* Animadverſ. P. VI. 143. nec tamen datur melior. Immo

& hoc addit, in eius lectione ſe obſervaſſe, non adeo accuratam ubique ſcriptorum & auctorum lutheranorum habuiſſe Hottingerum notitiam, nec illos inſpexiſſe ſemper. Et *Morhofius* in Polyhiſtore, ut Tomo III. p. 52. librum hunc laudat, ita T. I. 204. hoc fert iudicium, omnia (de Locis communibus bibliothecariis dicta) ſatis bona eſſe, ſed ordinem nimis laborioſum videri, & in ipſa topotheſia libraria difficulter obſervari ſemper poſſe. Similia reperies apud *Struvium* Introduct. in notitiam rei literar. p. 25.

Pag. 59. Antonius *Scattergoud* & Fran. *Goiddmann.*	Anton. *Scattergood* (& Fran. *Gouldmann*)
72. Vt vel in lucem productæ auctorem reddant *paraclytum.*	*Paralyticum* Th. *Crenius* præf. in Glaſſii Opuſcula p. 21.
119. Vt bibliotheca omnium, & expedite quidem inſervire poſſit uſibus, *quatuor* illa diſponi debet *Indicibus ſive Catalogis*, videlicet chronologico, logico, theologico, & grammatico: quibus adiungi poteſt topographicus.	Sed *quantus ille labor futurus*, quam etiam in multis non neceſſarius! *Morhof* Polyhiſt. T. I. 55.
150. Fortean & huius (rhythmicæ verſionis Bibliorum germanicæ) naufragium feciſſemus penitus, *niſi fragmenta quædam, in membrana ſcripta*, divina ſupereſſe voluerit providentia.	Adhuc ſupereſſe verſionem iſtam, & quidem bis, docent H. *Conringius* in Epiſt. gratulat. natalis LXXXVIII. ad Ducem Auguſtum p. 59. & Io. *Saubertus* in Palæſtra theol. philolog. 193. ut bene obſervat *Crenius* Animadv. P. VI. 150.
Antiquiſſima (Bibliorum germanicorum) editio adſcriptam, niſi fallor, *epocham habet* 1448.	*Ante ſaeculi XV. annum* 50. *nullus liber noſtro more typis deſcriptus fuit:* antiquiſſima autem omnium habetur illa, quæ prædicti ſæculi annum præceſſit ſexageſimum. *Conring* l. c. 59.
176. Andreas *Scotus.*	Andreas *Schottus. Crenius* Præfat. in Faſcem III. 32.

295. *Primam* (Lactantii editionem) Geſnerus oſtendit venetam 1497. f. 326. Chriſtoph. *Gormerus*.	*Cornerus*. *Idem* Animadv. P. VI. 143.
392. Goulartii editio (Catalogi teſtium veritatis Flaciani) *noſtris maxime commendanda*.	*Cauſſa ſervit ſua* id ſcribens Hottingerus. Melior enim eſt editio Io. Conr. *Dieterici*. Vide Partem II. Hiſtoriæ huius bibliothecar. 154.
405. Addi poteſt Fides iudaica Ant. Margaritæ, Profeſſoris *Auguſtani*.	Profeſſoris *lipſienſis*. *Crenius* Animadverſ. P. VI. 148.
406. *Micrellius* noſtro tempore eadem tractavit ſtudia.	*Micrælius*.
Caſuiſtica -- ut *Franciſcus* Balduinus.	*Fridericus* Balduinus.
Antiquiora theologiæ caſuiſticæ Syſtemata *non puto apud eos* (Lutheranos) extare.	Immo Arn. *Mengeringii* & aliorum. *Crenius* 144. 146.
407. Methodus conconandi --- *Bachmeiſteri*.	*Backmeiſteri*.
Poſtilla *Hummii*.	*Hunnii*.
Polycarpi *Leiſneri* de Iuſtificatione & bonis operibus.	Polycarpi *Lyſeri*.
In Caſibus compendioſiſſimus eſt *Brucknerus*.	Andr. *Prücknerus*.
Contra Iudæos Ioannes *Myllerus*.	Io. *Müllerus*.

CLXVII.

Ioach. Io. MADERI Collectio libellorum & commentationum de bibliothecis atque archivis. Helmſtadii 1702. Secunda editio, (prima enim prodiit A. 1666.) curata a I. A. S. D. id eſt, Io. Andrea *Schmidt*, Doctore. Hoc venerabilis editoris inſtitutum commendandum eſſe iudicat clariſſimus *Struvius* Introduct. in notit. rei literar. p. 47. Continentur autem Collectione hac 1) Iuſti *Lipſii* de bibliothecis Syntagma: in quo de ritibus variis & anti-

antiquitatibus circa rem bibliothecariam agitur. *Eundem Lipſii librum* (ſunt verba *Morhofii* Polyhiſt. lib. I. 205) *cum inſigni auctario editurus erat maximi nominis medicus*, Hieron Welſchius, *ut teſtatur in eius Vita* Schrœckius. *Sed huius & multorum aliorum ſpes præmatura huius viri morte intercidit.* 2) Fulvii *Vrſini* de bibliothecis Commentatio: quæ de bibliothecis veterum Romanorum & hodiernis Italorum præcipuis, breviter tamen, nos informat. 3) Excerpta ex Guid. *Panciroli* Rerum memorabilium ſive deperditarum: Titulus XXII. de librariis ſive bibliothecis. 4) Excerpta ex Barthol. *Chaſſenai* Catalogo gloriæ mundi, lib. XII. 5) Excerpta ex Fran. *Patricii* lib. VIII. de inſtitutione reipublicæ, tit. XV. 6) Mich. *Neandri* de bibliothecis deperditis ac noviter inſtructis Commentatio. Hic tamen, iudice *Struvio* l. c. p. 48. in priori parte potior eſt. 7) Iac. Phil. *Tomaſinus* de bibliothecis MSS. Quod ex eiusdem in bibliothecas patavinas Præfatione petitum eſt. 8) Excerpta ex Laur. *Pignorii* Commentatione de ſervis, rei librariæ adhibitis. 9) Excerpta ex Emundi *Figreii* libro de ſtatuis illuſtrium, ac cum primis doctorum virorum in veterum bibliothecis. 10) Balth. *Bonifacii* liber de archivis. 11) Excerpta ex Fran. *Schotti* Itinerario, de bibliotheca vaticana. 12) Ex Onuph. *Panvinio*. 13) Ex Ant. *Cicarella*, de eadem. 14) Balth. *Corderii* Epiſtolæ II. de bibliotheca regia S. Laurentii ſcorialenſi in Hiſpania. 15) Alexandri *Barvoetii* Catalogus præcipuorum auctorum MSS. atque ineditorum, qui in bibliotheca ſcorialenſi aſſervantur. Non tamen is eſt, quem ſingulari cum cura compoſuit Barvoetius, & notis atque obſervationibus ſuis illuſtravit. Alius quoque eſt Index, a Dav. *Colvillo* ſcoto confectus, atque ad edendum iam tempore Barvoetii paratus. 16) Ioannis Alexandri *Braſſicani* Epiſtola de bibliothecis, cum primis regia budenſi. 17) Epilogus ad lectorem, cum encomio bibliothecæ Auguſtæ. 18) Herm. *Conringii* Epiſtola de bibliotheca Auguſta, eaque auctior, ad exemplum anni 1684. Atque hæc iam addita eſt Collectioni Maderianæ. Cui præmittuntur 1) D. *Schmidtii* Præfatio, in qua de inſtituto ſuo loquitur, ac eruditorum informationem petit de Iodoci *a Dudinck* Bibliothecariographia & Palatio Apollinis ac Palladis, num ipſorum ſubierint oculos, aut unquam prodierint. Certe eruditiſſimus *Struvius* p. 47. de poſteriore dubitat maxime. 2) *Maderi* Epiſtola

ſtola de ſcriptis & bibliothecis antediluvianis. In qua demonſtrare conatur, non litterarum ſolum fundamenta fuiſſe ante diluvium, ſed etiam librorum collectiones & bibliothecas. At quid de hac ſententia iudicetur, ſtatim percipiemus.

Pag. 1. Maderi Epiſtola de *ſcriptis & bibliothecis antediluvianis*, Adam enim nomina impoſuit animalibus, Seth columnas erexit cum inſcriptione: conſtat etiam de libro Enochi, & principes, mundi incolæ, ſcripſerunt res illius temporis non in ſaxis tantum, lateribus, plumbo, ſed in pellibus etiam & membranis.

Madero ſuas relinquimus *coniecturas*: nobis potius certius videtur, nec ante confuſionem babylonicam libros, nec ante diluvium umbram bibliothecæ exſtitiſſe. *Struve* Introduct. p. 52.

Bartholomæus *Chaſſanæus*, aut potius *Chaſſeneus*, gallice *Chaſſenen*, heduus, quem nunc burgundum vocant, apud Montem Cinerium celebris cauſarum patronus fuit, provinciæ ſuæ Conſuetudines luculentis commentariis illuſtravit, Catalogum gloriæ mundi, in quo de variis rerum generibus diſſeritur, edidit, & egregia poſt ſe Reſponſa reliquit. Guid. *Pancirolus* de claris legum interpretib. l. 2. c. 150. p. 262. *Thomaſius* de plagio §. 385. *Menagiana* T. IV. 314. Idem poſtea Senatus aquenſis fuit præſes, & atrocem in Waldenſes ſententiam exſecutus fuiſſet, niſi Nicolaus *Alenius*, ex arelatenſi nobilitate vir probus, & litteris non mediocriter tinctus, ex ridicula id ratione, per actam videlicet murium cauſſam, diſſuaſiſſet. Qua de re legi poteſt *Thuanus* lib. VI. p. 119. Ipſe autem Chaſſeneus poſt dilationem ſeveri illius iudicii, quod factum eſt anno 1649. ſubita morte abſumtus eſt.

Franciſcus *Patricius*, Cliſſæ, in Iſtriæ finibus ditionis venetæ oppido, natus, &, ut aiebat, Senis oriundus, litteris græcis & latinis egregie inſtructus, Ferrariæ totos XVII. annos philoſophiam platonicam docuit: *Alphonſo* Duci perquam familiaris fuit, & a CLEMENTE II. Papa, qui eius opera olim uſus fuerat, magno ſtipendio Romam vocatus. Scripſit Parallela militaria, Diſcuſſiones peripateticas, Novam de univerſis philoſophiam, Novam

 geo-

geometriam, Novam rhetoricam, Dialogos III. de ſcribenda hiſtoria, & alia. Sed quia totus in eo erat, ut ariſtotelicæ philoſophiæ ædificium everteret atque dirueret, multos ſibi hoſtes excitavit, interque eos Theod. *Angelutium*, & Iac. *Mazzonium*, tandemque Romæ deceſſit A. 1597. ætatis 67. *Thuanus* lib. CXIX. p. 817. Ian. Nic. *Erythræus* P. I. Pinacoth. p. 203. Rich. *Simon* Biblioth. choiſ. P. I. 166. *Kœnig* 612. *Gravius* in Epp. p. 424. *Acontius* Ep. ad I. *Wolfium* 389.

Emundus ſive Edmundus *Figrelius*, oſtrogothus, profeſſor Hiſtoriarum upſalienſis, poſt CAROLI XI. in ſtudiis literarum informator, & Nobilis Gripenhielm vocatus, vir, *Morhofio* Polyh. T. I. lib. V. p. 236. teſte, doctiſſimus, tandem regni Senator, & Aulæ regiæ cancellarius, edidit Reip. Suecicæ cum Romana comparationem, Diagramma epicum de ultimo mundi die & vita æterna, obiitque A. 1676. ætatis 45. *Schefferus* in Suecia literata p. 176. & Io. *Moller* Hypomnem. ad h. l. p. 400.

Balthaſar *Bonifacius*, rhodiginus, Iurium doctor, pedetentim & gradatim varias adminiſtravit ſpartas: fuit enim profeſſor Inſtitutionum in Gymnaſio patrio, ſecretarius Nuntii apoſtolici in Germaniam ſuperiorem euntis, archidiaconus rhodiginus, profeſſor humanitatis in athenæo patavino, Iuris civilis in Academia Nobilium veneta interpres, archidiaconus & IV. Epiſcoporum vicarius tarviſinus, tandemque director & profeſſor academiæ Nobilium patavinæ. Creatus etiam fuit a Papa VRBANO IIX. *epiſcopus* Setiæ & Hierapetræ in Candia inſula; ſed certas ob cauſſas dignitate hac frui non potuit. Quo anno deceſſerit, non ſatis conſtat: vixit autem anno adhuc 1652. ætatis ſuæ 66. eſtque ſcribacibus adnumerandus: nam præter librum de animæ immortalitate, Diſſertationem de ariſtocratia, Elogia XXX. heroum Contarenorum, Iudicium de 40. Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus, Prælectiones in libros Inſtitutionum, Coniecturas in Martialem, Polyneſi Origines, & Hiſtoriam Indicam, ut de ineditis, ſed perfectis tamen, atque ad umbilicum perductis taceam, multæ exſtant Orationes, Carmina, Epiſtolæ, quorum omnium catalogus exhibetur in Muſei novi (Bucherſaals) Tomo V. 272.

Franciſcus *Schottus*, antverpienſis, diſtinguendus a cognomini & cive, qui A. 1617. defunctus reliquit Theſaurum exemplo-

emplorum, a puero vivacitatem ingenii ſui ad humanitatis ſtudia adaptavit eo ardore, ut præclaros in iis atque excellentes progreſſus fecerit, ceu teſtantur Itineraria, quæ ſtruxit, Germaniæ & Italiæ, atque Hiſpania illuſtrata, valdeque ſenex mortuus eſt in patria ſua A. 1622. *Ghilinus* P. II. 94. *Kœnig* 738.

Alexander *Barvoetius*, belga, cuius etiam meminit *Labbe* in B. B. p. 3. claruit ſæculo XVII.

Io. Alexander *Braſſicanus*, cuius maiores *Kohlburgeri* dicti ſunt, dynaſta ab & in Emerberg, ICtus & profeſſor academiæ in Auſtria viennenſis, pariterque, ſi *Kœnigium* p. 131. & *Mollerum* de homon. p. 653. audimus, ſummus philoſophus & philologus, ac poëta haud ignobilis, Salvianique, Eucherii, Petronii Arbitri, & aliorum auctorum editione præclare meritus, A. 1539. ut refert Mollerus, vel, ut in Lexici univ. hiſtor. Continuatione p. 51. legitur, A. 1531. mortalitati vale dixit. Iac. *Thomaſius* de Plagio literario n. 574. de Braſſicano noſtro ſcribit, eum cum Tiraquello alicubi commiſſum, lectorem poſſe dubium reddere, uter alteri plumam evulſerit.

De bibliothecis Nova acceſſio, Collectioni Maderianæ adiuncta a I. A. *Schmidtio*, D. Helmſtadii 1705. Quæ recenſetur in *Actis eruditorum* A. 1704. 209. & exhibet 1) Richardi *a Buri* Philobiblion, ſive librum de amore librorum & bibliothecarum inſtitutione, aliquoties excuſum in Anglia, Gallia, &, quæ eum iam tertia vice producit, Germania. Elegantes hic, iudice venerando *Schmidtio* in Præfatione, obſervantur meditationes de re bibliothecaria; dictio vero, ſeu dicendi genus tale, quod genium iſtorum temporum ſapit, & ignorantia amanuenſium admodum corruptum ſit. 2) *Beſſarionis* Epiſtolam, qua Senatui veneto ſuam Bibliothecam defert. 3) Gabr. *Naudæi* Diſſertationem de inſtituenda bibliotheca. Quæ de bibliotheca erigenda, conſervanda, augenda & ornanda plane egregia habet, & hic latinum in ſermonem tranſlata eſt, cum antea, in Gallia nata, hunc geſſerit titulum: Advis pur dreſſer une bibliotheque. A Paris 1644. cum Præfatione anonymi, hic quidem omiſſa, cuius auctor, ut P. G. *Krauſio* Hiſtoriæ librar. (Bucher-hiſtorie) p. 21. videtur, eſt P. Ludovic. *Iacob*; tranſlatio autem in latinum, uti *Struvius* Introduct. p. 25. tradit, Erici *Mauritii*, 4) Theophili *Spizelii* Diſſertationem de bi-

bliothecis, Sacris bibliothecarum illuſtrium arcanis detectis præmiſſam. 5) Chriſtoph. *Heidmanni* Oratio de bibliotheca Iulia. Qua ſereniſſimo Duci Friderico Vlrico de bibliotheca, ante hoc tempus in aula Guelphica aſſervata, nuper vero Helmſtadium tranſlata, nomine Senatus academici, gratias agit. 6) Hermanni *Von der Hardt* Orationem de memorabilibus bibliothecæ Rudolpheæ. Quam ſereniſſimus optimusque Princeps Rudolphus Auguſtus publicis academiæ Iuliæ uſibus munificentiſſime legavit. 7) Caſp. *Sagittarii* Orationem de bibliotheca ienenſi: in promotione Magiſtrorum dictam. 8) Iulii *Pflugk* Epiſtolam ad Vitum Ludov. *a Seckendorf* de variis bibliothecæ budenſis fatis, cum Catalogo librorum, in ultima expugnatione repertorum: qui tamen ex Bibliotheca cæſarea vindobonenſi auctior poſſet dari.

Pag. 118. In *Naudai* Diſſertatione. Novimus, quod Poggius invenerit Quintilianum *ſub menſa cuiusdam ſalſamentarii.*	*In monaſterio S. Galli.* Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. p. 423. *Krauſe* Hiſtor. librar. (Bucherhiſtorie) p. 20. & *Recanatus* in Vita Poggii p. 9.

Richardus *a Buri*, cognomento Angemillius, ſub EDVARDO Anglorum rege in eccleſia dunelmenſi epiſcopus, in Aula Magnus cancellarius & theſaurarius, e terris abiit A. 1345. I. Andr. *Schmidt* Præfat. in Novam hanc collectionem.

Beſſarion, trapezuntius, monachus ord. S. Baſilii, & archiepiſcopus nicænus, ac poſtea, quum latina dogmata adverſus Græcos defenderet, ſeque ad partes Latinorum totum converteret, S. R. E. Cardinalis, Patriarchæ CPtani titulo ornatus, & epiſcopus tuſculanus, platonicæ philoſophiæ unice addictus, atque hinc adverſarium nactus *Georgium* trapezuntium, immo ad dignitatem pontificiam, mortuo PAVLO II. electus eſt. Sed ea excidit, quia ianitor eius Nicol. *Perottus* intempeſtive ſedulus fuit, tresque ſummæ auctoritatis Cardinales, bonum nuntium adferentes, ex vano metu, heri ſui meditationes turbari, noluit intromittere. Quo factum, ut illi irati abirent, & cum ceteris collegis crearent Papam SIXTVM IV. Græce ſcripſit orationem de unione ſive concordia iucunda, Phyſicas demonſtrationes de Deo, Contra *Marcum* epheſium, Apologiam adverſus Gregorium *Palamam*, De primatu

natu Papæ, Profeſſionem fidei chriſtianæ adverſus omnes hæreſes: latine, de natura & arte, de proceſſione Spiritus S. & Epiſtolam ad Chriſtophorum *Morum*, Venetorum Ducem, de qua iam diximus: e græco autem in latinum vertit *Xenophontis* libros de dictis & factis Socratis, *Ariſtotelis* & *Theophraſti* Metaphyſica, & Correctionem interpretationis librorum de legibus, a *Gregorio* trapezuntio compoſitæ: atque e Gallia, in quam a SIXTO IV. miſſus fuerat, (ubi tamen ſoloeciſmum commiſit politicum, prius agens cum Duce Burgundiæ, quam cum Rege) rediens, Ravennæ diem ſuum obiit A. 1472. ætatis 77. Non tantum magnus erat fautor litteratorum, & Mæcenas fugientium e Græcia virorum doctorum, ita ut domus eius, tanquam xenodochium, illis pateret, ſed ipſe etiam litteris latinis æque ac græcis egregie inſtructus atque excultus. *Kœnig* 107. *Lexicon univ. hiſtor.* T. I. 559. *Anonymus* Iconum clarorum virorum T. II. D 4. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. græcæ vol. X. 401. *Magirus* 129. Mich. *Neander* Op. aur. P. II. 64. *Dallæus* de uſu Patrum 295. *Arnoldus* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. I. 412. *L' eſprit de Patin* 217.

Theophilus *Spizelius*, auguſtanus, Iac. *Thomaſii*, *Franckenſteinii*, *Rappolti*, *Carpzovii*, *Geieri*, *Kromayeri*, & *Hülſemanni* diſcipulus, abſoluto itinere hollandico diaconus, deinde paſtor ad D. Iacobi in urbe patria, tandemque ſenior Miniſterii euangelici, vir miti ingenio, ſuavi humanitate, integritate eximia, ſincera pietate, & multivaria eruditione præditus, eoque felicior, quo magis ab amore mundi & vanitatum cupiditatumque terrenarum ad Dei cultum ac venerationem converſus fuit, multa ac varia edidit ſcripta, quæ a nobis poſthac recenſebuntur, interque ea Commentarium de re litteraria Sinenſium, Scrutinium atheiſmi, Examen vaticinii cuiusdam anglicani de ultimo Romæ excidio, Libellum de atheiſmi radice, Amicam collationem de vaticiniis quibusdam angelicis, & Confractam poteſtatem tenebrarum contra magorum cum diabolo commercium, de qua legi poteſt illuſtris Chriſtianus *Thomaſius* diſp. de Crimine magiæ p. 12. atque A. 1691. menſe Ianuario, cum iam cubitum ire vellet, præter opinionem, at non citra præparationem ad mortem, animam exhalavit, cum vixiſſet annos 51. *Pipping* Memor. theologor. p. 563. & in Arcanis biblioth. thomanæ lipſ. ſacris p. 301. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuevor. 158. *Acta erudit.*

A. 1685. p. 184. & A. 1691. 96. *Crenius* in Theſauri volumine II. 74. *Wolf*. Biblioth. hebr. in Præfat. p. 3. *Morhof* Polyhiſt. 38. Io. Phil. *Slevogt* in Iudicio ſapientum p. 35.

Iulius *Pflugk*, Eques ſaxonicus illuſtris familiæ, natus Ienæ, iis dotibus præditus eſt, quæ eruditum Nobilem ornare poſſunt ac debent, & poſt religionis mutationem Canonicus factus, ſingularem apud auguſtiſſimum prudentiſſimumque Imp. LEOPOLDVM gratiam obtinuit. Quod omnibus elogiis merito eſt præferendum.

De bibliothecis Acceſſio altera, Collectioni Maderianæ adiuncta a I. A. *Schmidt*, D. Helmſtadii 1705. Qua continentur 1) Ioan. *Lomeieri* liber de bibliothecis, antea excuſus Zutphaniæ A. 1669. & auctior Vltraiecti A. 1680. *Nemo autem mirabitur*, celeberrimus ait *Schmidtius* in Præfatione, huic alteri Acceſſioni præmiſſa, *eum rem omnem, vaſto hoc argumento comprehenſam, non exhauſiſſe, cum illum apparatum, quem præſens tractatio poſtulat, nec habuerit, nec obtinere potuerit, omni ſæpe diligentia adhibita. Accuratus nihilominus eſt in vetuſtioribus: & in recentioribus, quamvis parcius ea recenſeat, interdum aliqua habet, quæ alibi non apparent; ut recte iudicat* Morhofius Polyhiſt. lib. I. cap. 17. n. 15. 2) Burchardi Gotthelf *Struvii* Hiſtoria & memorabilia bibliothecæ ienenſis. In quibus recenſentur bibliothecæ origo, augmentum, fata, diſpoſitio, præſtantiores libri, rariora MSS. numophylacium Boſianum, picturæ & cimelia alia, effigies Ducum Saxoniæ & Profeſſorum, ſceleta rariora, & bibliothecæ præfecti. 3) Henrici *Pippingii* Arcana bibliothecæ Thomanæ lipſienſis ſacra retecta. Reteguntur videlicet ortus & incrementa huius bibliothecæ, obſervationes monitaque voluminibus hinc inde allita communicantur, & excerpta non nulla dantur ex Mich. *Stifelii* commentario in Apocalypſin Ioannis. In Dedicatione probatum it auctor, Leon. *Hutterum* non primum fuiſſe, qui locum 1. Io. V, 7. Bibliis germanicis A. 1606. prodeuntibus infarſerit, ſed eum iam exſtare in Laur. *Seuberlichii* editione wittebergenſi A. 1604.

Pag. 150. In Lomeieri libro de Bibliothecis. *Si vixit* (Benedictus Brugnolus,) hoc eum tempore vixiſſe colligo. *De eo non eſt dubium*. G. M. *Kænig* 137. H. L. *Schurzfleiſch* in Actis literariis p. 13.

In

169. Poggius Fab. Quintilianum, ſub tempus *Conſtantiaci conventus, ex Gallia* Romam deportavit, *in ſalſamentarii taberna repertum.* | In priori *confunditur* Conſtantia Germaniæ cum Conſtantia Galliæ: poſterius iam ſupra *dilutum fuit.* p. 500.

Burcardus Gotthelf *Struve*, natus Vinariæ A. 1671. die 26. Maii, Georg. Adami *Struvii* illuſtris ICti filius, Chriſtoph. *Cellarii*, cui etiam in emendando Fabri Lexico manus auxiliatrices porrexit, G. *Schubarti*, Pet. *Mülleri*, Henr. *Meibomii*, Georg. *Engelbrechti*, Sam. *Stryckii* & Pet. *Schulzii* diſcipulus, e Belgio ſecunda vice redux, non ſatis habuit litteras excoluiſſe, & ſcientias didiciſſe, niſi ebræam quoque linguam cognoſceret, & Deum in fonte loqui audiret. Et quamvis per tentationes, quibus aliquandiu affligebatur, a ſtudiis abſtraheretur, ad ea tamen poſtea rediit, & bibliothecæ ienenſi præfectus ſcholas privatas aperuit. Philoſophiæ & Iuris utriusque doctori creato Hiſtoriarum profeſſio fuit demandata: quantum vero eam ornaverit, & ſcripta viri loquuntur, & illi, qui ſub eo profecerunt, luculenti ſunt teſtes. Neque obſtare potuerunt variæ calamitates, in re etiam familiari, quo minus ſe colligeret, viriliter adverſa perferret, fortem athletam & bonum chriſtianum ſe oſtenderet, & igne iſto probatus ad maiora aſcenderet. Nam sereniſſimi Saxoniæ Duces, eruditionem, dexteritatem & merita eius reſpicientes, egregiis eum muneribus admoverunt, ita ut iam ſit conſiliarius Saxo-vinarienſis, hiſtoriographus Lineæ Saxo-Erneſtinæ, & anteceſſor ſeu profeſſor Iuris. Atque ut ad ſcripta eius veniamus, dedit ille nobis *Struvium* non errantem, contra Antonii *a Mara* inſulſas obiectiones, Bibliothecam numiſmatum antiquiorum, Famam batavicam, Reflexions ſur le projé de paix, dreſſé par la France, Io. Frid. *Knorrii* Diſcurſum Iuriscanonici de pœnitentia eccleſiaſtica, Antiquitatum romanarum ſyntagma, Petri *Mulleri* Iurisprudentiam criminalem, Acta literaria, Bibliothecam Iuris ſelectam, Pios Manes Struvianos ſive Vitam patris ſui, Bibliothecam antiquam, Supplementa Hiſtoriæ novæ C. *Cellarii*, Grundliche ausfuhrung, ſive Solidam deductionem gravaminum religionis inter Romano-Catholicos & Euangelicos in Imperio germanico, Diſſertationes de ludis equeſtribus, auro fluviatili, iure bibliothecarum, ruta ſaxonica, mortibus illuſtrium, doctis

doctis Italiæ naturaliſtis, & alia. *Zeumer* in Vitis philoſophorum ienenſ. 216. & *Ancillonius* in Memoriis viror. celebrium p. 263. qui magni ſe æſtimare eius eruditionem & merita, candide profitetur.

Henr. *Pipping*, lipſienſis, natus A. 1670. die 2. Ianuarii, Io. Bened. *Carpzovii* diſcipulus, philoſ. & theol. D. ac primum eccleſiaſtes in patria ſua, nunc ſummus ſacrorum in Aula dreſdenſi antiſtes, conſiliarius eccleſiaſticus, & ſupremi Synedrii aſſeſſor, a Chriſtiano *Feuſtelio* Chryſologus apud Lipſienſes facundiſſimus dictus, iam vero, dum archiepiſcopali quaſi dignitate gaudet, Chryſoſtomus dresdenſis dicendus, varias elegantiſſimasque Diſſertationes, quæ & iunctim prodierunt, edidit, item Memorias theologorum, & Heptada eorum, qui, ut ut theologi profeſſione haud fuerint, ſcripta tamen ediderunt, aut tranſtulerunt, aut inchoata reliquerunt theologica: præterea Hiſtoricam introductionem in libros ſymbolicos Lutheranorum, quæ libro Concordiæ A. 1703. in 4. edito adiuncta eſt, Moſis Sententiam de ætate hominum octogenaria, & Conciones funebres, comitiales, inaugurales in introductione Superintendentium, & valedictoriam lipſienſem, atque aditialem dreſdenſem. Vide, ſi placet, *Acta erudit.* A. 1703. 238. A. 1705. 230. A. 1707. 282. A. 1708. 236. Io. Alb. *Fabricium* de claris Fabriciis p. 10. *Crenium* Exercit. IV. de libris ſcriptor. opt. §. 46. p. 50. & Chriſtoph. Iac. *Blumium* in Epiſt. ad *Pippingium*, d. 2. Maii A. 1719. ſcripta, qua ei novam dignitatem gratulatur. *Sed quid* dixi, eum illa adhuc frui? Immo repentina atque imm*atura morte*, magno bonarum mentium dolore, abreptus eſt menſe Aprili huius anni 1722.

Chriſtiani IVNCKERI Hiſtoriſche nachricht, Hiſtorica narratio de bibliotheca publica Gymnaſii iſenacenſis, cum Diſſertatione ſive Programmate de aliquibus in Electoris & Ducum Saxoniæ terris bibliothecis. Iſenaci 1709. In qua pluribus agit de M. Chriſtoph. *Winero*, conrectore ſcholæ gothanæ, & poſtea paſtore ſunthuſano, rariſque libris accenſet Biblia latina V. & N. T. edita Noribergæ A. 1478. Pſalmorum Davidis codicem latinum Moguntiæ impreſſum A. 1490. ſive, ut in fine additur, in nobili civitate Moguntina, huius (typographicæ) artis inventrice elimatriceque prima: Biblia germanica Noribergæ 1483. *Ciceronis* opera,

ra, Lutetiæ 1584. & *Friderici Wilhelmi*, Sax. Ducis, & Adminiſtratoris Electoratus, Exercitationes horarum ſubſecivarum, Torgæ 1598.

Chriſtianus *Iuncker*, dreſdenſis, Philoſ. magiſter, conrector ſchleuſingenſis, deinde rector ſcholæ iſenacenſis, ad hæc hiſtoriographus ſaxonicus, & tandem director Gymnaſii altenburgici, plures alias vocationes recuſavit, nec tantum in docenda iuventute ſedulum ſe exhibuit, ſed & plura edidit ſcripta, videlicet Translationes quorundam ex gallico idiomate, Auctores claſſicos cum notis, Libros hiſtoricos, Diſputationes, Programmata, & Epiſtolas, quæ omnia longum foret commemorare, & ex mœrore, ob inopinatum ſecundæ uxoris, intuitu felis perterrefactæ, obitum, febrim acutam ſibi contrahens in mortis manus incidit A. 1714. cum nondum abſolviſſet annum ætatis 46. *Eccardus* Extract. menſtr. A. 1702. m. Mai. p. 99. *Muſeum novum* T. III. 231. *Erudita fama* Tomo IV. 120. & *Biblioth. nova* T. V. 528. Quibus adde clariſſimi noſtri S. F. *Hahnii* Programma A. 1717. p. 5.

CLXIIX.

Ern. Sal. CYPRIANI Catalogus codicum MSStorum Bibliothecæ gothanæ. Lipſiæ 1714. Iſque non ſine ſtudio confectus, & Obſervationibus illuſtratus brevibus, nec ex hiſtoria literaria congeſtis, ſed ad MSStos unice pertinentibus. Recenſetur in *Actis erudit.* A. 1715. p. 18. *Muſei novi* vol. IV. 402. & a *Clerico* Biblioth. vet. & novæ T. IV. 78. atque additur in fine Chriſtiani *Schlegelii* Epiſtola de codice willigiſano, cuius *Cyprianus* mentionem fecerat p. 11. & ipſe ſtatuens, illum ipſum, S. Auguſtini libros XXII. de Civitate Dei continentem, ſcriptum fuiſſe circa annum Chriſti 1000. quo Willigiſus Eccleſiam regebat moguntinam.

Clarorum virorum Epiſtolæ CXVII. e Bibliothecæ gothanæ autographis. Lipſiæ 1714. Cum Præfatione Ern. Sal. CYPRIANI: in qua ſententiam ſuam, ſine dubio omnibus ſapientibus communem, promit, quæ hæc eſt, epiſtolas ad familiares ſcriptas indiſcriminatim publicare, ab humanitatis officiis non minus abhorrere, quam mortuorum violare monumenta: liceat & hoc addere, aut vivorum ædibus vim inferre. Deinde oſtendit, ſe tales non adferre, quibus auctores earum ulla ratione lædi poſſint, quin

potius Epiſtola CX. clar. viri Iuſti *Lipſii* famam vindicari contra illos, qui eum Iena clam aufugiſſe commenti ſunt. Ceterum Epiſtolis hiſce notulas quasdam addidit doctiſſimus maximeque induſtrius D. Cyprianus. Epiſtolæ autem ſunt *Altbuſii*, *Altingiorum*, Tob. *Andreæ*, *Aventini*, *Bezæ*, *Buxtorfii*, *Campegi*, *Faii*, *Fullenii*, *Goulartii*, *Hardenbergii*, *Henrici VIII* R. Angl. *Horneii*, *Hovaii*, *Ionſtoni*, *Iunii*, *Kœtteritzii*, *Lipſii*, *Ludolfi*, *Melanchthonis*, *Mentzeri*, *Moſellani*, *Parei*, *Paſoris*, *Perizonii*, *Pflugii*, *Piſcatoris*, *Plathneri*, *Polani*, *Remi*, *Schardii*, *Thaunii*, *Toſſani*, Conr. *Vorſtii* & *Wittebergenſium theologorum*. Vide iterum *Acta erudit.* A. 1715. 21. *Muſeum novum* vol. IV. 415. & *Clerici* Biblioth. anci. & moderne T. IV. 84.

Andreæ SENNERTI Catalogus exſtantiorum, fereque claſſicorum librorum Bibliothecæ academiæ wittebergenſis. Wittebergæ 1678. Libri commemorantur theologici, iuridici, medici, philoſophici, hiſtorici, orientales; & qui noviter de anno 1672. acceſſerunt. De auctore dictum a nobis eſt ſupra, p. 206.

Scriptorum inſignium, qui in celeberrimis, præſertim lipſienſi, wittebergenſi & francofordiana ad Oderam academiis, a fundatione ipſarum uſque ad annum 1515. floruerunt, Centuria, ab auctore eius temporis *anonymo* concinnata, nunc vero in lucem edita a Ioach. Io. MADERO. Helmſtadii 1659. *Anonymus* ille videtur ex lectione libri Ioannis *Trithemii* de eccleſiaſticis ſcriptoribus, cum in eo multos videret prætermiſſos, occaſionem ſumſiſſe concinnandi hoc opuſculum, & *Maderus* in præfatione teſtatur, codicem hunc olim fuiſſe Matthiæ Flacii, ſeque habere ſimilem aliam Centuriam, a monacho quodam hildesheimenſi collectam.

Io. Chriſtfridi SAGITTARII Syllabus Epiſtolarum D. Mart. Lutheri, ab A. C. 1529. uſque ad annum 1646. ſcriptarum. Altenburgi 1663. Eo fine editus, ut ante, quam inde tertius Epiſtolarum Lutheri tomus formaretur atque ederetur, eruditi, litteras ſummi viri aliquas poſſidentes, ad earum benevolam ac liberalem communicationem, quo cum ceteris evulgari poſſent, excitarentur.

Io. Chriſtfridus *Sagittarius*, vratislavienſis, Thomæ filius, *Slevogtii*,

voigtii, *Dilherri*, *Horſtii*, *Stahlii*, & *Zeiſoldi* in humanioribus ac philoſophicis, *Maioris* autem, *Gerhardi*, *Himmelii*, & *Glaſſii* in theologicis diſcipulus, gradibus aſcendit ad theologicæ dignitatis altitudinem: primum enim fuit conrector ſcholæ curienſis, deinde rector ludi ienenſis, tum, impetratis prius honoribus doctoralibus, ephorus orlamundanus, tandemque per Ducatum altenburgicum ſuperintendens generalis, ſupremus Aulæ concionator, & Synedrii eccleſiaſtici aſſeſſor, vir per omnia præclariſſime meritus. Scripta, quibus inclaruit, ſunt Otium ienenſe, Selectiores diſſertationes, Notæ in *Clapmarium* de arcanis Rerum publicarum, Hiſtoriæ biblicæ V. & N. T. Index generalis in Tomos Lutheri germanicos, & univerſorum operum Lutheri editio, quæ, ut accuratiſſima, ita immortale ei nomen peperit. Interim ipſe communem hominum ſortem expertus eſt, ac mortuus A. 1694. cum vixiſſet annos 77. *Pipping* Memor. theolog. 280. *Getter* Elogior. altenburg. p. 56. Hadr. *Beier* in Rector. ienenſ. 1030. & *Ludovici* Hiſt. Schol. P. IV. 188.

Chriſtiani RAVII Spolium orientis, chriſtiano orbi dicatum. Kilonii 1669. Eſt Catalogus MSS. orientalium in omni ſcibili, non ſine crebris vitæ periculis, Conſtantinopoli, & alibi, per triennium multo ære conquiſitorum: quæ nunc in Germaniam, ad multorum gazæ orientalis cupidorum deſiderium, devecta, Principibus, Rebuspublicis, Academiis & Bibliothecis publicis eo fine venalia offeruntur, ut & maiori publico uſu proſtent, & ad muhamedicæ religionis certiorem detectionem, ac lucrifaciendos, qua licet, infideles, præclariora quæque paulatim edi poſſint, non defutura propria, aut aliorum prompta & fideli interpretis opera. Poſt Catalogum affatur auctor lectorem, dicens: Non ſolos iſtos a ſe indicatos tractatus in bibliotheca ſua exſtare, ſed inſuper ſexcentos alios: indicatum pretium non eſſe ex impreſſorum noſtrorum viliori conditione æſtimandum: ſibi curæ fuiſſe non corradere ſcripta orientalium, ſed optima ſeligere: multos ſuorum codicum fere 500. vel 600. annorum ætatem ferre, immo non nullos in pergameno ſcriptos fere ad 1000. annorum vetuſtatem aſcendere: ſe per 18. iam annos fuiſſe intentum occaſionibus edendorum cum verſione & notis ſuis *Alcorani*, & *Apollonii* Pergæi arabici, paratum etiam eſſe ad divulgandam Chronologiam unicam,

veram & infallibilem ſacro-profanam, & Catalogum arabicorum auctorum longe uberiorem. Hiſce ſubiungit Epiſtolas *Gaulmynii, Plempii, Hardyi*, & Leonis *Allatii* ad ipſum ſcriptas, ac tandem ſuadet, ut Collegium inſtituatur orientale de propaganda fide, quo non ita magnis ſumtibus VI. ad minimum iuvenes excitatioris ingenii alantur, qui intra quadriennium ea perfectione linguarum orientalium, (hebrææ, chaldæo-ſyræ, rabbinicæ, arabicæ, perſicæ, turcicæ, atque æthiopicæ) eaque doctrina cœleſtis peritia inſtruantur, ut bini eorum ad ſynagogas Iudæorum, bini ad turcicas ſedes, infideles convertendi cauſſa, mitti, & quaternis ſemper annis cum totidem novis commutari, reverſi autem ad eccleſias vel ſcholas adhiberi poſſent.

Chriſtianus *Ravius*, natus Berolini, linguas orientales profeſſus eſt Vltraiecti, Oxoniæ, Vpſaliæ, Kilonii & Francofurti ad Viadrum, & ultimo horum locorum obiit A. 1677. ætatis 64. Scripſit multa & varia, ex quibus ſunt Orthographia arabica, Catena magnetica, Fons Sionis, Chronologia biblica, Orbis hieraticus, Arcana biblica, & alia. Mar. *Rhodius* in Programmate funebri, Clem. *Brechs* in Pia memoria, Io. Chriſt. *Becmann* Notit. univerſit. francof. 267. G. I. *Voſſius* Epp. p. 315. 323. 324. *Feller* Monument. inedit. vol. I. 569. & Io. *Moller* Hypomnem. ad Schefferi Sueciam literatam 463. qui in Cimbria ſua literata fuſius de eo eſt acturus.

Catalogus librorum Marq. GVDII. Kilonii 1706. *Eo maioris* pretii, quo nobiliores, ac rariores continet libros: nam Bibliotheca Gudiana exquiſitiſſimis libris in theologia, iure, medicina, hiſtoria literaria, omnique alio ſtadiorum genere erat inſtructiſſima; in primis autem a viris doctiſſimis, *Scaligero, Blondello, Salmaſio*, aliisque emendatorum, ac eorum manu notatorum, & MSS. codicum arabicæ, græcæ latinæque linguæ, quorum plurimi lucem nondum viderunt, præclariſſimo uberrimoque apparatu, cum nulla privatarum comparando. De poſſeſſore, beatis iam adſcripto, non eſt, quod denuo agamus: id enim factum P. IV. 14.

Catalogus librorum Melch. SMIDII. Helmſtadii 1706. Etiam hi ſunt ſelecti, in theologia, iure, medicina, hiſtoriis, philoſophia, philologia, & linguis gallica, atque italica.

Melch. *Smidius*, brunſvicenſis, *Schraderi*, *Rachelii*, *Rixneri*, *Cellarii*,

Cellarii, Titii, Calixti & *Hildebrandi* diſcipulus, in academia gieſſena diſputavit de Tabernaculo Moſis, & ex itinere gallicano redux Diſſertationem edidit de variis linguæ græcæ mutationibus, quæ adeo placuit sereniſſimis academiæ Iuliæ Nutritoribus, ut ei profeſſionem græcarum literarum ordinariam demandarent. Ampliſſimum hunc campum nactus, non tantum publice, ut par erat, Veneres omnes & ληκύθους græcæ linguæ expoſuit, ſed etiam privata opera in lingua latina & græca, philoſophia practica, & in primis geographia hiſtorica, & optimorum ſcriptorum notitia, iuvenes exercuit. Atque, ut gallicæ linguæ erat ſtudioſiſſimus, eiusque haud contemnendam ſibi acquiſiverat notitiam, ita * *anonymi* de actione oratoria libellum e gallico in latinum convertit: cumque Collegii theologici examini ſe ſubmiſiſſet, Diſputationem, ut vocant, inauguralem, pro conſequendis honoribus doctoralibus, de ſcripturarum ſacrarum divina inſpiratione propoſuit, poſteaque, ut doctorandus, privatas ſcholas plurimas uſque ad obitum habuit. Idem fuit ſenior Facultatis philoſophicæ, & Bibliothecæ academicæ præfectus; ſed, ut iuvenis cachexia laborare cœpit, ita, ingraveſcente ætate, tumore pedum, catarrhis ac tuſſibus vexatus, placidiſſima morte obdormivit A. 1697. cum vixiſſet annos fere 59. Hoc tantum addimus, doctrinam eum habuiſſe cum eruditioribus, pietatem cum paucis, candorem cum pauciſſimis communem, ſuum vero ſibi proprium ſimpliciter agendi & vivendi characterem, procul faſtu, ſimulatione & fuco. Henr. *Meibomius* in Programmate huius viri funebri.

CLXIX.

Philoſophia Altorfina, h. e. Phil. SCHERBII, Ern. SONERI, & Mich. PICCARTI Diſputationes philoſophicæ, in unum faſciculum collectæ, & ab interitu vindicatæ a Io. Paulo *Felvvingero*. Noribergæ 1644. Ex Diſputationibus ſunt *Scherbii*, de artis apodicticæ fragmentis, & altera adverſus Ramiſtas: *Soneri*, duæ de materia prima: *Piccarti*, de IV. organis της ευπορίας προτάσεων, de endoxis, de cauſſis rerum, an notæ ſint dialectico? de cauſſis, de ſede demonſtrationum, de pædia, philoſophia, petitione eius quod in principio, notis propoſitionum neceſſariarum, of-

 ficiis

* Qui eſt Mich. *Le Faucheur*.

ficiis dialecticí interrogantis, principiis ſcientiarum, iudicio & acumine, definitione, veritate, cauſſis corruptæ philoſophiæ, nominibus eorumque impoſitione & uſu, demonſtratione, doctrina elementari veterum, officiis dialectici reſpondentis, prædicamento ſubſtantiæ, oppoſitis, problemate & propoſitione dialectica in genere, ſophiſticis elenchis male exterminatis, inductione, V. univerſalibus, uſu diviſionum, republica & eius formis, diſſimilitudine ac ſimilitudine ſcientiæ & artis, notioribus natura & nobis, duplici res tractandi modo, ſcientiæ natura, natura actuum ſecundorum, iure victoriæ bellicæ, modis inveſtigandæ definitionis, ordine doctrinæ in tradendis diſciplinis, de criteriis ſcientiarum, accidente, iure belli, ac de origine & diviſionibus reip. ac variæ Quæſtiones, logicæ, metaphyſicæ & miſcellæ. Sunt etiam duæ Diſputationes, altera problemata miſcellanea proponens, altera de iride cæleſti, quas moderatus eſt Sonerus; ſed prioris auctor perhibetur eſſe Io. *Leopoldus*, poſterioris Andr. Ludov. *Schopper:* atque ideo ſeiunctæ ſunt a prioribus. Nec minus hic dantur Orationes, *Soneri* quidem duæ, de inſomniis, & vita contemplativa; *Piccarti* octo, de ortu primo & migratione veterum Germanorum, de Principe, expediatne, ſubtrahere ſe oculis ſubditorum, de magnanimitate romana, de theologia *Ariſtotelis* & *Platonis*, funebris in memoriam Scip. *Gentilis*, de miſeria hominis, Revocatoria cœtus academici poſt peſtem anni 1612. deque indiciis bonæ indolis. Adduntur in fine operis, & poſt Indicem, duæ Orationes, altera *Scherbii*, de idoneo iudice earum controverſiarum, quæ in artibus naſci ſolent, ex ſententia Galeni; altera *Soneri*, de Theophraſto Paracelſo, eiusque pernicioſa medicina. Et hæc philoſophia altorfina in *Omeiſii* Gloria acad. altorf. p. 108. appellatur aurea: præclare etiam de triumviris hiſce ſentit *Morhofius*, Polyhiſt. T. II. 62. ſcribens: *E Germanis præcipua laude afficiendi ſunt Altorfini, ut qui philoſophiam Ariſtotelicam præclaris ingenii monumentis illuſtrarunt*, Phil. Scherbius, Ern. Sonerus, Mich. Piccartus: *quorum extant opera varia, eleganti ingenii acumine, & ſtylo non inculto ſcripta.*

Phil. *Scherbius*, epiſcopocellenſis helvetius, Philoſ. ac Medic. doctor, & utriusque profeſſor in academia altorfina, iuris publici fecit Commentarium in Politicam *Ariſtotelis*, & Silvam medicamentorum, quæ uſus quotidianus exigit, vitæque ſuæ finem expertus

pertus eſt A. 1605. *Witte* Diar. biograph. D 4. & *Omeis* in Gloria acad. altorf. 66. 103. 166. *Conringio* ipſe & Piccartus ſunt duo illa magna ariſtotelicæ philoſophiæ apud Altorfinos lumina, ut bene obſervavit *Eybenius* ad Magirum p. 736. Cui adde *Crenium* Methodor. T. I. 424. & T. III. 375. ac *Richteri* Epp. p. 591.

Erneſtus *Sonerus*, noribergenſis, civis ac viri præſtantiſſimi, atque ob virtutes ſuas egregias a Cæſare MAXIMILIANO II. omnibus, quibus nobiles nati gaudere ſolent, privilegiis donati, filius, ſingulari erga litteras ardore flagrans, nec minori felicitate eas ſibi familiares reddens, atque ideo facile in alumnorum altorfienſium numerum receptus, poſtque ea aureo, uti vocant, ſtipendio ab ampliſſimo Senatu noribergenſi inſtructus, & magiſtri in Philoſophia titulo condecoratus, non ſatis eſſe putavit, ut litterarum & ſcientiarum merces, quas fideli doctorum, *Glaciani*, *Scherbii* & aliorum informatione ſuaque induſtria per Dei gratiam ſibi comparaverat, poſſideret, niſi illas divitiis apud exteros quærendis inſigniter augeret. Itineri itaque ſe dedit germanico, belgico, anglico & italico, cum ſummis illarum terrarum viris amicitiam contraxit, Patavioque, quam urbem bis ſalutavit & incoluit, Baſileam veniens, doctoris in Medicina inſignia atque titulum petiit, ſummaque cum laude adeptus eſt. Hoc ornatus honore patriam urbem repetiit, & cum conſenſu inclyti Magiſtratus Collegiique medici praxin medicam feliciter exercuit, donec a laudatiſſimo ac ſapientiſſimo Senatu locum incomparabilis Scherbii occupare, & profeſſionibus eius philoſophicæ ac medicæ in academia altorfina præeſſe iuberetur: Scherbius enim non poterat ſibi optare ſucceſſorem aptiorem, nec dignior tunc reperiebatur Sonero. Poſtquam vero utramque ſpartam per aliquod temporis ſpatium egregie ornaverat, editisque ſcriptis maximam ſibi famam acquiſiverat, apoſtematis peſtilentialis genere, quod anthracem vocant, oppreſſus, ac præmatura morte abreptus fuit anno 1612. ætatis 39. Mortuo parentavit Georg. *Richterus*, atque inedita eius opuſcula, Prælectiones videlicet pathologicæ, Modus diſcendi medicinam, & Commentarius in IIX. libros Phyſic. Ariſtotelis, hærent in manibus illuſtris medici ac polyhiſtoris, Io. Mauritii *Hoffmanni*. Vide *Omeiſii* Gloriam acad. altorf. p. 67. 108. 166. *Wittium* Memor. medicor. 18. *Gundlingiana* P. I. 26. Epp. *Richteri* 146. 258. 591.

Crenium

Crenium Animadverſ. P. V. 242. & *Ruarum* Epp. P. II. 173. Fama quidem tulit, ſocinianis eum ſententiis addictum fuiſſe, iisque doctiores imbuiſſe ſtudioſos, quorum aliqui Witteberga vocati, & tam diu Norimbergæ cuſtuditi ſunt, donec recantarent: ſed D. Iac. *Schopper*, qui viri collega fuit, & moribundo ſolatiis præivit, teſtatur, eum verbum Dei præ cunctis ſcriptis amaſſe & æſtimaſſe, atque in hac confeſſione, *Chriſtum eſſe verum Deum & hominem, ac ſe totum Chriſtum, tanquam Deum & hominem, ſecundum utramque naturam, in una perſona, adorare; eos vero ex animo deteſtari, qui maieſtatem Filii Dei quoquo modo imminuerent, cui colendo & adorando nulla ſatis devotio mortalium eſſe poſſit.* Videatur *Crenius* Animadverſ. P. V. 246.

Io. Paulus *Felvvinger*, noribergenſis, *Stahlii*, *Slevogti*, *Maioris*, *Gerhardi* & *Himmelii* in univerſitate ienenſi, *Calixti* & *Horneii* in academia Iulia diſcipulus, Philoſophiæ magiſter, ac primum inſpector alumnorum, deinde profeſſor Logices ac Metaphyſices, tandemque etiam Politices in univerſitate altorfina, multa ſcripſit in theologicis contra Pontificios & Socinianos, in logicis item, metaphyſicis, ac politicis, quorum omnium plenus exſtat catalogus in *Omeiſii* Gloria acad. altorf. p. 128. poſt orationem Io. Iuſtini *Arnſchvvangeri*, in Felwingeri honorem ac memoriam habitam. Vide eundem *Omeiſium* p. 107. 108. *Kolerum* Præfat. in Methodum diſputandi, & *Acta Sarcmaſiana* p. 34.

Phil. SCHERBII Theſes philoſophicæ. Helmſtadii 1659. Hæc editio melior & auctior priore, quæ prodiit Ambergæ A. 1603. Atque Theſes illæ ſunt diſputationes, quarum 1. agit de libris Ariſtotelis acroamaticis & exotericis: qua in compendium trahuntur, quæ Octavianus *Ferrarius* integro libro produxerat. 2. de differentiis Analytices & Dialectices. 3. de differentiis Logices & Dialectices. 4. de differentiis Rhetorices & Dialectices. 5. de genere ſyllogiſmi, ſive de λογω. 6. de definitione Definitionis. 7. de differentiis Definitionum. 8. de diſcendi docendique prudentia, h. e. παιδεια. 9. de categoriis. 10. de communibus ad unum, eorundemque explicandorum ratione. 11. Theſes politicæ. 12. Excerpta politica. 13. Politica medica. 14. Theſes phyſicæ. 15. de notioribus natura & nobis. 16. de univerſalibus. 17. Artis apodicticæ fragmenta. 18. de cauſis mutationis & interitus rerum publicarum.

Ern.

Ern. SONERI Commentarius in libros XII. metaphyſicos Ariſtotelis. Ienæ 1657. Non ab ipſo, ſed a *Felvvingero* eius ſucceſſore, editus: qui tamen præoccupat in Præfatione aliorum obiectionem, qui dicere poſſent, auctorem eſſe ſuſpectum, & docere quædam erronea, e. g. *Nos in reſurrectione habituros alia corpora, Intellectum agentem eſſe ipſum Deum, Angelos habere corpora, Deum non eſſe infinitum.* Hæc omnia fatetur editor: interim, quia Sonerus textum Ariſtotelis perſpicue & genuine explicavit, nec difficile eſt lectoribus iudicare, in quantum ille ſequendus vel negligendus ſit, & alii quoque libri ſententiis noſtris contrarii ab ipſis interdum noſtratibus in lucem producuntur, ideo ille putavit inſtitutum ſuum a viris bonis & æquis neutiquam in peiorem partem raptum iri. Martinus *Ruarus* in Epiſtolis Richteri p. 392. fatetur, non nulla hic ſatis periculoſe, & paulo magis peripatetice, quam chriſtiane diſputari, attamen non eius ſcopum fuiſſe, religionis chriſtianæ dogmata convellere, ſed oſtendere, quid & quantum de ſummis rerum cauſſis, ipſoque primo ente, naturæ lumine, philoſophorum coryphæo Ariſtoteli conſtiterit, aut nobis in illius veſtigio hærentibus conſtare poſſit. Et Dan. *Heinſius* in iisdem Epiſtolis p. 146. laudans Soneri viam, qua veſtigiis philoſophi inſtitit, mentem eius explicavit, & inutiles amputavit quæſtionum racemos, Commentationes eius ait mire ſibi placuiſſe, & dignas eſſe quæ edantur, ſeque operam ſuam, ſi requiratur, ad publicationem libenter collaturum. Nec minus earum editionem adprobat Pet. *Bertius* apud Crenium. P. V. Animadv. p. 250.

CLXX.

Henrici NICOLAI Tractatus de pane. Dantiſci 1641. Eſt tractatus philoſophico-theologicus, medicus & philologicus, quo agitur de panis natura, uſu, affectionibus & diviſionibus; & ſic etiam de pane euchariſtico, ac fermentato, eiusque diviſionibus.

Henricus *Nicolai*, dantiſcanus boruſſus, diſtinguendus a cognomini monaſterienſi, & Familiſtarum inter Anabaptiſtas parente, Philoſophiæ magiſter, & Logices ac Metaphyſices patrio in Gymnaſio profeſſor publicus, hoc munere tanta diligentia & laude defunctus eſt, ut Georgius Wilhelmus, ob ſapientiam & heroica facta valde celebris, Elector brandenburgicus, & Ge-

Digitized by Google

orgius Landgravius Haſſiæ, gradum theologiæ doctoris ſine ullis ei ſumtibus offerrent, ipſe autem tam fuit modeſtus & ſorte ſua contentus, ut gratiam illam deprecaretur. Sicut erat doctiſſimus, ita & ſpiritu præditus erat modeſto pacisque & concordiæ amante, & utrumque hoc ſcripta eius demonſtrant, videlicet Diſputatio de magicis actionibus, Gymnaſium logicum, & ethicum, Panſophia liberalis, Tractatus de notitiis naturalibus, Disquiſitio magnetica, Commentatio de aſtrologiæ veritate, Paſſionalia, Paſchalia, Pentecoſtalia, Michaëlia, Irenicum eiusque Defenſio, Tractatus de non liquendo in theologicis & philoſophicis, Methodus Trinitatis, Exercitatio de medio religioſo & theologico, & alia. Hinc ſibi attraxit odium Theologorum, & Magiſtratus ab illis excitati indignationem, ita ut ob inobedientiam, ut ferebatur, ab officio fuerit remotus. Sed mox receptus fuit in Gymnaſio elbingenſi ad profeſſionem theologiæ & philoſophiæ, tandemque profeſſor honorarius fuit, pariterque prædicti Electoris brandenburgici conſiliarius eccleſiaſticus. Reverſus A. 1658. Dantiſcum, de motis ſuper Irenico ceterisque libris ſuis, quos ſyncretiſticos vocabant, controverſiis colloquium ſive examen ante obitum A. 1660. ſuſtinere coactus eſt ſatis durum ac rigoroſum. Vocatus namque ſacerdos, qui ipſum cum Deo reconciliaret & ſacro muniret viatico, pro facultate ſua graviter eum admonuit, ut ſuam non tantum conſcientiam & totam vitam, ſed ſua *etiam ſcripta* ſedulo inquireret & examinaret. Cumque noſter reſponderet, multa ſcriptis ſuis eſſe afficta, ille regerebat, de omnibus hoc dici non poſſe. Aegrotus obvertebat languorem ſuum, ob quem multa loqui nequeat; ſed ſacerdos, tempore ſuoque iure utens, rei neceſſitatem urgebat, ac denuo eum ad pœnitentiam hortabatur. Quibus monitis tandem Nicolai locum præbuit, reſpondens: *Si quidam errores in meis ſcriptis occurrunt, reiiciantur.* At alter hypothetica hac reſponſione neutiquam contentus, ſtimulabat eum ad ſimplicem, nulloque modo reſtrictam confeſſionem, nempe ut confiteretur, ſcripta ſua erroribus eſſe infecta. Quid faceret miſer hiſce in anguſtiis & tormentis? *Ita eſt*, ait gemebundus, *reiiciantur: Deus mihi peccatori ſit propitius.* Sed hæc non ſufficiebant: nam ſacerdos tam erat cautus, tamque circumſpectus, ut exiſtimaret, tantam rem ſine teſte confici nec poſſe, nec debere.

Abiit

Abiit igitur velociter ad collegarum aliquem, eumque ad moribundum adduxit, ut teſtimonium præbere poſſet extremæ huic actioni. Et ſic colloquium ſuum ab ovo repetiit. Quod cum deceſſuro nimis longum & grave videretur, quæſivit, an ergo viaticum ſibi denegatum irent? Minime, reſpondebant illi, dum modo ipſe prius veram egerit pœnitentiam, & formulam revocationis ſubſcriptione ſua confirmaverit. Nec mora: agnovit peccator venerandum tribunal confeſſionis, paruitque ſacris hiſce iudicibus, & ſubſcripſit. Quo facto abſolutionem accepit, & ſacræ cœnæ particeps fuit redditus: nec diu ſupervixit, ſed paucos poſt dies placide obdormivit, isque cœlebs, cum vixiſſet annos 55. cum dimidio. *Charitius* de viris eruditis Gedani ortis p. 111.

EIVSDEM Tractatus de eſſe alicubi, ſeu ubietate. Dantiſci 1641. Quo univerſæ ubietatis ſpecies, habitudines, & competentiæ plenarie deducuntur, formales rationes exactius inquiruntur, & ad materias theologicas applicatio oſtenditur. Multa etiam de ubiquitate, omnipræſentia, ac multipræſentia conſtituuntur, pleniusque explicantur.

EIVSDEM Tractatus de multipræſentia rei finitæ, in primis corporis. Dantiſci 1643. Vbi præcipue rei, quod ad Deum, eiusque poteſtatem attinet, poſſibilitas oſtenditur, quæ obſtare videntur, plene diſſolvuntur, de exemplo *Corporis Chriſti* diſtincte ex ſacris conſtituitur, modi ſobrie & theologice de eo loquendi ſubminiſtrantur, ceteraque ad rem facientia breviter ac diſtincte ſubiunguntur. Adiecta eſt ad calcem Epitome Tractatus de eſſe alicubi & multipræſentia.

EIVSDEM Genethlia ſive natalitia. Dantiſci 1642. Agitur hic de nativitate ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti, & quæſtiones non nullæ theologicæ, chronologicæ, hiſtoricæ, phyſicæ & philologicæ breviter ac ſcholaſtice evolvuntur.

EIVSDEM Exercitatio de cognitione humana univerſa. Gedani 1640. Seu de omni ſcibili humano univerſim ſumto, lumen Coronidi logicæ illatura, &, quæ ei deſunt, ſuppletura.

CLXXI.

Abrahami CALOVII Scripta philoſophica. Lubecæ 1651.

Quæ partim primum nunc prodeunt, partim reviſa & locupletata ita exhibentur, ut non minus theologiæ, quam philoſophiæ cultoribus inſigni uſui eſſe queant, ſimulque abuſum ac ſophiſmata varia Socinianorum, Calvinianorum, & Pontificiorum refellant. Suntque 1) Gnoſtologia. 2) Noologia, ſeu habitus intelligentiæ. p. 49. 3) Metaphyſicæ divinæ pars generalis. p. 115. 4) Eiusdem pars ſpecialis. P. II. 1. 5) Encyclopædia mathematica. p. 425. 6) Methodologia, ſeu Tractatus de methodo docendi ac diſputandi. p. 580. 7) Ideæ Encyclopædias diſciplinarum realium, philoſophiam univerſam, Facultates ſuperiores, ac Logicam repræſentantes. In Præfatione ait auctor, 1. Metaphyſicam ſuam, quod quidem ad primas eius lineas ſpectat, eſſe ſcriptum iuvenile. Deinde autem magis eam expolivit & locupletavit: & *Struvius* Biblioth. philoſoph. p. 65. teſtis eſt, valere & æſtimari apud Wittebergenſes. 2. Nova, atque iam primum prodeuntia ſcripta eſſe Metaphyſicæ Partem ſpecialem & Noologiam. 3. Se per multos iam annos ab *ακριβεια* philoſophica propter ſtudia graviora (SS. theologiæ) alieniorem eſſe. 4. Maieſtatem agnoſcens Metaphyſices, eam non modo divinam appellat, ſed Sapientiam primam, & Reginam ſcientiarum.

CLXXII.

Medicina mentis & corporis. Lipſiæ 1695. Editio *nova*, auctior & correctior: cum Præfatione autoris, quod attinet ad Medicinam mentis: nam quæ Medicinæ corporis præfixa, eſt alterius. Lego hic: E. W. D. T. At quis tandem hic eſt auctor? Eſt Ehrenfrid Walther *de* TSCHIRNHAUS. Hic in Præfatione perſpicue exponit, quis ſibi propoſitus fuerit ſcopus hoc in libro conſcribendo: nimirum ſe tradere velle ſcientiam generalem, qua quis probe inſtructus omne incognitum, quod aſſequi ſuis viribus poteſt intellectus humanus, certa & conſtanti methodo poſſit invenire, ut philoſophi non verbalis, aut hiſtorici, ſed realis titulum mereatur. Et libri ſunt III. Partes, quarum prima auctor commonſtrat, ſtudium acquirendæ veritatis per ſe ipſum eſſe omnium occupationum præſtantiſſimum: in ſecunda methodum veritatem inveſtigandi tradit: in tertia oſtendit, in quo præcipue obiecto perſcrutando

vitam

vitam ſuaviter & cum maximo oblectamento conſumere liceat. In Medicina autem corporis exponit, quæ ad ſanitatem, cum conſervandam, tum recuperandam, ipſi conducere viſa ſunt, ita tamen, ut non pro demonſtrationibus hæc venditet, ſed cogitationibus valde probabilibus, ab ipſa experientia confirmatis. Præfatio huius Tractatus non eſt auctoris, ſed amici eius: isque indicat, non illum, ſed alium eſſe verſionis latinæ fabrum, monetque, prius legendam eſſe Medicinam mentis, quam Medicinam corporis. Vide plura in *Actis erudit.* A. 1695. 230. & nota, librum hunc a *Morhofio* Polyhiſt. T. I. 150. elegantem vocari, ab eodemque recenſeri p. 423.

Ehrenfrid Walther *de Tſchirnhaus*, natus Kislingswaldæ, in prædio avito Luſatiæ ſuperioris, non procul a Gorlicio, parentibus prænobilibus, hauſtis a *Conrado*, ludi gorlicienſis moderatore, fundamentis Matheſeos, & continuatis aliquantiſper in leydenſi academia ſtudiis, voluntarii militis munus ſuſcepit, & per annum ſemeſtreque ſpatium ſuſtinuit. Domum reverſus, cum diſcendi deſiderium nondum expleviſſet, impetrata a patre venia Hollandiam repetiit, indeque in Angliam, Galliam, Italiam, Siciliam ac Melitam contendit, atque in Germaniam reverſus Aulam cæſaream LEOPOLDI M. frequentavit, & ubique eruditos ſibi amicos reddidit. Tertia vice Pariſios veniens, Colberti commendatione & auctoritate in Academiam ſcientiarum regiam allectus eſt, ſed ſine ſtipendio, quia hoc non ſolet dari exteris: immo ne indigenis quidem, niſi Lutetiæ domicilium habeant, & conventibus Academicorum ordinariis intereſſe poſſint. Impenſe laboravit, ut artes promoveret ac bonas litteras, atque in Matheſi præcipue Opticen accuratius tractavit, nec infœcundus fuit inventis novis, e quibus unicum liceat commemorare. Invenit maſſam in Germania parabilem, ex qua vaſa porcellana confici poſſint tantæ bonitatis, ut nullo modo cedere debeant orientalibus. Tam præſtans cum eſſet, mirum non eſt, Electorem Saxoniæ titulum munusque ei tribuiſſe conſiliarii: immo & ad ſanctiora conſilia vocatus eſt, eoque nomine, ſicut & Liberi Baronis ſplendore, ab Imp. LEOPOLDO ultro oblato, uti fruique potuiſſet, niſi gloriæ contemtor utrumque modeſte recuſaſſet. Ceterum animo fuit maxime leni ac miti, inimicis ingenue ignovit, iniurias alio-

rum facile tulit, veritatem ante omnia amavit, eiusque gratia magnam lautiſſimi patrimonii partem impendit, vulgaria mundi idola, amorem gloriæ & divitiarum, ſtudiumque voluptatum, iam ante quartum & viceſimum ætatis annum ſuperavit, animique tranquillitatem, in maximis huius vitæ bonis numeratam, nullo non tempore quæſivit, & inventam cuſtodire ſtuduit. Si quæ ipſi erant contentiones, e. g. cum *Duillerio*, *Preſtet*, *Rolle* & *Ozanam*, illæ non niſi amicæ fuerunt, ſine acerbitate, contumelia & conviciis. Ex ſcriptis eius, tanquam leonem ex ungue, cognoſcere licet acutiſſimum philoſophum, eaque ſunt Relatio de inſignibus novi cuiusdam ſpeculi uſtorii effectibus, Inventa nova, *exhibita* Pariſiis Societati ſcientiarum, Nova methodus tangentes curvarum expedite determinandi, Nova methodus determinandi maxima & minima, Nova methodus auferendi omnes terminos intermedios ex data æquatione, Nova methodus datæ figuræ, rectis lineis & curva geometrica terminatæ, aut quadratum, aut impoſſibilitatem eiusdem determinandi, Reſponſum ad obiecta Io. *Craige* in Methodo figurarum, lineis rectis & curvis comprehenſarum, quadraturas determinandi, Additamentum ad Methodum quadrandi curvilineas figuras, aut earum impoſſibilitatem demonſtrandi per finitam ſeriem, Methodus curvas determinandi, quæ formantur a radiis reflexis, quorum incidentes, ut paralleli, conſiderantur, Curva geometrica, quæ ſe ipſam ſui evolutione deſcribit, Singularia effecta vitri cauſtici bipedalis, Circinus pro ſectione cuiusque anguli rectilinei in partes quascunque æquales, Nova & ſingularis Geometriæ promotio circa dimenſionem quantitatum curvarum, Imitatio ſingularis novæque emendationis artis vitriariæ, Reſponſio ad Obſervationes Dnn. *Bernoulliorum*, quæ in Actis eruditis A. 1696. menſe Iunio continentur, Additio ad Imitationem de emendatione artis vitriariæ, Quadratura univerſalis figurarum curvilinearum per ſeries infinitas, De Methodo univerſalia theoremata eruendi, quæ curvarum naturas ſimpliciſſime exprimunt; item de Problemate *Bernoulliano*, Specimen methodi, cuius ope datum ſpatium in ratione data dividitur, licet eius quadratura ſit ignota, De magnis lentibus ſive vitris cauſticis, eorumque uſu & effectu, De methodo arcus curvæ parabolicæ inter ſe comparandi, Effectus ſingulares lentis opticæ ad teleſcopia. Sed ad extrema viri veniendum

endum eſt nobis. Nam & ipſe, quamvis aliis conſilium dare noſſet ad vitam prorogandam, atque ad calculum ſeri lactis uſu, ut putabat, promovendum, tandem expertus eſt vim mortis, a qua nemo immunis. Nam levis eum diarrhoea cum adorta eſſet, ſtatim ingruerunt dolores renum calculique, quos ſubſecuta eſt urinæ ſuppresſio. Medici actum de eo eſſe dixerunt, ægrotumque, quod morem ipſis non gereret, deſeruerunt. Tum ille, ut potuit, ſibi ipſe fuit medicus: creſcente autem morbi vi, ad abitum ſe paravit, Deo pro beneficiis gratias egit, cum defunctum ſe ſe rebus omnibus ſentiret, lætabundus exclamavit, *Io, triumphe! Victoria!* eoque dicto, quaſi dormiturus, placida morte animam Deo reddidit A. 1709. cum vixiſſet annos 48. *Acta erudit.* A. 1709. 41. *L' Europe ſçavante* A. 1717. *Morhof.* Polyh. T. I. 162.

Io. Gabr. DOPPELMAYERI Weitere eroeffnung, Vlterior apertio Novæ ſcholæ mathematico-mechanicæ Nicolai *Bion.* Norimbergæ 1717. Qua tam præparatio, quam uſus diverſorum aliorum mathematicorum, in primis ad Geometriam & Opticam pertinentium inſtrumentorum, quæ in prædicto auctore non apparent, perſpicue ob oculos ponuntur atque explicantur. Cum multis figuris. Continuatio huius Scholæ mechanicæ prodiit A. 1720. Vide *Novam bibliothecam* T. VI. 527.

Io. Gabriel *Doppelmayr*, noribergenſis, in patria urbe Mathematum profeſſor publicus, ſolertia ac diligentia nemini cedens, variis ſibi ſcriptis celebritatem nominis acquiſivit: quosdam enim libros vertit ex una lingua in aliam, ut Thomæ *Streetii* Aſtronomiam Carolinam ex idiomate anglicano in latinum, & Io. *Wilkinſii* Copernicum defenſum, itidem ex anglicano, nec non Nicolai *Bionii* Scholam mathematico-mechanicam e gallico in germanicum: quosdam auxit, ut *Welperi* Gnomonicam cum arte conficiendi horologia, ex anglica lingua in germanicam translatam, & *Canzleri* Geometriam: quosdam ipſe adornavit, ut Introductionem ad Aſtronomiam, Introductionem ad Geographiam, quæ *Homanni* Atlanti geographico præfixa eſt, & Varios modos ſecundum univerſalem methodum conficiendi grandia horologia ſolaria, Obſervationes in Aſtronomia, Gnomonica &c. utiles, quæ in Tomis Actorum Societatis naturæ curioſorum exſtant; quos-

quosdam ad editionem paratos habet, ut Atlantem cæleſtem, Introductione conſtantem ad novam Aſtronomiam, cum pluribus quam XXX. tabulis figurarum, Deſcriptionem vitæ Mathematicorum & Artificum noribergenſium, qui inde a 250. annis claruerunt, Scholam mechanicam, quæ docet præparationem & uſum ad philoſophiam experimentalem neceſſariorum inſtrumentorum.

Der verſtændige und unverſtændige Salz- und Berg-geiſt, Prudens & honeſtus, ſed & imprudens ac fraudulentus ſpiritus ſalis & minerarum. (Halæ) 1717. Eſt brevis & accurata deſcriptio rei ſalinæ, in quonam conſiſtat, quantam utilitatem bene conſtituta ſalina Principi eiusque ſubditis adferat, & quomodo ſalinæ ſint reddendæ meliores, aut reſtituendæ.

Der aufrichtige, auch betrûgliche Salzſieder, Ingenuus & fraudulentus coctor ſalis, cum eius examine. (Halæ) 1718. Eſt brevis & accurata informatio, quid ad verum nec infitiandum coctionis ſalis examen requiratur, quid terrei aut alterius ad ſal culinare minime conducentis rei quælibet ſalina ſecum vehat, & unde cognoſci poſſit, utrum ſal coctum ſecundum eſſentiam bonum & ſalutare ſit, an vile & fatuum.

Rudolphi Chriſtiani WAGNERI Erzehlung, Narratio, de meteoris igneis, Helmſtadii d. 7. Martii A. 1716. a ſeptima usque ad duodecimam horam noctu viſis. Helmſtadii 1716. *Illa conſtiterunt* inſigni claritate, illuſtratione aëris, radiis latis & lucidis, ac coruſcationibus ad inſtar fulgetrorum; pariterque docetur, apparitiones has ex naturalibus ortas eſſe cauſſis.

Rudolphus Chriſtianus *Wagner*, Neſſelrodæ Haſſorum A. 1671. prid. Eid. Martii natus, *Weigelii* I. A. *Schmidtii*, & *Wedelii* diſcipulus, iamque Philoſ. & Medicinæ doctor, ac Mathematum & Naturalium profeſſor in academia Iulia ordinarius, medicinam mentis ac corporis facit feliciter, & utraque magnam conſecutus eſt famam atque æſtimationem, ceterum in converſatione ſuavis eſt & iucundus, ad officia promtus, apertus, ſcapham ſcapham dicens, iniuriarum tolerans, & conſtanti in adverſis animo. Ab eius ingenio provenerunt, publiceque exſtant ſequentia ſcripta: Examen regulæ *Renaldiniana* de inſcriptione polygonorum, Pro-

gram-

gramma de progreſſu parallelo analyſeos & praxeos mathematicæ, prælectionibus mathematicis publicis præmiſſum, Meteorologia animalium brutorum, Gyri convolvulorum evoluti, Programma de obſervanda methodo electiva in ſcientia naturali, Oratio in funere D. Io. Barth. *Niemeieri*, germanica, qua illud comitantibus gratiæ agebantur, Programma de Geometriæ, ſpeciatim vero puncti in ſcientia naturali uſu, Diſſertatio inauguralis medica de contrafiſſura, ex principiis mechanicis, phyſicis ac medicis deducta, Scriptum de maculis ſolaribus, præcipue iis, quæ annis 1708. & 1709. apparuerunt, & methodo easdem obſervandi, *Heronis* alexandrini vita, ſcripta, & quædam inventa.

Mich. Frid. LOCHNERI Nerium. Cum Dafne conſtantiniana, & VI. tabulis figurarum. Norimbergæ 1716. Nerium eſt, ſecundum auctoris mentem, Rhododaphne veterum & recentiorum; & hac ratione Nerei & Nereidum mythologia, Amyci laurus, ſaccharum Al-haſchar, & ventus ac planta Badſamur, aliaque explicantur, ac diverſis S. ſcripturæ locis lux affunditur. Recenſionem huius Commentationis invenies in *Actis eruditor.* A. 1717. 209.

Exod. 12, 8. Merorim ſive herbæ amaræ, quas in cœna paſchali Iudæi cum azymis comedere iubentur, *fuerint Hirdophne*, ſeu, *voce corrupta*, Rhododaphne.

Verum nec *uſus internus Rhododaphnes*, confitente auctore c. 4. ſine pernicie videtur eſſe, nec Gemariſtarum opinio *reliquis Iudæis*, vel raphanum, vel armoraciam, vel chærefolium interpretantibus, præferenda, nec *literarum in voce aliqua convenientia* tutum argumentum præbet. *Acta erudıtor.* A. 1717. 212.

Mich. Fridericus *Lochner*, norimbergenſis, *Omeiſii*, *Sturmii*, *Brunonis* & *Hoffmannorum* diſcipulus, humanioribus litteris, ſaniore philoſophia & excellenti ſcientia medica expolitiſſimus, atque a Iacobo *Burckhardo* in Medico humanit. ſtudior. vindice p. 102. inter tres inſignes, & de humanitatis ſtudiorum decore conſervando magnopere ſollicitos Medicos norimbergenſes, variisque hono-

rum titulis, excellenti virtute & exquiſita doctrina comparatis, illuſtres, & primo quidem loco, numeratus, (fuit enim non modo Medicinæ doctor, & poliater in patria ſua valde celebris, verum etiam cæſareus & medicus, & comes palatinus, Societatisque naturæ curioſorum pariter director,) in publicum emiſit Commentationem de ananaſa, ſive nuce pinea indica, vulgo Pinhas dicta, Papaver ex omni antiquitate erutum, Schediaſma de parreira brava, & Rariora muſei *Baleriani*, commentariolo ſuo illuſtrata, naturæque debitum ſolvit A. 1720.

DVBIA Iuris naturæ. Duaci (immo Halæ magdeburgicæ) 1719. Tractatus hic X. conſtat capitibus, quorum 1. inquiritur, an detur Ius naturæ? 2. agitur de natura. 3. de iure. 4. de iure naturæ. 5. de principio & arte iuris. 6. de principiis quibusdam iuris naturæ in ſpecie. 7. de iuris & virtutis diſtinctione. 8. de fine & limitibus iuris naturæ. 9. de perfectione iuris naturæ. 10. quid homo poſſit? Auctor eſt Io. Fridericus HOMBERGK zu Vach, de quo egimus P. IV. 74.

Beweiſs, Demonſtratio, non eſſe contra Ius gentium, ſi, certas ob circumſtantias, Legatus comprehendatur. Auctorem quid vetat nominare? Eſt Gottlieb Samuel TREVER: cuius mentio a nobis facta Partis huius p. 8.

CLXXIII.

Petri POIRETI Cogitationes rationales de Deo, anima, & malo. Amſtelodami 1677. Auctiores editæ A. 1685. & tertium 1715. Recenſentur in *Actis erud.* A. 1685. 548. Cum quibus conferipſum *Poiretum* de erudit. 418.

Petrus *Poiret*, natus Metis, cum adoleſceret, in diſciplinam traditus eſt ſculptori, a quo graphicen ſive artem delineandi in tantum edoctus eſt, ut longo tempore poſt, Burignoniæ dudum mortuæ imaginem feliciter exprimeret. Poſtea ſtudiis literarum dicatus, brevi tempore tantam conſecutus eſt in linguis, philoſophia carteſiana & theologia eruditionem, ut omnibus admirationi eſſet. Annævillæ in Ducatu bipontino cum eſſet miniſter eccleſiæ, legeretque *Tauleri*, *Kempiſii* aliorumque myſticorum ſcripta,

pta,

Digitized by Google

pta, maiori pietatis ſtudio incenſus eſt. Circa idem tempus periculoſiſſimo morbo laborans cœpit nævos ſuos agnoſcere, ſibique ipſe leges præſcripſit, quas in vita ſua ſequeretur, ac divinum Numen coleret enixius. Inter hæc incidit in libros *Burignoniæ*, quibus lectis maiore deſiderio flagrare cœpit mundo valedicendi, Deoque ſerviendi: nec minus cupiditate inflammatus eſt ſanctam illam virginem videndi, & colloquio eius fruendi. Ingruentibus belli calamitatibus Annævillanos relinquens, in Bataviam ivit, atque inde Hamburgum, ubi Burignoniam 60. iam annos ſuperantem ſalutavit, poſtque ea octennium circiter Amſtelodami vixit, ſapientiæ ac pietatis ſtudio deditus, Rhenoburgi autem, qui pagus non procul Lugduno in Batavis ſitus eſt, ex eo tempore 30. annos exegit, & amplius. In hoc ſeceſſu multa edidit ſcripta, partim ſua, partim aliorum, in gallicam linguam tranſlata, ut Oeconomiam divinam, Irenicum univerſale, Theologiam cordis, Theologiam amoris, Libros de eruditione ſolida, ſuperficiaria & falſa, Librum de chriſtiana liberorum educatione, Theologiam crucis, Theologiam realem, Bibliothecam myſticorum ſelectam, Vera & cognita omnium prima, ſive de natura idearum adverſus *Pangelerum*, Theologiam teutonicam, Antoniæ *Burignoniæ* Opera, *Kempiſium* communem, mutato in melius libro IV. De moribus Poireti teſtantur viri fide digni, ſummam in eo fuiſſe veritatis ac pacis concordiæque amorem, nec non humanitatem ac ſimplicitatem admirandam. Curriculum autem vitæ ſuæ abſolvit A. 1719. febri ardente continua correptus, placideque ac piiſſime oculos clauſit, cum in terris verſatus eſſet annis 73. *Acta erudit.* A. 1721. 417. *Arnold* Hiſt. eccl. & hæret. P. III. c. 16. *Bibliotheca hiſtor. philol. theol.* T. III. *Acta hamburgenſia* T. II. 323. *Parrhaſiana* T. I. 439. *Dippel* Opp. p. 615. *Fartſch* Breviarii Selector. theolog. (in Narrat. innoc. A. 1708. 251.) Ioach. *Langius* Diſpp. contra Poiretum, & *Iager* in prima illarum Diſputationum.

I. A. S. D. id eſt, Iohannis Andreæ SCHMIDTII Doctoris Theatrum naturæ & artis. Helmſtadii. Editio ſecunda, cum figuris. Singulis ſemeſtribus novis machinis & experimentis augendum. In uſum Collegii privati curioſi.

EIVSDEM (I. A. S. D.) Phænomenon coronarum ſolarium

d. 26. Maii in cœlo obſervatarum, populari ratione in academia Iulia curioſis explicatum. Helmſtadii 1708. Explicavit autem ſequentibus propoſitionibus: 1. Phænomenon iſthoc in noſtro aëre adparuiſſe. 2. Materiam, in qua adparuit, fuiſſe partim rariores, partim craſſiores guttulas nubis rorantis, non penitus excluſis particulis glacialibus. 3. Cauſſam efficientem phænomeni huius eſſe ſolem, radios ſuos circum circa ſpargentem in aëris noſtri varias ſuperficies. 4. Tum minorem circulum, in quo ſol tanquam centrum adparuit, tum maiorem illum horizonti parallelum, nec non arcus illos, ſive portiones circulares, ex radiorum ſolarium in guttulas illapſu, & eorum ex iisdem ad oculos relapſu, ſub æqualibus fere angulis, deduci debere. 5. Colorem albicantem in omnibus circulis & arcubus ex reflexione & peculiari refractione, reliquos vero colores, cœruleum, flavum & rubrum, ex varia, tum reflexione, tum refractione, ortum habuiſſe. 6. Finem huius phænomeni eſſe, mutationem aëris proxime inſtantem indicare.

Alex. Chriſtophori GAKENHOLZII Deliciæ phyſicæ. Helmſtadii 1718. Seu experimenta phyſica & mechanica, quæ pro illuſtratione phænomenorum naturalium curioſis auditoribus exhibere ſolebat.

Alexander Chriſtianus *Gakenholz*, cellenſis Saxo, Med. doctor, & Anatomiæ, Phyſiologiæ atque Botanices profeſſor in *acad.* Iulia ordinarius, Regiæque maieſtatis Magnæ Britanniæ & *Electoris* Brunsvico-Luneburgici medicus aulicus, non minus linguarum, interque eas hebrææ & rabbinicæ, (olim quippe ſtudiis ſacris operam dabat) quam ſolidioris philoſophiæ peritiſſimus, edidit Programmata de principiis mechanicis phyſiologiæ applicandis, de corporis humani ſtructura, de phyſiologia revelationi ancillante, de immunditie ex contrectatione mortuorum, de non imitanda per artem humana machina: Scriptum germanicum, ſine expreſſione nominis ſui, de eſſentia animæ humanæ: moderatus eſt Diſputationes de ſanguinis circulatione, de aſthmate, de avertenda peſte, de viſione, de rhachitide, de ægra, hæmorrhagia narium a ſuppreſſione menſium laborante: atque in flore ætatis deceſſit anno 1717. longius victurus, ſi maiorem valetudinis curam habuiſſet.

I. G. D. M. P. P. hoc eſt, Io. Gabr. DOPPELMAYERI Mathe-

Mathematum Profeſſoris Publici Ausführliche erklärung, Solida explicatio duarum chartarum Homannicarum, Noribergæ 1707. Puta, Syſtematis ſolaris & planetarii *Copernico-Hugeniani*, & Europæ eclipſatæ: qua, quid quid in chartis illis indicatum, cum primis ultima, tam univerſalis in Syſtemate planetario, quam particularis, in Europa eclipſatâ propoſita magna eclipſis ſolaris, quæ anno fuit 1706. 12. Maii, cum Aſtronomia comparata, ſeu quales ſint ſtellæ ex ſole & quovis planeta, perſpicue docetur. De auctore diximus *Partis* huius pag. 519.

(EIVSDEM) Demonſtrationes mirandorum naturæ & artis effectuum curioſæ. 1. Circa corpus naturale. 2. circa gravitatem & levitatem. 3. circa aërem. 4. circa aquam. 5. circa ſonum. 6. circa viſionem. 7. circa magnetem: & varia.

Mariæ Margarethæ KIRCHINIAE Vorſtellung des Himmels, Repræſentatio cœli in conventu trium potentiſſimorum Regum potzdamenſi A. 1709. d. 2. Iulii. Berolini 1709. Nempe tunc, cum convenirent Rex Poloniæ, Rex Daniæ, & Rex Boruſſiæ, vicini in cœlo adparebant tres nobiliſſimi planetæ, Sol auguſtus, Saturnus ſupremus, & Venus amœniſſima.

Maria Margaretha *Kirchinia*, nata Winckelmanna, Aſtronomiæ & Aſtrologiæ cultrix apud Berolinenſes, inter eruditas feminas non ultima, ſcripto iſto monumentum famæ ſibi ipſa erexit.

Genuina philoſophi ſpurii, in primis Metaphyſici, imago, penicillo philoſophico adumbrata. Berolini 1603. Eſt ſcriptulum unius quaternionis, in quo deridetur homo Metaphyſicam crepans, ſed qui veræ ac ſolidæ philoſophiæ rudis eſt. Eſtque hoc eius initium: *Date viam, Philoſophi, date viam: venit Metaphyſicus, qui Reginam ſcientiarum crepat, & tamen plerunque ignorantia laborat abecedaria. Habet principatum abſque principio: nam Primam didicit ſapientiam ſine primo ſapientiæ fundamento, Timore Domini: in tranſcendentalibus ſibi ſapit, ſed re ipſa ante pedes deſipit.*

Magiſter-Lobeſan, ſive M magiſteriale coronatum. Quo illi, qui Magiſtri titulo ſuperbiunt, cum tamen eruditione & virtute eum non promeruerint, traducuntur. Quod quidem ceteris, qui digni ſunt magiſtri philoſophiæ & artium, minime poteſt aut debet verti in contumeliam.

Der vertheidigte herr Magiſter, Magiſter defenſus, adverſus prius ſcriptum.

Ars Lulliana. Erfurti 1706. Sive facillima methodus docendi diſcendique ſermonis latini, non dicendi tantum, verum etiam pure loquendi facultatem, quoad a nobis fieri hoc tempore poſſit; primum quidem a Raimundo LVLLIO, ſuperiori autem ſeculo a D. Io. Balth. *Schuppio* & Dan. *Richtero* reviſa, & emendatior denuo in lucem edita a F. R. De Arte Lulliana, eiusque hoſtibus ac defenſoribus multus eſt *Morhofius* Polyhiſt. lib. II. c. 5. p. 384. qui videatur.

Raimundus *Lullius*, diſtinguendus a cognomini de Tarraga, & Neophyto, ſeu converſo iudæo, e nobili apud Maioricanos familia oriundus, in aula Regis ſui ſeneſchalli munere functus eſt: ſed dum carnis cupiditatibus ſervit, atque inſano feminæ alicuius formoſiſſimæ amore flagrat, ipſa autem ei alteram mammarum carcinomate obeſam ac deformatam, ut inſaniam eius retunderet, oſtendit, ad pœnitentiam ſe convertit, ac meliorem aggreſſus eſt vitam. Divenditis bonis ſuis, atque inter pauperes diſtributis, Deum rogavit, aptum ut ſe redderet ad refutandum errores Saracenorum. Eum in finem, cum iam quadragenarius eſſet, latinam linguam didicit & arabicam. Deinde in montem aliquem ſeceſſit, & ſeptem menſibus nihil aliud fecit, quam ut precibus & ſpeculationibus vacaret. Poſtea Romæ, Neapoli, Genuæ *& alibi* docuit, & ultra 400. libros ſcripſiſſe fertur. In Africam bis transfretavit, & fidem chriſtianam inter Saracenos annuntiare auſus eſt, ſed ſic acceptus, ut una vice eum lapidaverint, altera fere ad necem cruciatum in carcerem coniecerint: in quo etiam mortuus fuiſſet, niſi mercatores quidam genuenſes miſerum & ſemianimem hominem inde liberaſſent. Verum ne ſic quidem diu ſuperfuit, ſed in nave, dum Italiam repetere volebant, dolorum plenus gemebundam animam efflavit anno 1315. annum agens octogeſimum. *Lexicon univ. hiſtor.* P. III. 381. *Magirus*, aut potius *Eyſenius* 536. *Kœnig* 486. *Olearius* P. I. 450. Io. *Moller* de homon. 881. *Placcius* de pſeudon. 425. Lullii opera edita ſunt Argentorati A. 1651. 8. quæque adhuc latent in Bibliotheca palatina, ſperamus lucem viſura, potentiſſimi Electoris auſpiciis, per CL. V. Io. *Buchel* bibliothecarium. Calluit, ut & hoc addam, Lullius noſter artem mutandi

metal-

metallum in aurum, eamque didicit ex Arnoldo *de Villa nova*, & ſpecimen eius edidit Londini in arce, iuſſu Regis, ubi adhuc exſtat genus nummi, quod vocant *Nobile Raymundi*. Rob. *Conſtantinum* in Nomenclatore inſignium Scriptorum p. 167. & *Giornale de' Letter. d' Ital.* T. XIV. 394.

Liber de actione oratoria, ſive de pronuntiatione & geſtu. Helmſtadii 1690. Gallico idiomate ſine auctoris nomine primum aliquoties, deinde Pariſiis & in Belgio ſub *Conrarti*, ſecretarii regii, nomine editus, nunc a Melch. *Smidio* latinitate donatus. Verum hic in Præfat. docet, auctorem libri non eſſe Conrartum, ſed Michaëlem Le FAVCHEVR: uſum huius artis non ad publicas tantum orationes, in ſolemni panegyri habendas, ſed ad omne perſuadendi, ac docendi genus pertinere, immo etiam ad omnem ſermonem: & M. Paulum *Ræberum*, eccleſiæ brunſvicenſis ad S. Catharinæ paſtorem, pronuntiatione ad lamentationem aptiſſima excelluiſſe, in eaque imitatum eſſe (imitatio enim hic plus præſtat, quam præcepta) D. Paulum *Ræberum*, theologum wittebergenſem. Addita ſunt huic libro ex Rhetoricis ad Herennium, & M. Fab. *Quintiliani* Inſtitutionibus oratoriis ea, quæ ad eandem artem faciunt, hodieque aliquem uſum habere poſſunt. Ac liber ipſe recenſetur in *Actis erudit.* A. 1690. 368.

Michaël *Faucherius*, gallice *Le Faucheur*, eccleſiæ carentonienſis miniſter, vir doctiſſimus & eloquentiſſimus, edidit Sermones ſuos, & Tractatum de euchariſtia, obiitque Pariſiis valde ſenex A. 1657. *Mererius* in Dictionario hiſtorico, *Smidius* hic in Præfat. & *Placcius* de pſeudon 194.

Iuſti Chriſtoph. BOEHMERI Proluſiones VII. publicarum lectionum auſpiciis in academia Iulia præmiſſæ. Helmſtadii 1707. Qua de re? 1. de idea florentis ſtatus litterariæ ſocietatis. 2. de artibus nonnullorum inclareſcendi in rep. litteraria. 3. de bellis litterariis. 4. de dicendi ſcribendique ſtudiis, omnibus vitæ generibus neceſſariis. 5. de decoro in civili vita atque converſatione obſervando. 6. de bonorum in vario doctrinarum genere ſcriptorum notitia, & neceſſaria hodie, circumſpecteque paranda. 7. de melioribus ſtudiis propter ſe ipſa excolendis, ſi vel maxime ampliores nec divitias hodie, nec honores polliceri videantur. Earum recenſio legitur in *Actis erudit.* A. 1708. 172.

Io

Io. VASTOVII Vitis aquilonia, emendante & notis illuſtrante Erico *Benzelio*, filio. Vpſaliæ 1708. Antea Coloniæ Agrippinæ 1623. Vitis hæc nobis exhibet vitas Sanctorum regni Sueogothici. Auctor librum dedicat Sigismundo III. Polonorum regi, in eoque deſcribit ſtatum Sueciæ veterem, ſub Regibus tam ethnicis, quam chriſtianis, ac recentem, a tempore reformationis religionis. Quam ipſe quidem, Romanenſium ſacris addictus, peſſime delineat, & expulſionis ſanctitatis, dirarumque perſecutionum hominum romano-catholicorum accuſat, *Benzelius* vero eam refutatum ivit, atque hoc ſcriptum ſuum præſenti adnexuiſſet libro, niſi præter opinionem iuſto latius excreviſſet, & ſub manibus amphora exiiſſet pro urceo. Interim illud reſervat alii tempori, quo commodius edi, cumque lectoribus communicari poſſit. Ceterum *Benzelius* in Præfatione ſua Vaſtovio laudem tribuit doctrinæ, diligentiæ, & fidei in allegatione miraculorum, quæ Sanctis ſveo-gothicis ſive vere, ſive falſo tribuuntur: dicit etiam, ſe omiſiſſe Epiſtolas Pontificum romanorum, a Vaſtovio calci operis ſubiectas, non quod leves eſſent & indignæ iterata impreſſione, ſed quia collectiones multo auctiores ſperandæ a Claudio *Oernhielmio*, & Ioanne *Peringskioeldio*, quorum hic Vaſtovianam theſauro ſuo fideliter inſerturus ſit: ſuos autem labores in hoc conſtitiſſe, ut nomina propria perſonarum & locorum emendaret, certos annos iis, quorum vitæ deſcribuntur, aſſignaret, & *genealogiis* veterum Regum, nec non geographiæ veteri lucem fœneraretur. *Muſeum novum* (Neuer Bücher-ſaal) T. I. 553. *Narrat. innoc.* A. 1709. 312.

Ioannes *Vaſtovius*, gothus, protonotarius apoſtolicus, canonicus varmienſis, & regius bibliothecarius ac ſacellanus, religioni romano-catholicæ addictus, atque in Polonia degens, floruit anno ſæculi XVII. tertio & viceſimo, eiusque eruditio, diligentia & fides hiſtorica, ut diximus, ab ipſo laudatur Benzelio, qui alioquin arma contra eum fert, & religione ac ſententiis in diverſa abit.

Ericus *Benzelius*, ſuecus, Erici, archiepiſcopi upſalienſis, filius, ut nominis, ita & gloriæ paternæ, propter egregia eruditionis ac virtutis monumenta, feliciſſimus heres & propagator, bibliothecarius & hiſtoricus regius, litterarum ſtudia indeſeſſe promovet, & ſicut

ſicut editis ſcriptis maxime clarus eſt, ita promiſſione tractatuum quorundam *Philonis*, Collectionis monumentorum eccleſiæ ſveogothicæ, Genealogiæ poſterorum Sigfridis *Stor-rada*, Chronici veteris rhythmici epiſcoporum lincopienſium, & Vitæ S. Brigittæ a *Margareta* abbatiſſa deſcriptæ, eruditis ſalivam movet.

CLXXIV.

Simonis MAIOLI Dies caniculares. Moguntiæ 1607. Tomi V. aliis in locis impreſſi, volumina II. Primus Tomus prodierat Vrſellis anno 1600. Et continet Colloquia XXIII. phyſica, nova & penitus admiranda, ac ſumma iucunditate concinnata: quibus pleraque naturæ admiranda, quæ aut in æthere fiunt, aut in Europa, Aſia atque Africa, quin etiam in ipſo orbe novo, & apud omnes Antipodas ſunt, item mirabilia arte hominum confecta recenſentur. Adeoque ſunt Loci communes, ſive cinnus variarum rerum, filo tamen, ut *Morhofius* Polyhiſt. lib. I. 269. iudicat, meliore textus, quam Lælii *Biſciola* liber Horarum ſucciſivarum. Ceteri Tomi ſunt huius libri continuationes, ita ut valde auctum, tandemque Francofurti in folio editum ſit opus; verum illæ auctorem non agnoſcunt Maiolum, quamvis ſub eius nomine circumferantur, ſed Georg. *Draudium*, ſicut obſervant *Kœnigius* B. V. & N. p. 496. & *Placcius* de pſeudon. 431. Certe Draudius latet ſub litteris M. G. D. in fronte Tomi IV. Et in II. quidem Tomo tractatur de cultu atque oraculis deorum, vaticiniis, ſagis, prædictionibus phyſicis, Aula & caula, electione & inauguratione pompoſa Pontificis, Imperatoris, Regum, Archiducum, Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum, Nobilium; Patriarcharum item, Epiſcoporum, Abbatum, Præpoſitorum, Protonotariorum, Archipresbyterorum, Archidiaconorum, & Sacræ militiæ honoribus atque dignitatibus; nec non de academiis & ſcholis, earumque utilitate; præterea de Cancellariis, Præſidibus, Conſiliariis, Secretariis, Prætoribus, Aſſeſſoribus, Advocatis, ſcribis, apparitoribus, Admiraliis, Primipilariis, Centurionibus, militibus gregariis, venatoribus, piſcatoribus, aucupibus, agricolis, mercatoribus, typographis, argentariis, aurifabris, fabris lignariis, ferrariis, murariis &c. deque ſummo bono, quod illud non conſiſtat in bonis perituri mundi. In III. de perfidia

ſidia Iudæorum propemodum, atque omnino fere deplorata, bellorum eventibus variis, fontibus ſtupendarum in orbe elementari mutationum, & conſiliis inconſultis pariter atque conſultis. In IV. de dignitate hominis, hominis creatione, lapſu, generatione & educatione, virtutum commendatione ac vitiorum vituperio, origine & progreſſu ſocietatis humanæ, & coitionis populi in unam rempublicam, ſana pariter atque inſana regnandi, gloriæque adeo humanæ cupiditate, & dignitatum, ac ſeſſionum differentiis, titulisque honorum & dignitatum. In V. de maieſtate atque amplitudine Imperii romani, & inexſtauſta mortalium difficillima quæque molientium cupiditate, cum tamen omnia tandem in cineres & favillas ſint abitura, adeoque homo ſupremum potius ſuum ſpectare & conſiderare debeat.

Simon *Maiolus*, natus Aſtæ in Pedemontio, epiſcopus vulturarienſis, vir doctus, multæ lectionis, ſtilique elegantia ornatus, claruit A. C. 1565. & reliquit Librum de irregularitatibus & aliis canonicis impedimentis, quibus eccleſiaſticos ordines ſuſcipere, & ſuſceptos adminiſtrare quisque prohibetur, & Hiſtoriarum totius orbis, omniumque temporum decades XVI. *Quenſtedt* Dial. de patriis illuſtr. viror. 288. *Kœnig* 496. Placuit auctori, ut ipſe in Præfatione indicat, in *colloquia* volumen dividere, quod otium ex bonorum conſuetudine colloquioque vitari ſoleat, inſtillenturque magis lectorum animis, quæ velut ſermone familiari porriguntur. Confinxit & titulum *Dierum canicularium*, quia hoc tempore gravioribus ſtudiis abſtinendum eſt, ut incolumitati hilaritatique interim ſerviatur.

Georgius *Draudius*, philoſ. magiſter, & paſtor ortenbergenſis, multis ſcriptis, cum latinis, tum germanicis, clarus, obiit A. 1630. In illis ſunt Bibliotheca claſſica, Duodenarius hiſtorico - biblicus, Iudaicus favor nimium ſuſpectus, Hortulus ſenilis animæ, Pandectæ V. & N. T. Annotationes in *Solini* Polyhiſtorem: in hiſce Poſtilla hiſtorica, Remedium ſtultitiæ, Colloquia menſalia theologorum, Colloquia Principum menſalia, Praxis & prudentia aulica, & Theatrum urbium. Ex latino autem vertit Ottonis *Caſmanni* Gnoriſmata electionis, & Iac. *Heilbrunneri* Schwenckfeldio-calviniſmum. *Witte* Diar. biograph. T. II, 38.

CLXXV.

CLXXV.

Gaſparis SCHOTTI Phyſica curioſa. Herbipoli 1697. Editio tertia, ad exemplar ſecundæ auctioris. In qua mirabilia naturæ & artis, libris XII. comprehenſa, expenduntur, excutiuntur, & illuſtrantur. Cum multis figuris in æs inciſis. Et Mirabilia quidem hic exhibentur angelorum ac dæmonum, ſpectrorum, hominum, energumenorum, monſtrorum, portentorum, animalium in genere, animalium terreſtrium, animalium volatilium, animalium aquatilium, meteororum, & miſcellaneorum. Si dicis, Vetera hic proponi, non nova; auctor fatetur, pleraque eſſe vetera, ſed non veteri tractata modo: alios enim hæc mirabilia tantum referre, ſe illa expendere, ac vera a falſis, genuina a ſpuriis diſcernere, & ſingulorum cauſſis indagandis operam dare. Si pergis dicendo, Eſſe trita, reſpondet, multa quidem eſſe trita ac obvia, interim tamen mira, & curioſa.

Gaſpar *Schottus*, Regis curianus francus, Societatis Ieſu ſacerdos, atque olim in panormitano Siciliæ, poſtea in herbipolitano Franconiæ gymnaſio Matheſeos profeſſor, condidit etiam Technicam curioſam, item Scholam ſteganographicam, Magiam univerſalem naturæ & artis, Pantometrum *Kircherianum*, Præluſiones, Scholia & Iconiſmos in *Kircheri* Iter ecſtaticum, Curſum mathematicum, & alia, mundoque valedixit A. 1666. ætatis 58. *Witte* Diar. biograph. Xxx 3. *Morhof* Polyhiſt. T. I. 164. T. II. 308. 347. 501. 510. & *Crenius* Diſſert. III. de furib. librar. §. 59. p. 283.

CLXXVI.

Io. Chriſtoph. STVRMII Collegium experimentale, ſive curioſum. Norimbergæ 1676. In quo primaria huius ſæculi inventa & experimenta phyſico-mathematica, ſpeciatim campanæ urinatoriæ, cameræ obſcuræ, tubi *Torricelliani* ſeu baroſcopii, antliæ pneumaticæ, thermometrorum, hygroſcopiorum, teleſcopiorum, microſcopiorum &c. phænomena & effecta, partim ab aliis iam pridem exhibita, partim noviter iſtis ſuperaddita, deſcribuntur, oculisque ſpectanda ſubiiciuntur. Huius Collegii curioſi meminit *Morhofius* Polyh. T. II. 405.

Eiusdem Pars II. Norimbergæ 1685. In qua porro præſentis

tis ævi experimenta & inventa phyſico-mathematica compluria, ſpeciatim hygroſtathmicorum quorundam inſtrumentorum, ſiphonis reflexi grandioris, lacrimarum vitrearum, clepſydrarum & clepſelæorum, tubarum ſtentorophonicarum ſive acuſticarum, hemiſphæriorum magdeburgicorum, novæ potentiæ mechanicæ, hydriarum *Helmontianarum*, ſclopeti pneumatici *Guerickiani*, novarumque campanæ urinatoriæ, antliæ pneumaticæ, laternæ megalographicæ acceſſionum, deſcribuntur, & figuris ſuis repræſentantur. Accedit etiam *auctoris* ad Henr. Morum Epiſtola, ſeu Tractatus, quo de illius principio hylarchico ſeu ſpiritu naturæ, (quem Morus agnoſcit, Sturmius negat) & familiari modernis Hydroſtaticis aëris gravitatione & elatere, libere, ſepoſitoque omni tum præiudicio, tum partium ſtudio, diſſeritur. Norimbergæ 1685.

EIVSDEM Phyſica electiva ſive hypothetica. Cum Theoſophia. Norimbergæ 1697. Eſt Tomus I. partem Phyſicæ generalem complectens, & ſpeciatim uſum totius huius ſcientiæ primarium ſingulari cura demonſtrans. Hunc ſequi debebant duo alii, videlicet Specialis, mundum, & ſublunarem & ſupralunarem, ſeparatim contemplans; ac Specialiſſimus, ſublunaris mundi particularia corpora, tum inanimata, tum animata, ſeorſum conſiderans: ſed non eſt ſecutus, niſi unus A. 1722. Theoſophia autem, ſive cognitionis de Deo naturalis ſpecimen, mathematica methodo conceptum, auctorem habet Guelphum, L. B. *de* METTERNICH.

Guelphus, Liber Baro *de Metternich*, natus in Marchia brandenburgica, in academiis altorfina & ienenſi eas acquiſivit eruditionis divitias, atque omnis generis virtutum cultu & peregrinationum fructu ita auxit, & ornavit, ut brevi poſt ſereniſſimus Elector Brandenburgicus eo uſus ſit Conſiliario Status & Regiminis Novæ Marchiæ: nunc autem in Comitiis Imperii ratisbonenſibus ſplendidiſſimo Legati Brandenburgo-onoldini munere fungitur. *Sturmius*, profeſſor altorfinus, vir candidus, atque ab adulatione alieniſſimus, in Epiſtola hic præfixa teſtis eſt, eum, inter aſſiduas univerſi Iuris exhauriendi curas, non ſolum generatim philoſophiam meliorem excoluiſſe, ac ſpeciatim Algebræ & Analyſi, ut vocant, ſpecioſæ ſingularem dediſſe operam, ſed & Theoſophia ſua effeciſſe, ut ex allatis demonſtrationibus, earumque conſe-

ſectariis, multo plenior, præciſior & exactior rationis rectæ cum veritate revelata & S. Scripturæ expreſſis verbis conſenſus, quam ex ullis huius generis aliis meditationibus, paſſim eluceat. Eiusdem excellentiſſimi Legati eſt Vera Reformatorum doctrina de S. cœna: cum Tractatibus de gratia, & abolitione diſſenſionum in eccleſia chriſtiana, A.1722. in 4.

CLXXVII.

Chriſtophori SCHEIBLERI Opus metaphyſicum. Marpurgi 1637. Editio noviſſima, ab ipſo autore recognita: cum Proœmio de uſu philoſophiæ in theologia, & prætenſa eius ad theologiam contrarietate, deinde autem in Operibus philoſophicis repetita. Gieſſæ A. 1659. & Francof. 1665. Et hoc Opus conſtat duobus libris, iisque univerſum ſcientiæ huius ſyſtema comprehendit. A *parente* meo in Notis ad conciones in Auguſtanam confeſſionem p. 548. vocatur elaboratiſſimum; commendatur etiam a *Voetio* Biblioth. ſtudioſi theol. l. 2. c. 13. p. 357. quam quam, in favorem religionis ſuæ, cum præmonitione aliqua; *Mareſius*, in Theologo paradoxo p. 60. putat, eum multa debere Suarezio; & *Struve* Biblioth. philoſoph. p. 65. eundem Metaphyſicis ſcriptoribus adnumerat, hoc tamen præmittens: *Scriptores metaphyſici olim magna cura evolvebantur, nunc autem plerique ſæpius in tabernis reperiuntur, quam officinis librariis.*

Pag. 21. Solet & Metaphyſica dici diſciplina ἀρχιτεκτονικωτάτη, *Princeps & Domina aliarum ſcientiarum.*

Nihil minus, prout vulgo tractatur; ideoque dicenda potius, cum Dannhauero, Ὀρολογία, ſive Lexicon aut Sylloge terminorum. *Spener* Præfat. in Tabulas Hodoſophiæ Dannhauer. d 4.

Lectio Ariſtotelis Metaph. l. 1. 2. 22. intelligenda eſt κατ' ἀναλογίαν, quod Metaphyſica inter habitus ſpeculativos excellat, ſicut inter habitus practicos prudentia.

Hoc non vult Ariſtoteles loco citato. C. D. *Koch* Specim. II. Emendat. philoſoph. §. 17.

Pag. 177. Purus actus dicitur, quod nihil potentiæ habet. *Talis eſt Deus.*

Si Deus, ut Deus, non eſt niſi actus purus, *non poterit, ut Deus, in ſe ipſo*, quaſi centro omnis perfectionis, *conſiſtere & acquieſcere*, ſed oportet eum habere obiecta externa, in quibus exerceat activitatem ſuam: atque ita opus creationis tam fuit abſolute neceſſarium, quam neceſſaria eſt ipſa Dei exiſtentia. *Dippel* Operum p. 1181.

275. Cauſa eſt principium, unde (vel e cuius *influxu*) pendet aliud.

Ridiculum eſt, cauſam ſic definire. Quin imo *cauſa omnino nec definienda*, ſed vocabulum, ut homonymum, modo diſtinguendum, dicendumque: & illud, quod efficit aliquid, & illud, propter quod fit aliquid, & illud, ex quo *fit aliquid*, & denique illud, in quo rei eſſentia conſiſtit, *cauſam* dici. Io. *Vorſtius* de Latinitate merito ſuſpecta c. 14. p. 90.

Chriſtoph *Scheibler*, natus Armsdorfii in Comitatu waldeccenſi, philoſ. magiſter, in academia gieſſenſi docuit primo Græcam linguam, deinde Logicam & Metaphyſicam, pariterque conſtitutus eſt inſpector Pædagogii. Sed fata non voluere, ut hic permaneret per omnem vitam. Rite enim a Tremonienſibus ad eccleſiæ ſcholarumque επισκοπην vocatus, eo conceſſit, nec minorem in utroque munere, quam in priore, fidem atque induſtriam cunctis probavit. Quavis hebdomade docuit bis in eccleſiaſtica, & quotidie in ſcholaſtica cathedra, ſubque eo Gymnaſium tremonienſe ita inclaruit, ut ex longe diſſitis quoque locis quam plurimi diſcendi cauſſa advolarent. Aliquot etiam ſcriptis pugnavit contra Pontificios, & qui calculo aliquamdiu, (nam 1227. lapillos non ſine acutiſſimo dolore emiſit) & ultra biennium pectoris difficultate laboraverat, ſermonem de ſtatu in cœlo triumphantium habi-

habiturus, atque iam in ſacrario ſeu veſtiario præſens, A. 1653. decimo Novembris die apoplexia percuſſus, atque e caduca vitæ huius ſtatione abreptus eſt, ætatis ſuæ 64. Sed ſcripta viri non ſunt nobis plane prætermittenda. Ab eo enim ſunt Opera philoſophica, complectentia opus logicum ac metaphyſicum, librum de anima, & librum ſententiarum, Liber commentariorum topicorum, Sermo panegyricus de vita vere philoſophica, Manuductio ad antiquam fidem catholicam, Manuale ad theologiam practicam, & Aurifodina theologica, ſive Teutonica theologia practica, Fundamenta petrina adverſus Ioannem *de Recke*, Veritas euangelica contra Pet. *Wittfeltium*, Lapides fundæ Davidis, & Examen fidei contra Fratres *Walenburchios*, & alia, plurimæque Diſputationes. *Witte* Memor. theologor. p. 1073. *Bibliotheca Schrader.* P. I. S 4. (ubi philoſophiæ ſcholaſticæ apud Lutheranos parens vocatur) *Magirus* 736. & *Rehtmeier* T. IV. Hiſt. eccleſ. brunſv. 405. qui refert, eum debuiſſe ac voluiſſe adiutorem fieri in eccleſia brunsvicenſi, niſi Ser. Landgravius Haſſiæ Ludovicus reſtitiſſet, ſcribens, academiam eo propter laudabiles ipſius dotes non poſſe carere.

Alardi VAECK Compendium Metaphyſicæ. Helmeſtadii 1620. In quo fundamenta ex *Ariſtotele*, eiusque interpretibus, ordine & perſpicue explicantur, & pleræque controverſiæ ad textum pertinentes ſuis locis diſputantur. Auctor in Præfatione, ſeu Dedicatione ad Chriſtianum Epiſcopum mindenſem & Ducem Brunſvic. ac Luneb. pugnat pro neceſſitate Metaphyſices in theologicis; quin ait, in dextre exponendis & recte defendendis, ſi non omnibus, certe quibusdam fidei noſtræ articulis, aliquem eius eſſe uſum.

Alardus *Vaëck*, S. theol. D. & ſuperintendens eccleſiarum Comitatus ſchaumburgici, & paſtor ſtadthagenus, anno 1646. in Holſatiam abiit, vocationi parens, & ſtruxit Commentarium in Symbolum apoſtolicum, nec non Tractatum de uniendis animis Chriſtianorum in fide illibata.

CLXXVIII.

EPICTETI Manuale & Sententiæ, cum Tabula CEBETIS, & alia affinis argumenti, cura Hadriani *Relandi*. Traiecti Bata-

tavorum 1711. Cebetis Tabula continet vitæ humanæ deſcriptionem, atque a M. *Meibomio* in lat. linguam verſa, cum græco textu hic exhibetur; alia vero affinis argumenti; ut ſupra dictum, ſunt 1) Prodicus de Hercule, ex libro II. Memorabilium *Xenophontis*. 2) *Hippocratis* Epiſtola ad Damagetum, qua ſuum cum Democrito colloquium deſcribit, ac plus ſemel teſtatur, Democritum, nugas & inſanias hominum, terrenis curis adhærentium, deridentem, omnium eſſe ſapientiſſimum, ſolumque potentiſſimum, & homines prudentes facere. Adduntur 3) Cl. *Salmaſii* Emendationes in Epictetum. 4. Notæ alius *viri docti* (ſed qui idem eſt *Salmaſius*) in Diſſertationes Epicteti, ab Arriano digeſtæ. 5) Varians ſcriptura codicum manu ſcriptorum in Epicteti Manuali & Cebetis Tabula. 6) Acceſſio ad Emendationes *Meibomianas* in Diſſertationes epicteteas Arriani. 7) Index omnium vocum, quæ leguntur in Manuali & Sententiis Epicteti. Et dignæ hic ſunt Præfationes *Relandi*, quæ legantur. Editio hæc eſt nitidiſſima, aliæ autem recenſentur in I. A. *Fabricii* Biblioth. gr. lib. IV. c. 7. p. 262. & *hic* poſt Præfationem. Enchiridion hoc eſt compendium philoſophiæ ſtoicæ, cuius ſumma eſt, Neminem lædi *niſi a ſe* ipſo, non ab ipſo ſcriptum Epicteto, ſed ex eius Diſſertationibus collectum ab *Arriano*, (*Placcius* de pſeudon. 253.) interpolatum poſtea a Chriſtianis quibusdam: & huius Enchiridii, ut ita vocemus, chriſtiani auctor eſt *Nilus*. Commentarium in Epicteti Enchiridion græce ſcripſit *Simplicius*, idque in multas translatum linguas argumento eſt, magnum ei pretium ubique & omni tempore poſitum fuiſſe.

Cap. XXX. n. IV. p. 55. Ius iurandum recuſa, ſi fieri poteſt, prorſus: ſin minus, *ſuper quibuslibet rebus.*

Quantum res ferunt. Lamb. *Bos* Exercit. philolog. 42.

Epictetus, natus Hierapoli in Phrygia, Epaphroditi, qui libertus & cubicularius Neronis Imperatoris erat, ſervus, ab eoque ut male tractatus, ita & beneficio affectus fuit: Cum enim herus ei crus frangeret, atque ſic claudum redderet, animo tam forti illud pertulit, ut torquenti crus ſubridens diceret, *Perfringes*: cumque ille fregiſſet, *Nonne prædicebam*, inquit, *quod perfracturus* eſſes? Sed & idem patientia hominis motus, libertatem ei donavit, atque ad phi-

Digitized by Google

philoſophiam fecit aditum. Philoſophus factus Epictetus, non gulæ, luxui ac ſplendori ſervivit, ſed omnem vitam in paupertate duxit, ita ut domuncula eius, quam Romæ habebat, nullis clauſtris egeret, nihilque contineret, præter lectum & culcitam, quibus ad ſomnum capiendum utebatur. Interim inter Stoicos philoſophus fuit maximus, & propter integritatem vitæ ac ſingularem ſapientiam paucis comparandus. Magnam ætatis partem ſine ſervo egit; tandem vero miſertus pueri, ab amico ſuo propter inopiam exponendi, eum ipſe aſſumſit educandum, aſſumtoque mulierculam nutricem adſcivit, hoc facto oſtendens, etiam pauperem poſſe liberalem eſſe erga pauperem, & philoſophi eſſe, bene facere. Ipſe nihil ſcripſit: ea autem docuit fecitque, quæ ut exciperentur litteriſque mandarentur, prout *Arrianus* fecit, erant digniſſima. Quo uſque vixerit, non conſtat; neque credendum *Suidæ*, aliisque eum ſecutis, Epictetum tempora attigiſſe M. ANTONINI Imperatoris: hoc autem certum, pulſis ſub Domitiano circa A. C. 94. Roma totaque Italia Philoſophis, deceſſiſſe Nicopolin, urbem Epiri apud Actium, ibique ſub TRAIANO, durante bello adverſus Getas ſeu Dacos, compoſitaque cum illis pace, eas Diſſertationes habuiſſe, quas eo defuncto *Arrianus* conſignavit, ne oblivione ſepelirentur. *Suidas* Lex. T. I. 817. & *Kuſterus* in Notis ad h. l, Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. græcæ lib. IV. cap. VII. p. 257. *Gataker* Præloquio in M. Antonini libros de rebus ſuis p. (prout ipſe ſignavi) 18. *Bona* Operum Tomo I. in Notitia auctorum (c) 8. *Conring* in Epiſtola, Henichii Diſſertationi de gratia & prædeſtin. præfixa, *Magirus* 311. *Pope-Blount* 123. Legatur etiam Mich. *Roſſalii* Diſquiſitio, qua probatur, Epictetum non fuiſſe chriſtianum; eademque recenſetur in Tomo IV. *Supplement.* Actor. erudit. p. 309.

Cebes, thebanus, *Socratis* diſcipulus, & philoſophus, tres ſcripſit Dialogos, quorum primus dicitur Εβδομη, *Septima*, alter Φρυνιχος *Phrynichus*, tertius Πιναξ *Tabula*: duo priores perierunt, tertius autem ſupereſt, & integer primum a Iac. *Gronovio* ex codice MSto Bibliothecæ regiæ pariſienſis editus fuit A. 1689. De hoc quidem *Suidas* T. II. 288. dicit, quod ſit *διηγησις των εν αδȣ*, ſive quod contineat narrationem eorum, quæ apud inferos fiunt; ſed talia in ea Tabula, quam hodie habemus, non exſtant. Vnde infert

Kuſterus, dubium videri poſſe, an Tabula illa noſtra vere Cebetis ſit; vel ſaltem, an Suidas de eadem Tabula hic intelligendus ſit, quæ hodie in manibus eruditorum verſatur. Quid enim, ſi duplicem formavit Tabulam, alteram de vita humana, alteram de iis, quæ apud inferos fiunt, cum idem Suidas memoret, eum *alia quadam* ſcripſiſſe?

Hippocrates, cous, natus Olympiade XXC. ex familia, ut ferebatur, Herculis & Aeſculapii, a patre *Heraclida*, & *Herodico* ſelymbriano medicæ artis ſcientia imbutus, in philoſophia autem *Heraeliteam* maxime diſciplinam ſecutus, primus fuit, qui certas de medicina regulas formaret. Idem prædixit peſtem ex Illyrico venturam: cumque prophetiæ eventus reſponderet, maximi propterea æſtimatus, & quaſi pro deo habitus fuit. Ionica dialecto ſcripſit libros de re medica præſtantiſſimos, tantamque doctrinæ ac peritiæ auctoritatem nactus eſt, ut princeps in eo genere ab omnibus in hunc uſque diem celebretur. M. Fabius *Calvus* opera eius e græco in latinum tranſtulit, ac edidit, pauperrimus inde redditus, eaque cum Hieronymi *Mercurialis* Notis & græce & latine prodierunt Venetiis anno 1588. ac poſtea Francofurti ad Mœnum A. 1595. cum verſione & annotionibus Anutii *Foëſii*, Lugduni Batavorum A. 1668. cura Io. Antonidæ *Van der Linden*, & Pariſiis A. 1680. una cum Galeno, ſtudio & opera Renati *Charterii*. Spuria tamen a genuinis ſunt diſcernenda. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. II. cap. 24. *Placc.* de pſeudon. 359. Si *Tzetzi* credendum, Hippocrates longævus fuit, atque ad annos 104. pervenit. Sed ſatius eſt, in re dubia ἐπέχειν. Quid autem de atheiſmo eius habendum? Accuſatus quidem huius vitii fuit haud ita pridem; ſed & defenſus a D. W. T. id eſt, Daniele Wilhelmo *Trillero*, Med. D. artem ſalutarem feliciter exercente.

Pauli PARVTAE Diſcorſi politici, Diſcurſus politici. Genuæ 1600. Prius Venetiis, anno 1599. Diverſa in illis conſiderantur facta illuſtria ac memorabilia Principum & Rerumpublicarum. Adiungitur Soliloquium, in quo auctor vitæ ſuæ examen breve inſtituit. De hiſce Diſcurſibus notandum, quod prudentes ac litteratiſſimi viri ſummis eas laudibus extollant: nam *Boſius* Diſſert. de compar. prudentia civili §. 46. vocat egregios; *Ferrarius* Operum varior. T. I. 430. eosdem intelligit, ſcribens, Parutam gra-

viſſimis monitis politicis civilem prudentiam, regnandi artes, arcanaque dominationum, imperiorum formas, belli pacisque conſilia ſeparato opere complexum eſſe; & *Naudæus* Bibliograph. polit. c. 25. (in Crenii Methodor. T. I. 571) numerat inter libros induſtria & iudicio valde præſtantes, atque auctorem ſalutat deum in hoc ſcribendi genere ſummanum. Vide etiam huius *operis* Partem IV. p. 3. & 11. Diſcurſus hi germanice prodierunt Bremæ A. 1676. & Vincentius *Fabricius* aliquot eorum in latinum tranſtulit, iique exſtant in ipſius Operibus p. 153.

CLXXIX.

Conjectura de Suburbicariis regionibus & eccleſiis, ſeu de Epiſcopi urbis Romæ diœceſi. Francofurti 1617. Auctor huius Coniecturæ non eſt Cl. *Salmaſius*, ſed Iac. GOTHOFREDVS, teſte *Placcio* de anonymis, p. 303. Atque is docet, Vocabulum *urbicarii* & *ſuburbicarii* pro eodem uſurpari: intra centeſimum ab urbe miliarium ſuburbicarias fuiſſe regiones, &, ſicut Præfecti urbi poteſtas atque imperium intra hunc terminum conſtitit, ita Epiſcopum romanum, reſpectu eccleſiarum hoc termino comprehenſarum, atque ideo ſuburbicariæ dictarum, nec ultra, in eccleſiaſticis habuiſſe ius ac poteſtantem: nec niſi IV. fuiſſe regiones urbicarias, Latium vetus, Latium novum, Tuſciæ partem, & Picenum. De Iac. *Gothofredo* diximus P. I. 325.

Chriſtophori BESOLDI *Πεντὰς* Diſſertationum philologicarum. Tubingæ 1622. 1) An & qualis futura fuiſſet reſp. in innocentiæ ſtatu? Futuram fuiſſe ait, ſed benignam, æquitate & iuſtitia ordinatiſſimam, & ſanctitate conſpicuam, ita ut Superiores bene imperaſſent, & inferiores ſponte obediviſſent. 2) De iure regio. 1. *Samuel.* c. 8. v. 11. & ſeqq. 3. De bombardarum & typographiæ inventione. Quarum illam alii ſæculo XIV. alii XIII. adſcribunt; hæc autem referenda eſt ad ſæculum XV. nam A. 1440. Io. *Guttenbergius*, argentinenſis, equeſtris ordinis vir, invenit hanc artem in patria ſua, eandemque Moguntiæ feliciter complevit. 4. Conjectanea de Iudæorum converſione. Placet ei ſententia affirmans, futuram nimirum ante mundi finem magnam & inſignem Iudæorum ad Chriſtum converſionem, ad eamque probandam adducit non tantum locum Ep. ad Rom. c. 11. ſed & multa V. T. loca,

ca, tandemque verbis Lutheri ſuadet, ut Chriſtiani Iudæos tractent ſuaviter & humaniter, nec duritie, contemtu, aſperitate, & vexationibus eorum animos a ſe abalienent. 5) de angelis Imperiorum. Oſtendit, pleroſque Patres crediſiſſe, ſingulis provinciis atque regnis, etiam infidelium, ſingulos præpoſitos eſſe angelos ſeu genios: *Genium* autem antiquis dici naturalem deum unius cuiusque loci, vel rei, aut hominis. Pentadi huic additur Friderici HEINII Diſſertatio de probatione, quæ fieri olim ſolebat per ignem & aquam, cum ferventem, tum frigidam. A. 1620. In qua iſta probatio, ut irrationalis, ſuperſtitioſa & impia improbatur, laudanturque pii ac prudentes Imperantes, qui eam abrogarunt. De *Beſoldo* nihil amplius hic dicimus, cum id factum ſit ſupra, in Partis huius pag. 223.

Fridericus *Heinius*, roſtochienſis, *Beſoldi* diſcipulus, eo tempore, quo eruditionis ſuæ iſthoc ſpecimen edidit, (edidit autem A. 1620.) erat Iurium ſtudioſus, nec tamen male ab *Heraldo* Orat. de provocat. ad iudicium in valle Ioſaphat p. 5. adpellatur eruditiſſimus.

Matthiæ GROSII Diſſertatio de Donatione Conſtantini magni, Imperatoris. Lipſiæ 1620. Habita in inclyta Rauracorum academia d. 10. Iunii A. 1619. Producitur Inſtrumentum donationis, quod exſtat in Iure canonico, Diſt. 96. & examinatur donater, donatarius, res donata, & cauſſa, propter quam facta donatio, oſtenditurque, donationem eſſe fictam, & inſtrumentum ſpurium.

Matthias *Groſius*, iunior, Matthiæ ICti, de quo *Witte* Diar. biograph. Z 3. filius, V. I. doctor, floruit A. 1620. & ſcripto hoc hiſtorico-iuridico ſatis teſtatum fecit, ſe in utraque notitia haud leves progreſſus feciſſe, & honores doctorales iure meritoque eſſe conſecutum.

Zach. THEOBALDI Chronologica Bohemicæ eccleſiæ adumbratio. Wittebergæ 1611. Ab anno 894. uſque ad 1602. Scriptum hoc inter alia rerum bohemicarum nominatur a *Baclero* Bibliograph. crit. p. 326. Dictis vero noſtris de Theobaldo, quæ p. 246. leguntur, tantum hoc addimus, cum fuiſſe paſtorem in pago Kraftshof terræ noribergenſis, emiſiſſe etiam Arcana naturæ, libellum de Anabaptiſtis, Commentationem de viſione Dei beatifica,

tifica, Sponſam Salomonis, & alia, cumque deſignatus eſſet profeſſor Mathemathum altorfinus, fatis conceſſiſſe anno 1627. ætatis 45. *Witte* Tomo II. Diarii biograph. p. 54.

Chriſtiani HEROLDI Diſſertatio, ſive Oratio de provocatione ad iudicium in valle Ioſaphat. Noribergæ 1624. In qua multis exemplis oſtenditur, fuiſſe, qui, putantes iniuriam ſibi eſſe illatam, provocatione illa ad iudicium Chriſti, in valle Ioſaphati, ut credebant, peragendum, innocentiam ſuam probare voluerint; ſed ſatius eſſe docetur, chriſtiana ſe munire patientia, & pro hoſtibus Deum precari, ad pœnitentiam ut redeant, & ſalventur.

Chriſtianus *Herold*, iuvenis erat, atque in numero ſtudioſorum, cum orationem conſcriberet & haberet, ſed tam ſanis ſanctisque Iuris principiis imbutus, ut Georgius *Remus*, ICtus noribergenſis, Orationem eius Scazonte ornarèt ad Reges, Principes ac Iudices terræ, iubens eos iuſte iudicare: ſic fore, ut a valle nil metuant, aut tribunali illo tremendo.

Henningi RENNEMANNI Commentarius de iure retortionis contra verbales iniurias hodie paſſim uſurpatæ. Ienæ 1629. Diſquiritur pluribus, num illud eo, quo hodie frequentatur, modo, ſive ex iure divino, ſive ex romano, germanico vel ſaxonico probari, & pro Chriſtianorum tribunalibus, vel inter ipſosmet privatim tolerari poſſit? & reſpondetur negando in omnibus. Auctor ſcribere mavult cum *Budæo*, *Zaſio* & Dan. *Mollero* Retortio, quia venit a ſupino Retortum, quam Retorſio, & multas ſanioris Iurisprudentiæ ſententias adfert, aliaque notabilia, quæ excerpere nec mihi moleſtum erit, nec, uti ſpero, Lectoribus ingratum. Nimirum, 1. actionem iniuriarum non removere contumeliam illatam, ſed perſequi poenam. 2. Famam & vitam non ambulare pari paſſu. 3. Infamiam facti ex facto proprio, non alieno, adſpergi. 4. Infamem non fieri, cui factum infame convicium, 5. Iniuriam verbalem per ſe boni viri famam non lædere, nec eſſe retorquendam. 6. Iniuriam cum iniuria non compenſari, ſed utriusque nomine agi. 7. Retortionem non poſſe maculam purgare, famæ iniuriati adſperſam: nec eam excuſare neceſſitatem: nec abſterrere conviciatorem ab iniuria: nec adprobari ſive in ſacra theologia, ſive in ſana philoſophia, ſive in politia, ſive in iurisprudentia.

tia. Ceterum fatetur, Doctores iuris in conſiliis ſæpe eſſe ſuſpectos, & opiniones interdum ſequi ſine iudicio, malumque retortionis ab improvida Doctorum turba, cum qua tamen veri & ſancti iuſtitiæ ſacerdotes nihil commune habent, originem habere.

Henningus *Rennemann*, Papæburgenſis ſaxo, I. V. doctor, anteceſſor & conſul primarius erfurtenſis, nec non conſiliarius hennebergicus & ſolmenſis, pluribus ingenii monumentis famam & celebre nomen conſecutus eſt: ſcripſit enim de Abuſuum iuris vanitate, Diſputationes collegii iuridici, de Opinionum communium vanitate, Iurisprudentiam iuſtinianeam, Repetitiones iuris canonici, Deciſionem controverſiæ monetariæ, Diſpp. de prærogativa creditorum, matrimonio, inculpata tutela, & alia, atque e vita diſceſſit A. 1646. ætatis 80. *Witte* Diar. biograph. Vu 3.

Caſp. ZIEGLERI Epiſcopus miles in veteri eccleſia inviſus. Wittebergæ 1672. *Ακρόαμα* hoc potiſſimum ex Iure canonico depromptum eſt, e quo demonſtrat, Epiſcopos primorum ſeculorum, & cum adhuc ethnici imperarent, ne potuiſſe quidem, ſequentibus autem ſub Conſtantino M. aliisque *chriſtianis* Imperatoribus non licuiſſe arma ſumere, uſque dum perditiſſimo ſeculo X. ſententia invaluit, non eſſe alienum a ſacro ordine, neceſſitate exigente militiam ſequi, & armis bona ſua defendere. Atque ad eam data eſt occaſio per Principes, Reges, & Imperatores, qui terras, pagos, urbes & caſtella Eccleſiis donarunt, atque ex Epiſcopis fecerunt Principes: quorum ſane dignitatem quilibet revereri debet: ſed qui munia Epiſcoporum propter curas ſæculares non obeunt, nec crediti ſunt eſſe Epiſcopi. De Zieglero hic nihil addimus, quia ſatis de eo diximus P. IV. 136.

Georg. Adami STRUVII Diſſertatio de invocatione nominis divini. Ienæ 1682. In qua agitur de præcognitis invocationis divinæ, de eo, qui invocandus, & de invocantibus, de invocatione nominis divini in variis negotiis & actibus, de eius variis finibus, effectibus, formulis, ritibus, & accidentibus loci ac temporis, deque eius affinibus & contrariis. *Spirat*, ut Collectores *Actorum erud*. A. 1682. 299. ſentiunt, *hoc opuſculum ubique doctrinam edecumatam, raramque in ICto πολυμαθειαν: ſiquidem non modo ex Iure privato, publico & canonico, ac quam plurimis aliis cum priſci, tum moderni*

derunt avi ICtis, variisque hanc in rem Reſponſis, ad praxin Fori conducentibus, hæc materia per aphoriſmos, & his ſubiecta ſcholia digne eruitur; ſed etiam ex Hiſtoricis & Philoſophis, græcis æque ac latinis, tam antiquis quam recentioribus, nec non variorum Theologorum ſcriptis ita illuſtratur, ut cuivis eruditorum emolumento & delectationi futurum ſit.

Georgius Adamus *Struvius*, magdeburgenſis, Ortolphi *Fomanni*, *Hahnii*, & *Conringii* diſcipulus, poſt impetratos honores doctorales primum fuit aſſeſſor in Scabinatu halenſi, deinde anteceſſor in academia ienenſi, collega Scabinatus huiusdem loci, & aſſeſſor Curiæ provincialis. Vinaria eum Ienæ ereptum novis honoribus mactavit: conſtitutus enim fuit ſereniſſimi Ducis conſiliarius & Cameræ præfectus, atque ad extremum Conſiliariis ſanctioribus adſcriptus. At ſicut eius merita non decreſcebant, ita nec munera & dignitates. Revocato namque Ienam, & *Richteri* locum occupare iuſſo Ordinarii ſparta cum præſidio Tutelaris ſenatus & ſacri Conſiſtorii fuit impoſita, eoque ille, quamvis labores per novum ſplendorem, quo ſereniſſimus Princeps Landgravius Haſſo-darmſtadienſis vocatione ad conſiliarii intimi provinciam eum ornaverat, aucti eſſent, ad extremum uſque vitæ diem impigre eſt functus, nec minus ſtudioſæ pubi ſemper adfuit, eique prodeſſe ſtuduit, tametſi a profeſſoria ſparta vacationem aliquandiu impetraſſet. Vltimus anni poſt milleſimum & ſexcenteſimum ſecundi & nonageſimi menſis celeberrimo huic & undequaque meritiſſimo viro fuit fatalis: dum enim cum Collegis conſultabat, derepente fatiſcere cœpit, poſteroque die, rite præparatus, placide ac leniter vitam hanc depoſuit, annis 73. maior, & 47. liberorum aut pater, aut avus. Sed libri ſive ſcripta eius illorum numerum longe ſuperant: e quibus tantum aliqua indicare placet. Nimirum eius ſunt Syntagma iuris feudalis, Syntagma iuris civilis, Ius ſacrum Iuſtinianeum, *Gothofredi* Immo, Commentarius ad L. 5. Decret. de Delictis, Iuriſprudentia germanico idiomate formata, & Diſputationes plurimæ, inter quas eminent de victoria & clade, de vindicta privata, de iniuriis verbalibus, de iure eccleſiarum, ſenectutis, arreſti, ſigillorum, parochiali, & liberorum, ac de conſuetudinibus rationalibus & irrationalibus. Videatur *Programma funebre*, quod Pro-Rector & Senatus academicus in memoriam defuncti poſuere, *Zeumer* in Vitis ICtor. ienenſium p. 139. & *Acta eruditorum* A. 1693.

Digitized by Google

1693. 46. ubi præclariſſimum, omniaque alia abſorbens elogium exſtat magni huius divinarum atque humanarum legum interpretis.

Io. Gabr. DRECHSLERI Deſcriptio Moſis, ſervi Domini. Lipſiæ 1674. Deſcriptio hæc eſt theologico-hiſtorico-mythico-dogmatica, qua multa non tantum Scripturæ loca ex ſacra philologia enucleantur, ſed inſuper etiam hiſtoriæ, typi, ſimilia, moralia, & alia lectu iucunda ac ſcitu neceſſaria exhibentur. Speciatim vero auctori ſermo eſt de Moſis genere, educatione, rebus geſtis, auctoritate, utraque fortuna, & morte.

Ioannes Gabriel *Drechsler*, Wolkenſteinio-miſnicus, ſtudia philologica cum theologico coniungens diligentiæ ſuæ fructus edidit varios, atque in publicum emiſit Diſputationes de cithara Davidis ac de ſyncretiſmo Pilato-Herodiaco ad *Luc.* 22, 12. de ſtrena Magorum Chriſto recens nato oblata ex *Matth.* 2, 1. 11. Manuductionem ad poëſin hebraicam, Compendium hiſtorico-chronologicum ſine diſpendio, & Amicam epiſtolam contra *Mechovium*. Sed & honores, tanquam præmia induſtriæ, conſecutus eſt haud ſpernendos: creatus enim fuit magiſter philoſophiæ & optimarum artium, item baccalaureus S. theologiæ, ac primum admotus muneri ſcholaſtico, ut videtur, Halæ Saxonum: quod ille quidem in Præfatione *herculeum* appellat *ſtabulum*, ſed & mox ad ſe rediens fatetur, beati huius laboris & ſudoris non ſe pœnitere, cum ſciat, Iehovæ manu directrice ad eum ſe ductum eſſe. Recte: ſit enim moleſta provincia ſcholaſtica, eadem tamen eſt honeſta, honorata apud ſapientes, & multiplicem Reip. & Eccleſiæ adferens utilitatem.

IN-

INDEX AVCTORVM

Quorum libri recenſentur, aut de quibus memorabilia adferuntur.

A

ABadie. v. Labadie
Abarbanel 324. 329. 337. 357
Aepinus *Io.* 79
Agenda luſatica 134
Alardus *Nic.* 97
Albericus 237
Albinus *Pet.* 241
Albrecht *Bernh.* 120. *Georg.* 107
Alciatus *Ter.* 277
Alexander *Nat.* 277
Allatius *Leo* 508
Alſtedius *Io. Henr.* 436
Altorfini ICti 186. theologi 101. 136
Alvensleben *Ioach.* 202.
Alypius 258. 259
Amelot 273
Ammersbach *Henr.* 40-43. 218
Ameſius *Guil.* 26
Amling *Wolfg.* 129
Amsdorf *Nic.* 90. 91
Amthor *Chriſt. Henr.* 462
Amyraldus *Moſ.* 349
Andreæ *Iac.* 79. 107. 124. 128. 129
Sam. 104
Angelus *Chriſtoph.* 367
Anhaltini theologi 129
Anonymi 329. 520
Apelius *Io.* 165
Aphthonius 267
Apinus *Sigism. Iac.* 389
Aretinus *Leon.* 383. 431. 442
Argyrus *Iſ.* 334
Ariſtoxenus 258. 259
Arnd *Car.* 462
Arngrim. v. Ionas
Arnold *Gottfr.* 67. 468. 471
Arnſchwanger *Io. Iuſtin.* 492
Arrianus 536. 537
Aſtrampſychus 259. 260
Auberinon 137
Aventinus *Io.* 194
Auguſtinus *Aurel.* 132
Aulber *Matth.* 79
Aureolus *Pet.* 279. 280
Authes *Herm. Adolph.* 215. 216

B

Bacmeiſter *Luc.* 130
Baier *Io. Iac.* 292. 293
Balduinus *Frid.* 77. 78
Bandurius *Anſelm.* 248. 250
Bangertus *Henr.* 204. 205
Barbus *Paul.* 483
Bartenora. v. Obadias
Barem *Mart.* 223
Bargæus *Pet. Angel.* 435. 443
Barlæus *Caſp.* 29
Barrocius *Pet.* 483. 484
Barthius *Caſp.* 71
Barvoetius *Alex.* 496. 499

Baſhuyſen *Henr. Iac.* 1. 2. 480
Gualth. 2
Baumann *Ant.* 108
Bayſius *Lazar.* 375
Becanus *Mart.* 16. 163
Beccadellus *Lud.* 383
Beck *Io. Iod.* 175. 176. *Mich.* 301
Becket *Io. Chriſt.* 108. *Otto Henr.* 3
Becmann *Io. Chriſtoph.* 395
Beda presbyter 132
Beer *Mart.* 137
Beger *Laurent.* 3
Behrens *Conr. Berth.* 312. 313
Bellarminus *Rob.* 153. 448
Bellovacenſis. v. Vincentius
Benthem *Henr. Ludolf.* 102. 103
Benoiſt *El.* 11
Benzel *Eric.* 528
Berckenthal *Io.* 44
Berent *Io.* 141. 142
Bergis *Maximil.* 71
Bergius *Conr.* 163. *Io.* 164
Bernegger *Io. Caſp.* 226. 436
Bernhard *Iac.* 9
Bertius *Pet.* 23. 25. 28
Bertram *Io. Georg.* 294
Bertrandus *Io.* 468. 469
Beſoldus *Chriſtoph.* 210. 223. 539
Beſſarion 499. 500
Beza *Theod.* 11. 128
Bidembach *Balth.* 79. *Fel.* 79. 80. *Io.* *Maur.* 80
Bidermann *Iac.* 135
Bie *Iac.* 251
Bion *Nic.* 519
Bircherod *Ianus* 226
Biſciola *Lal.* 529
Biſterfeld *Io. Henr.* 35. 36
Blandrata *Georg.* 124
Bleckfenius 214
Bloſius *Lud.* 68. 71
Bock *Bened.* 136
Bœcler *Io. Henr.* 227. 228
Bœhmer *Iuſt. Chriſt.* 524. *Phil. Lud.* 364
Bohemi Fratres. v. Fratres Bohemi
Bœttiger *Io.* 217
Bombaſt. v. Paracelſus
Bonavidius. v. Mantua
Bonifacius *Balth.* 496. 498
Borchard *Bonaventura* 201. 202
Borne *Io. Georg.* 109
Borrichius *Ol.* 431. 440
Boſe. v. Groſeus
Boſius *Io. Andr.* 230. 256. 434. 435
Boterus *Io.* 196
Bovius *Io. Ant.* 276
Bræcqs *Guil.* 196
Brandenburgicus Elector 145
theologi 119
Braſſicanus *Io. Alex.* 496. 499
Breitinger 328
Brenneyſen *Enno Rudolph.* 143. 144
Breckling *Frid.* 48
Brentius *Io.* 31. 79. 89
Brenz *Sam. Frid.* 354. 356
Breuleus *Tilem.* 79
Brotuff *Ern.* 465
Bruckner *Hier.* 137. 138
Bucerus *Mart.* 79. 89. 122. 123
Bucher *Chriſt. Frid.* 106
Bucholcer *Abr.* 221. *Godfrid.* 222

Bucholz *Chriſtoph. Ioach.* 86. 87. 95. 96
Budæus 433
Buddeus *Io. Fran.* 271. 463
Bugenhagen *Io.* 79. 111
Buno *Conr.* 197
Bûnting *Godeſchalc.* 150
Burchardus *Io.* 477
Burghof *Alb.* 329
Burgundus *Nic.* 194. 256
Burnet *Gilb.* 104
Buri *Richard.* 499. 500
Burtonus *Guil.* 468
Buſmann *Io. Chriſtian.* 466
Buſſieres *Io.* 210

C

Caccialupus. v. Gazalupus
Calixtus *Georg.* 126
Calliachius *Nic.* 387. 388
Calovius *Abr.* 59. 515
Calvinus *Io.* 159
Calviſius *Sethus* 219. 220
Camerarius *Ioach.* 435. *Phil.* 204. 247. 248. 286
Campanella *Thom.* 434
Campianus *Edmund.* 274
Capellius *Car.* 483
Carolus IV. Imp. 203. 233. 235. VI. 190. 191
Carpzovius *Frid. Bened.* 409. 417
Io. Bened. 335. 336
Caſa *Io.* 194
Caſaubonus *If.* 223. 227
Caſelius *Io.* 392. 431
Caſtalio *Seb.* 239
Caton *Wilh.* 44. 45
Cauſeus *Mich. Ang.* 249
Cebes 535. 537
Cellarius *Chriſtoph.* 441
Cellenſes theologi 185
Cephalus *Sigism.* 79
Chalcidius 261
Chamillard *Steph.* 249
Chantereſne 145
Charitius *Andr.* 307. 308
Chaſſeneus *Barthol.* 496. 497
Chauſſe. v. Cauſeus
Chemnitius *Mart.* 89. 129. 281
Chriſtmann *Iac.* 333. *Wolfg. Iac.* 109. 110
Chronica 169
Chronicon hieroſolymitanum 233. Holſatiæ 237. Montis ſereni 303. rhythmicum 296
Chronographus Saxo 236
Chryſoſtomus 69
Chytræus *Nathan* 392. 394. *Dav.* 392
Cicarella *Ant.* 496
Clapmarius *Arn.* 435. 443
Claſen *Dan.* 239
Claudius 299. 300
Clavius *Eric.* 197
Clericus *Io.* 195
Cloppenburg *Io.* 20. 21
Cluverus *Io.* 216
Cocceius *Io.* 65. 66
Codex canonum 317
Codomannus *Sal.* 79
Codonius *Georg.* 79
Cœlius *Mich.* 79
Coler *Ant.* 113. *Iac.* 124. *Io. Chriſtoph.* 477. *Chriſtoph.* 207. 435. 444

Colich *Andr.* 79
Collin 195
Colloquium albenſe 124. franckenthalenſe 133. hamelsburgenſe 125. hernbergenſe 129. langenauenſe 124. lipſienſe 125. maulbrunnenſe 123. 126. 128. mompelgartenſe 128. neuburgenſe 130. oettingenſe 136. ratisbonenſe 122. 126. 128. roſtochianum 130. vinarienſe 127. wormatienſe 122
Columella *L. Iun. Moder.* 384.386
Colvillus *Dav.* 496
Comenius *Io. Amos* 173.271.272
Conring *Herm.* 198.350.441.496
Conſenſus ſendomirienſis 128
Conſtantinus porphyrogenneta 385.386
Contarenus *Caſp.* 123. *Pet.* 483
Contraremonſtrantes 23
Corderius *Balth.* 496
Corippus *Fl. Creſcon.* 169
Corvinus *Andr.* 79. *Io. Arn.* 27
Cornæus *Melch.* 366
Corner *Chriſtoph.* 129
Coton *Pet.* 151
Cotta *Caſtellian.* 473.475
Cramer *Dan.* 362.363
Craws *Io.* 204
Creſcentienſis *Petr.* 385.387
Crenius *Thom.* 371.430.437
Critopulus *Metroph.* 198.19?
Crocius *Io.* 163
Crugerius *Pancrat.* 281.286
Cruſius *Theod.* 372
Curchinus *Ant.* 235
Cyprianus *Ern. Sal.* 315.505
Czvittinger *Dav.* 397

D

Dacrianus 69
Dallæus *Io.* 14
Dannhauer *Io. Conr.* 86.330
Danus *Severinus* 32
Daſſovius *Theodor.* 66
Dathenus. 133
Davidis *Fran.* 124
Denck *Mich.* 83
Deuſing *Ant.* 22.441
Diebold 133
Diepurgus *Io.* 392
Dietericus *Conr.* 116. *Vitus* 329
Dilfeld *Georg. Conr.* 41
Dilherr *Chriſt. Gottlieb* 137
Dinner *Andr.* 172.174
Dodecas ſcriptorum theolog. v. Noribergenſes
Domann *Io.* 392.393
Dominis *M. Ant.* 203
Donner *Io.* 154
Doppelmeyr *Io. Gabr.* 519.524
Dorſcheus *Io. Georg.* 331.466
Dordracena Synodus 159
Dransfeld *Iuſtus* 297.315
Draudius *Georg.* 529.530
Drechsler *Io. Gabr.* 544
Dubravius *Ianus* 384.385
Dudithius *Andr.* 274
Dunte *Lud.* 81.82
Durandus 232
Dürer *Alb.* 219
Dürr *Io. Conr.* 155
Dyke *Ierem.* 166.167

E

E

Eberhart *Chriſtian.* in Addendis
Eccius *Io.* 122.123
Echter *Sev.* 131
Eginhartus 170
Eichel *Io.* 237
Elmenhorſt *Henr.* 144.145
Emſinckhofer *Herm.* 79
Engelhuſius *Theodoric.* 204.304
Eniedinus *Georg.* 51
Entzelt *Chriſtoph.* 218
Epictetus 535.536
Epiſcopius *Sim.* 168
Eraſmus 430
Erdtmannus *Io.* 215
Erhard *Wolfg.* 110
Erneſtus Haſſ. Landgr. 163
Eſteius 26
Eyben *Chriſtian.Wilh.* 445.447

F

Fabricius *Fran.* 197. *Georg. Phil* 137. *Iac.* 267. *Io* paſtor norib. ad D. Mariæ 95. 153.155. *Io.* fil. 101 136. *Io. Albert.*248. *Io. Iac.* 41. *Io. Phil.* 227
Faës *Io.* 370.371
Faucheur *Mich.* 527
Fecht *Io.* 227.288.316.331.332
Fehlavius *Georg.* 367.368
Felbinger *Ierem.* 52.53.54
Felgenhauer *Paul.* 33.34.37
Felwinger *Io. Paul.* 57.512
Ferdinandus Rex Rom. 153
Albertus Ferdinandus *Dux B. & L.* 209.210.
Ferrarius *Fran. Bernhardin.* 317. *Octavius* 376.380
Feuerborn *Iuſtus* 51
Feuerlein *Conr.* 137.155. *Io. Conr.* 146.477
Feuſtking *Io. Henr.* 138.139
Fichardus *Io.* 473.474
Fickius *Bened.* 44
Fickler 131
Figrelius *Emund.* 496.498
Flacius *Matth.* 79.127
Flemmer *Chriſtian.* 205
Fœrtſch *Mich.* 4
Forbeſius *Io.* 71
Forbiſſer *Mart.* 287
Fortius *Ioach.* 430.438
Franck *Io. Chriſtoph.* 469
Francke *Aug. Herm.* 97.98.147
Francofordia *Io.* v.Diepurgus.
Francofurtenſes ICti 146
Frantzius *Io. Ioach.* 169.170
Fratres Bohemi 271
Fraxineus *Io.* 208
Freher *Marq.* 171.391
Freigius *Io. Thom.* 286
Freytag *Bernh.* 313
Frick *Io.* 419
Friderich *Dan.* 38.39
Fridericus V. Elector palat. 222
Frid. Wilh. Sax. Dux 505
Friderici *Io.* 369
Friſchmuth *Io.* 325.326
Fritſch *Ahasv.* 172.174.175
Froius 71
Fronmuller *Conr.* 326
Fulgentius 274
Funger *Io.* 435.443

Fürer *Chriſtoph.*208. *Iac.* 208.209
Fürſtenberg *Ferdin.* 186.187.242. 243

G

Gabrielius *Aug.* 483
Gakenholz *Alex. Chriſtian.* 524
Gallandus *Ant.* 249
Gallobelgici theologi 125
Gallutius *Tarq.* 277
Gardinerus *Sam.* 62
Gaſſendus *Pet.* 263.264
Gaulmyn *Gilb.* 508
Gazalupus *Io. Bapt.* 473.474
Genebrierius 249
Gentilis *Alberic.* 473
Gentius *Georg.* 333.339
Georgius Iohannes, Com. palat. Rheni 287
Gerhard *Io.* 72.88
Gering. v. Mylius
Gervaſius tilberienſis 203
Geſner *Salom.* 42
Geſſelius *Timan.* 12.13.268
Gibellinus *Theodoſ.* 476
Gieſſenſes ICti 186
Glaceanus *Georg.* 286
Glaſer *Phil.* 221. *Io. Frid.* 221
Glaſſius *Sal.* 465
Glycas *Mich.* 262
Goclenius *Rudolph.* 134
Gœbel *Io. Wilh.* 193
Gœlnitz *Io. Henr.* 136
Goës *Io.* 392.395
Gœtz *Georg. Henr.* 370
Golſcher 236.237
Gothofredus *Iac.* 539
Gottwalt *Dan.* 162
Goulmynius 508
Grænvillius 249
Graſius *El.* 135
Graverolius *Fran.* 249
Grauerus *Alb.* 50.51
Grebenitz *El.* 328
Gregorius tholoſanus 204
Gretſer *Iac.* 126.130.131.134.135
Grevinchovius *Nic.* 26.30
Gribaldus *Matth.* 473.475
Gropper *Io.* 123
Gros ſive Groſeus de Boſe *Claud.* 248. *Matthias* 540
Grotius *Hugo.* 21. 185. 432. *Guil.* 468.469
Grunewald *Io. Caſp.* 429
Gryphiander *Io.* 187
Gryphiswaldenſes theologi 96
Gudius *Marq.* 508
Gundling *Nic. Hier.* 194
Gutermuth *Celeſt. Frid.* 76.77
Guthmannus *Aeg.* 41
Guttenberg *Io.* 539
Gyraldus *Lil. Gregor.* 391

H

Hackſpan *Theodoric.* 322.323
Hæberlein *Iac. Eberh.* 136
Hahn *Sim. Frid.* 305
Halenſes ICti 186
Hallervord *Io.* 459.460
Hamburgenſes theologi 185
Hamelmann *Herm.* 79.392
Hammer *Mart.* 79
Hanniel *Ignat.* 435.444
Hanoverani theologi 185
Hardt *Herman.* 358.500. *Richard.* 232

Harduinus *Io.* 195
Hardyus *Claud.* 508
Haringus *Pet.* 129
Hartnaccius *Dan.* 264.267
Haſæus *Theod.* 320
Haſſelmann 313
Haſſiaci theologi 88
Haugwitz *Chriſtoph.* 110 111
Havemann *Mich.* 87
Haymus *Nic. Fran.* 252
Haython 233.235
Heerbrand *Iac.* 79
Heidmannus *Chriſtoph.* 197.500
Heilbrunner *Iac.* 126,127. 130
Heineccius *Io. Mich.* 303
Heinius *Frid.* 540. *Wilh.* 33
Heinold. *Io. Wolfg.* 136
Helmoldus 205
Helmont *Io. Bapt.* 267
Helmſtadienſes ICti 186. theologi 41. 136
Helt *Adolph.* 34. 35. *Caſp.* 124.125
Helvicus *Chriſtoph.* 88
Hemelar *Io.* 251
Henckel *Tob.* 111
Henoch Ben Levi 326
Henrici *Scipio* 277
Henricus Iulius D. Br. & L. 281. 284
Henſchenius *Gothofr.* 195
Heresbach *Conr.* 385.387
Hermannus *Nic.* 150
Herodes magnus 223
Heroldus *Chriſtian.* 541. *Tobias* 88 89
Heshuſius *Tilem.* 79.89.92
Heſſus *Eoban.* 225
Hildebrand *Ioach.* 302. *Wolfg.* 119
Hildesheim. theologi 185
Hippocrates 535.538
Hocker *Iod.* 79
Hoë *Matth.* 33.112
Hoffmann *Chriſtian. Godofr.* 473. 475. *Io. Henr.* 298
Holl *Io. Georg.* 136
Holm *Pet.* 200
Hombergk *Io. Frid.* 522
Hommius *Feſtus* 19
Honert *Taco Haio* 11
Hoornbeck *Io.* 75
Horb *Io. Henr.* 137
Horneius *Io.* 198.199
Hottinger *Io. Henr.* 493
Houſſaye. v. Amelot
Hroſwitha. v. Roſwitha
Huber *Sam.* 131
Hugo *Herm.* 153
Hugonius *Io.* 79
Huldrici *Io. Iac.* 348
Hunger *Alb.* 126
Hunnius *Aeg.* 126. 127. 134. 135.139. 151.157.163

I

Iacobus de Erfordia 280
Iæger *Chriſtoph.* 213
Iechiel, pater R. Aſcher 348.350
Ienenſes ICti 186
Ioannes archiep. pragenſis 233 chemenſis epiſcopus 368. vitoduranus 236.237
Ionas *Arngrim* 214
Iſaac 348. 350
Ittig *Thom.* 140.302.303.310

Index

Iudex *Matth.* 79
Iuliæ Profeſſores 280
Iulius, Dux Br. & Lun. 281. 284
Iuncker *Chriſt.* 504. 505. *Io. Georg.* 478
Iunius *Fran.* 432
Iurieu *Pet.* 277
Iuſtellus *Chriſtoph.* 317
Iuſtinianus. v. Wels. *Bernh.* 483

K

Kauffungen *Caſp.* 89
Kedd *Iod.* 267
Keller *Iac.* 130. 131. 135
Kempis *Thom.* 9
Kesler *Io. El.* 136
Kettner *Frid. Ern.* 5. 372
Kiliani *Gothofr.* 143
Kilonienſes theologi 96. ICti 186
Kirchinia *Maria Margar.* 525
Kirchmaier *Georg. Guil.* 306
Kirchner *Timoth.* 281
Knorr *Chriſtian.* 349
Koch *Corn. Diet.* 194. 195
Koenig *Georg.* 82. 83
Kolb *Rob.* 104
Kornmann *Henr.* 112
Kraft *Io. Melch.* 5
Krantz *Gottlob* 207
Kregel *Matth.* 33
Kreſſ *Io. Paul.* 176
Kriegk *Georg. Nic.* 485. 486
Kruſike *Io. Chriſtoph.* 307
Kymeus *Io.* 89

L

Labadie *Io.* 46
Lambertus ſchaffnaburgenſis 204
Lamy *Bern.* 341
Lancken *Aegid.* 435
Landherr *Georg.* 152
Lange *Ioach* 5. *Io. Chriſtian.* 105
Lauredanus *Io. Fran.* 481
Lauterberg 303
Leibnitius *God. Guil.* 193. 236. 249 477
Leidenſis academia 491. Theatrum anatomicum 292. theatri anatom. catalogus 293
Leo *Iac. Iehuda* 341. 342. *Io.* 493
Leſſius *Leonh.* 153
Letzner *Io.* 240. 297
Leuchter *Henr.* 309. 310
Leuckfeld *Io. Georg.* 295. 296-299. 470
Leyning *Io.* 89
Libavius *Andr.* 134
Liebknecht *Io. Georg.* 250
Liechtenberg *Iac.* 119
Lilien *Caſp.* 327
Limborch *Phil.* 162
Lipmann 322. 323. 348
Lipſius *Iuſt.* 392. 393. 436. 495
Lochner *Mich. Frid.* 521
Lomeier *Io.* 384. 502
Longus *Ant.* 483
Loſius *Io. Iuſt.* 318
Lubbertus *Sibrand.* 17. 21
Lubecenſes theologi 96. 185
Ludolfus *Iob* 299
Ludovici *Chriſtian.* 140. 141
Ludovicus Sanctus 109
Lullius *Raimund.* 526

Lune-

Luneburgenſes theologi 185
Luther *Mart.* 79. 159. 160

M

Mader *Ioach. Io.* 203. 204. 206. 495. 496. 506
Maderò *M. Ant.* 387. 388
Magirus *Tob.* 445
Maimonides 335. 336. 337. 338. 339. 357
Maiolus *Sim.* 529. 530
Maior *Georg.* 92
Maius *Io. Henr. fil.* 357
Maltraitus *Claud.* 238
Manettus *Iannoz.* 383
Mantua *Mar.* 473. 474
Marca *Petr.* 195
Mareſius *Sam.* 48. 49
Marpurgenſes ICti 185. theologi 41
Marſennus *Marin.* 263
Marsham *Io.* 349
Martini *Chriſt.* *Sam.* 478. *Corn.* 153. 197. *Iac.* 51
Maſſarius *Fran.* 374. 375. 385
Mattheſius *Io.* 79. 149. 150
Matthiæ *Io.* 125
Mayer *Io.* 237. 238. *Io. Frid.* 98. 101. 313. 461. 462
Mediobarbus *Io. Ant.* 249
Medus *Ioſ.* 102. 103
Meelfuhrer *Io. Chriſtian.* 456
Mehrning *Iac.* 278
Meibom *Henr.* 233. 299. 392. 395
— *Herm. Diet.* 396
Meiderlinus *Pet.* 112
Meier *Gebh. Theodor.* 317. 318. 363. 364. *Ioach.* 249. *Sebaſt.* 267
Meinders *Herm. Adolph.* 186. 188
Meiſner *Balth.* 152
Melanchthon *Phil.* 122. 123
Melander *Dionyſ.* 89
Melius *Pet.* 124. 125
Mellinus *Georg. Iac.* 257
Mencelius *Hier.* 72
Mencke *Otto* 409. 417. *Io. Burch.* 418
Menius *Iuſt.* 92
Mengering *Arn.* 80
Mentzer *Balth.* 117
Menz *Frider.* 472. 473
Metochita *Theodor.* 261. 262
Merckel *Henr.* 247
Metrophanes. v. Critopulus
Metternich *Guelph.* 532
Meurſius *Io.* 223. 258. 259. 260. 261
Meyer *Barthold.* 97. *Ludov.* 60
Michaëlis *Io. Henr.* 299. 301
Micrælius *Io.* 264. 267
Mieg *Io. Frid.* 328
Mœbius *Georg.* 372. 373
Mœller *Io. Gottlieb* 229. 230
Mœrlinus *Ioach.* 289. *Maximil.* 72
Moiſſonierius 249
Molanus *Ger. Wolth.* 282
Moller *Io.* 419. 471
Montanus *Io.* 278
Moravi fratres. v. Bohemi Fratres
Morellus *Andr.* 249
Morhof *Dan. Georg.* 418

Moſes fil. Nachmani 348. 350. fil. R. Gerſon Chapetz 341
Muhamed Alfragan 334
Muhldorfer *Andr.* 137
Muhlius *Henr.* 66
Muller *Andr.* 233. 429. *Phil.* 339
Mulz *Iac. Bernhard.* 136. 137
Muſæus *Sim.* 127. *Io.* in Addendis.
Muſculus *Andr.* 79. 129. *Wolfg.* 79
Mylius *Georg.* 42. 79. 127. 156
Mynſinger *Ioach.* 281. 285

N

Narz *Io.* 136
Naſſer *Barthol.* 162
Nauclerus *Io.* 91
Naudæus *Gabr.* 432. 435. 442. 499
Neander *Mich.* 496
Neitzſchitz *Chriſtoph.* 213
Nelſon *Rob.* 104
Nerreter *Dav.* 136
Neuton *Adam.* 273
Nicolai *Henr.* 513. *Io.* 359. 360. 390
Nicolaus *Laur.* 121
Nicomachus 258. 259
Nihuſius *Bartold.* 297. 326
Nilus 536
Nizzachon vetus 348
Noribergenſis Senatus 145. theologi 95

O

Obadias de Bartenora 335. 336
Ochinus *Bernardin.* 148
Odelem *Io. Phil.* 183. 184. 185
Olearius *Io.* 129. *Io. Chriſt.* 249. *Io. Gottlieb* 463. 466. *Io. Gottfr.* 463. 465
Omeis *Magnus Daniel* 492
Onus eccleſiæ 368
Opitius *Paul. Frid.* 358
Oppechinus *Heimbert.* 281
Orem *Nicol.* 157
Oſiander *Andr.* 79. *Luc.* 79. 92

P

Pagi *Ant.* 254. *Fran.* 255
Palatini theologi 126
Pallavicinus *Sfortia* 277
Paminger *Sophon.* 287. 288
Pancirolus *Guid.* 473. 496. *Pet. Paul.* 41
Panicarola *Fran.* 132
Panvinius *Onuphr.* 203. 239
Paracelſus *Phil. Ant. Theophr.* 31. 32
Pareus *Dav.* 74. 79
Paruta *Paul.* 538
Paſchalicus *Pet.* 483
Paſor *Georg.* 11
Paſtorius *Ioach.* 434
Patricius *Fran.* 496. 497
Patzmann *Pet.* 79
Pauli *Chriſtian.* 44. *Theodor.* 141
Paulus *Mar.* 233. 236
Pelargus *Chriſtoph.* 79
Petri *Frid.* 113. 114
Petrus Ruſſor. Imp. 191
Peuſchel *Ioach.* 55
Peyrerius *Iſ.* 258. 267
Pfaff *Chriſtoph. Matth.* 6
Pfeffinger *Io.* 79

Pflugh

Pflugh *Iul.* 123.500
Piccartus *Mich.* 223. 428. 509
Pignorius *Laur.* 381. 496
Pinto *Ferd. Mendez* 212
Pipping *Henr.* 502. 504
Piſanus *Fran.* 483
Piſcator *Io.* 18. 19. 28
Piſtorius *Io.* 89. 131
Platzius *Conr. Wolfg.* 79
Plempius *Fob. Fort.* 508
C. Plinius Secundus 384. 386
Poiret *Pet.* 522
Pomarius *Sam.* 366
Pomere *Henr.* 67
Pontanus *Io. Iſ.* 214
Portum *Iac.* 49
Preuſſius *Io.* 65
Pricæus *Io.* in Addendis.
Prætotius 41
Procopius 237. 238
Pufendorf *Sam.* 9. 185. 260
Puhler *Laurent.* 288

Q

Quenſtedt *Io. Andr.* 456. 459
Quorlius *Phil.* 277

R

Raabe *Chriſtoph.* 158. 159
Ranzovius *Henr.* 436
Ratz *Iac.* 90
Ravenſperger *Herm.* 49. 54
Rauff 133
Ravius *Chriſtian.* 507. 508
Regiomontani theologi 136
Rehtmeyer *Phil. Iul.* 292. 293
Reihing *Iac.* 153
Reineccius *Reiner.* 233. 234. 392
Reiſer *Ant.* 489. 490
Rem *Georg.* 223
Remonſtrantes 23. 27. 28
Rempen *Io.* 312. 313
Rennemann *Henning.* 541. 542
Reutlingenſes theologi 79
Rhemus *Laurent.* 136
Rhenferd *Iac.* 361. 362
Rhodius *Io.* 383
Rhodomannus *Laur.* 297
Rhonæus *Eric.* 114
Richter *Chriſtoph.* 146. *Dan.* 526. *Georg.* 436. 444. 511
Rink *Euchar. Gottl.* 242. 244
Rinthelienſes theologi 41
Riolanus *Io.* 134
Rittershuſius *Conr.* 169. 223. *Nicol.* 169
Rivander *Zach.* 79
Rixner *Henr.* 364. 366
Rœber *Paul.* 527
Rœtenbeck *Mich.* 225. 226
Rœveſtrunck *Io. Wilh.* 115
Roſt *Georg.* 33. 49
Roſtochienſes theologi 127. 185.
ICti 186
Roſwitha 296
Rubenius *Alb.* 251. 252. 376
Rudecker *Io.* 33
Rudinger *Io.* 121
Rudolphus Auguſtus D. B. & L. 99. 100
Ruef *Georg.* 136

Ruhe *Chriſtian. Frid.* 252. 253
Ruizius *Mich.* 169
Rusbroch *Io.* 67. 68. 70
Rutilius *Bernhardin.* 468. 469

S

Saccus *Sigfr.* 79
Sacheverell *Henr.* 159. 160
Sagittarius *Caſp.* 99. 240. 244. 320. 374. *Io. Chriſtfrid* 500. 506
de Salligniaco *Barthol.* 202
Salmaſius *Cl.* 397. 536
Samſon *Herm.* 121
Sanchez *Fran.* 267
Sander *Io.* 207. 208
Sandius *Chriſtoph.* 62. 64. fil. 57. 62. 64. 333
Santevermontius 195
Sarpius *Paul.* 227. 273. 275
Saubertus *Io.* filius 157. 340-344
Saur *Abr.* 215. 216
du Sauſſay *Andr.* 454. 455
Saxo. v. Chronographus
Saxonici theologi 79
Scaliger *Ioſ.* 334
Schadius *Io. Caſp.* 146
Schecht *Val.* 130
Scheffer *Io.* 434
Scheffler *Io.* 465
Scheibler *Chriſt.* 532. 534
Schelgvig *Sam.* 106
Scherbius *Phil.* 509. 510. 512
Schildius *Io.* 224
Schlegel *Chriſtian.* 250. 257. 505
Schmeizel *Mart.* 253. 254
Schmid *Io.* 151. *Io. Andr.* 251. 257. 293. 296. 320. 374. 495. 499. 502. 523. *Sebaſt.* 335. 336. 337
Schmidelius *Io.* 185
Schneider *Io. Conr.* 41
Schnell *Io.* 324
Schnepf *Theodor.* 79
Schomer *Iuſt. Chriſt.* 331. 332. 333.
Scioppius *Caſp.* 79. 431
Schopp *Andr.* 93
Schottus *Fran.* 496. 498. *Gaſpar* 531
Schramm *Io. Maurit.* 232. *Ion. Conrad.* in Addendis
von Schrœdern 9
Schubart *Georg.* 230
Schulenburg *Alex.* 208
Schumacher *Henr. Aug.* 478
Schupp *Io. Balth.* 526
Schurtzfleiſch *Conr. Sam.* 397. *Henr. Leonard.* 254. 255. 397
Schutz *Io.* 79. 138
Schwanhauſer *Io.* 470. 471
Schweigger *Salom.* 211
Schwenckfeld *Caſp.* 39
Seelen *Io. Henr.* 467
Seidel *Andr. Er.* 249
Seldius *Io. Georg.* 78
Selneccer *Nic.* 129
Sennertus *Andr.* 206. 506
Serarius *Pet.* 47. *Nic.* 79
Sibelius *Caſp.* 165. 166
Siber *Vrb. Godofr.* 470. 479. 480
Sigfrid *Thom.* 92. 93
Sigonius *Car.* 359. 360

Simon *Io.* 102
Slichting *Ion.* 65
Smalcius *Valent.* 20.49.54
Smid *Melch.* 508.509.527
Smiglecius *Mart.* 49.50.51.54
Smith *Thom.* 232
Smoutius *Adr.* 30
Snell v. Schnell
Sociniani 20
Soner *Ern.* 509.511.513
Sonnemann *Diet.God.* 313
Sonntag *Chriſtoph.* 160
Spanhemius *Frid.* fil. 269.270
Spangenberg *Cyr.* 309. *Io.* 160
Spener *Phil. Iac.* 96. 102. 142
Spencer *Io.* 103
Spey *Ratbg.* 335
Sphalentianus *Greg.* 227
Spinoſa *Bened.* 61.230
Spizelius *Theoph.* 487
Sprecher *Io. Died.* 329.330
Stapletonus *Thom.* 153
Starovolſcius *Sim.* 491.492
Stegmann *Ioach.* iun. 59
Stella *Io.* 279.489.501
Stendelius *Chriſtoph.* 130
Stenger *Io. Melch.* 267
Stephanus *Henr.* 11
Stercky *Ier.* 7
Stifel *Mich.* 502
Stigliz *Chriſtoph. Lud.* 141
Stiller *Caſp.* 119.120
Stœcken *Ger.* 460
Stozius *Io.* 277
Stralſundenſes theologi 185
Straub *Io. Georg.* 11
Strauch *Aegid.* 87.95.96
Street *Thom.* 519
Streſon *Caſp.* 166
Strigelius *Victorin.* 127
Strimeſius *Sam.* 328
Struckhuſen *Iac.* 171
Struve *Burcard. Gotth.* 502.503. *Georg. Adam* 542.543
Stubelius *Andr.* in Addendis
Stuckius *Io. Rudolph.* 327.328
Sturmius *Io.* 431. 439. *Io. Chriſt.* 531.532
Surenhuſen *Guil.* 10
Surius *Laur.* 67
Swartepaerd *Adrian.* 58

T

Tabor *Io. Otto* 87
Tanner *Adam* 126, 127, 131. 134. 136
Tauler *Io.* 41.70.173
Taylor *Ierem.* 83.85
Tentzel *Wilh. Ernest.* 311
Theobaldus *Zachar.* 246.540
Thevenot *Nic. Melchiſed.* 213
Thomaſius *Chriſtian.* 143.144
Thomaſonus *Luc. Ant.* 436
Thyleſius *Ant.* 375
Toldos Ieſchu 348
Tomaſinus *Iac. Phil.* 381.382.383. 445.484.496
Treuer *Gottlieb Sam.* 8.522
Tribonianus 194
Triller *Dan. Wilh.* 538
Trinckhuſen *Georg.* 172

Troſtius *Mart.* 206
Truchſes *Erbard.* Comes 267
Tſchirnhaus *Ehrenfr. Walth.* 516. 517
Tubingenſes theologi 79
Turneminus *Ren. Ioſ.* 249
Turre *Philippus* 388. 389
Turrianus *Auguſtinus* 126

V

Vaëck *Alard.* 535
Valens *Io.* 249
Valentia *Greg.* 153
Valentinus *Baſil.* 32
Valerius *Auguſtin.* 482. 483
Vallemontius *Lud.* 249
Vaninus *Iul. Caſ.* 232
Varro *M. Terent.* 384. 385
Vaſtovius *Io.* 528
Vbelmann *Io.* 166
Vecerius *Conr.* 233. 235
Vergerius *Pet. Paul.* 383
Victor *Ierem.* 151
Vilitz *Io.* 39. 40
Villavicentio *Laurent.* 132. 133
Vincentius Bellovac. 233. 236
Vitoduranus. v. Ioannes
Vitringa *Campeg.* 358
Viva *Iſaac* 354. 357
Vives *Lud.* 431
Vogelius *Io.* 55
Vogler *Val. Henr.* 395
Volckmar *Georg.* 157
Volkelius *Io.* 48. 49
Vorſtius *Conr.* 14. 19. *Guil. Henr.* 337
Voſſius *Gerh. Io.* 432. 433. *Iſaac.* 66 *Dionyſ.* 339
Vrſinus *Fulv.* 496. *Ioan. Henr.* 43. *Zachar.* 131
Vulpius *Io.* 247
Vulſonius 204

W

Wagenſeil *Io. Chriſt.* 346. 348
Wagner *Rud. Chriſtian.* 510. *Tob.* 224
Walachriani paſtores 27
Waldner *Wolfgang* 42
Walm *Henr.* 88
Wayen *Io.* 480
Weber *Gottfr.* 315
Wecker *Iac.* 119
Wegleiter *Chriſtoph.* 160
Weigelius *Valent.* 163
Weinreich *Io.* 115
Weiſe *Chriſtian.* 476. *Frid.* 161
Weller *Hier.* 79
Welmer *Io.* 9. 10. 144
Welper *Eberh.* 519
Wels *Iuſtinian.* 45
Wendler *Io. Chriſt.* 480
Werner *Andr.* 218. 219. *Sam.* 315. 316
Werthern *Io. Frid.* 161
Weſtphalus *Ioach.* 148
Wigandus *Io.* 67. 79
Wild *Io.* 211
Wilkius *Io.* 519

Willich

Willich *Iod.* 118
Winckelmann *Ioan. Iuſt.* 115. 116. 187
Winther *Iuſt.* 89
Wirtemberg. v. Würtenberg.
Wiſſowatius *Andr.* 62. 64
Witte *Henr.* 398. 408
Witteberg. theologi 96. 185. ICti 186
Wittich *Chriſtoph.* 64
Wolfius *Io. Ioach.* 147
Wolzogen *Io. Lud.* 55
Wormius *Olaus* 204. 205
Wulfer *Dan.* 137. *Io.* 352. 353. 354
Wurtenberg. theologi 79. 123. 126

Z

Zeæmann *Georg.* 135
Zehner *Ioach.* 79
Zeidler *Io. Gottfr.* 144. *Melch.* 136
Zeltner *Guſt. Georg.* 470
Zenck *Aeg. Ad.* 136
Zevi *Salom.* 354. 356
Ziegler *Caſp.* 542
Zierold *Io. Wilh.* 106
Zilger *Io. Chriſtoph.* 136
Zimmermann *Matthias* 200. 369
Zornius *Pet.* 303
Zucchelli *Ant.* 308
Zwicker *Dan.* 56. 57. 58. 59.
Zwittinger. v. Czwittinger

INDEX
Anonymorum & Pſeudonymorum.

ABominatio quakeriſtica 44
Althuſius *Theodor.* 201
Anonymus *Chriſtianus* 184
Arcuarius *Daphnæus* 3
Barksdatius *Clem.* 460
Borromæus *Heyden.* 138
C. B. 460
Cautio criminalis erga magos & ſagas 178
Celſus *Minus* 59
Chorban bes hamicdaſch 340
Chriſtianus Laicus. v. Laicus
Chronicon hieroſolym. 233
Cingallus *Herm.* 64
Clemens *Iuſtinian.* 144
Compendium Socinianismi 20
Cruce *Lothar. Maria* 303
Daphnæus Arcuarius. v. Arcuarius
Dernhævus *Ianus* 327
Diſſertatio de Cœna, an ſemper communicandum per ſymbola? 21
Eques polonus 65
Erschhein 268
Gailfinck *Theodor.* 143
Galenus *Innocent.* 41
Germanus *Alethophilus* 60
Holſatiæ Chronicon. v. Vetus
I. B. 201

Ieſu Chriſto *Io.* 46
Irenicus Philaletha. v. Philaletha
Irenophilus *Chriſtian.* 182
Krato *M.* 6
Laicus *Chriſtianus* 104
Logotheta *Iſidor. Chariſ.* 105
Lypſia *Thom.* 303
Mirabilis 209.210
Monte wolgeratenſi *Lucius* 94
Nizzachon 348
Nicolaides *Theophilus* 50
Nuntius pacis 10
Orthophilus *Chriſtm.* 463
Pacificus Verinus. v. Verinus
Pandiſius *Pet. Paul.* 41
Philaletha *Irenicus* 104
Placentius de Verona. v. Verona
Prætorius *Elias* 35
Quplius *Porphil.* 277
Reuchlinus *Andr.* 50
Schœnbartius *Barbatius* 94
Sicurus *Dorotheus* 371
Sincerus. v. Veridicus
Severus *Victorinus* 185
Sophron 64
Stellis *Grat. Amand.* 37
Sylvanus *Iac.* 131
Theologus teutonicus 42
Theophilus *Chriſtian.* 56
Varna *Baſil.* 134
Vellanolus *Mart.* 118
Veridicus *Sincerus* 489
Verinus *Pacificus* 104
Verona *Placentius* 103
Vetus Chronicon Holſatiæ 237
Vigil *Chriſtian.* 60
Wahrenbergius *Sincer.* 60

ADDENDA.

Ad Partis V. pag. 181. lin. 25.

Notandum quoque, Reſponſa non iis hic numeris reperiri, quibus eorum auctores p. 26. apud celeberrimum Thomaſium expreſſi ſunt: placuit enim ei, auctores adducere ſecundum litteras initiales nominum, quibus illi gaudent. De Reſponſis autem ita habendum. Primum p. 26. eſſe *Calvoerii*. Secundum p. 29. *Bebmii*; cuius etiam eſt Iudicium p. 87. Tertium p. 35. *Hardtii*. Quartum p. 38. *Wideburgii*. Quintum p. 40. *Fabricii*. Sextum p. 43. *Weiſii*. Septimum p. 50. *Niemeieri*. Octavum p. 58. *Schmidtii*. Nonum p. 60. *Spechtii*. Decimum p. 80. *Rechenbergii*.

Ad Partis I. pag. 273.

Ioannes *Muſaeus*, longopratenſis ex ditione Schwarzenburgica, Georg. *Grosbaynii*, atque in academia erfurtina *Meyfarti* & *Zapfii*, in

in ienenſi autem *S ahlii*, Io. *Maioris*, *Gerhardi*, *Himmelii*, *Glaſſii* & *Dilherri* diſcipulus, atque in hoc poſtremo loco primum Hiſtoriarum & Poëſeos, deinde S. theol. profeſſor & doctor, ac tandem primus in ordine theologico, totiusque Academiæ Senior, annis propemodum 39. voce docuit, ſcriptisque variis editis (inter quæ ſunt Vindiciæ pro diſquiſitione de ſtilo N. T. adverſus M. Iacobi *Groſſii* Defenſionem Triadis tertiam, Liber de uſu principiorum rationis & philoſophiæ in in controverſiis theologicis contra Nic. *Vedelium*, multæque Diſſertationes) veritatem purioris religionis a perverſis aliorum, ut Pontificiorum, Reformatorum, Ed. *Herberti*, *Spinoſæ*, & Theoph. *Alethæi*, ſententiis tutatus eſt, ea meritorum amplitudine, quam excelſi in Rep. chriſtiana homines admirantur, & optimi quique ſuis momentis æſtimant. Biennio ante obitum hemiplexia correptus eſt, eademque alio tempore recurrit, donec apoplexia ſequeretur A. 1681. quæ ſuavi placidaque morte virum optimum in meliorem ſtatum tranſtulit, cum in terris vixiſſet annos 68. *Witte* Memor theol. p. 2069. Hadr. *Beier* Syllab. Rector. ac Profeſſ. ienenſ. 492. *Baillet* in Anti T. II. 88. *Zeumer* in Vitis theol. ienenſ. 168. *Acta erudit.* A. 1712. 230. *Moller* de homon. 797. C. M. *Pfaff* Inſtit. theol. dogmat. 79. *Hiſt. noſtra bibliothec.* P. IV. 311.

Ad pag. 326.

Io. *Pricæus*, anglus, confectis pluribus itineribus adiit Florentiam, ibique patriam Reformatorum religionem permutavit romano-catholica. Scriptis eius hic memoratis addendæ ſunt Annotationes in Pſalmos, nec non in *Apuleii* Apologiam & Metamorphoſin, item in Epp. *Plinii* iunioris. In adverſis fuit conſtans, magnamque eruditionis famam conſecutus, in ſenectute obiit Romæ A. 1676. *Voetio* in Politiæ eccleſ. lib. III. ſect. 2. c. 2. dicitur eximius & plurimæ lectionis philologus; Alex. *Moro* in Notis in Ep. ad Phil. 1, 21. optimus & eruditionis exactiſſimæ, & *Colomeſio* p. 463. vir ſtupendæ eruditionis, magnique iudicii. Præclaro etiam elogio eum effert Pet. *Axenius* apud Crenium Animadv. philol. P. III. 130. & plures alii, quos *Colomeſius* nominat l. c. At *Clericus* tamen T. I. de la Biblioth. choiſ. p. 145. annumerat eum illis ſcriptoribus, qui nimis ſunt verboſi in ſuis Annotationibus, & clara æque

explicare laborant, atque obſcura & difficilia. Hiſce adde *Sarravium* Epp. p. 150. 162. 173.

Ad Partis II. pag. 518. lin. 18.

Chriſtophorus *Eberhart*, natus Calthen-Nordhemii Comitatus hennebergici in Franconia; *Reyheri*, *Scheurlii*, *Schraderi*, *Brenneccii*, *Hombergii*, Conr. *Horneii* & Georg. *Calixti* diſcipulus, philoſophiæ magiſter, ac poſtea profeſſor hiſtoriarum in academia Iulia, Hiſtoriam edidit turcicam, & Librum de genealogiis Principum Germaniæ; aliaque erudita monumenta publicaſſet, ſi per infirmam valetudinem, qua ab ineunte ætate afflictus fuit, & inſecutam mortem licuiſſet. Egregium autem eius induſtriæ monumentum eſt Hiſtoria celebrati feſti ſæcularis academiæ Juliæ, quam ut ex decreto Senatus academici in ſe ſuſcepit, ita ultimam ei manum paucis ante fatalem morbum diebus feliciter impoſuit. Vir erat pius, pacis & concordiæ amans, luxuriæ & ſuperbiæ oſor, ſuaque contentus ſorte, & gravis nemini, atque illuc, ubi nullus dolor, nulla adverſitas, ivit anno Chriſti 1678. ætatis 58. Vide *Programma* in funere eius poſitum.

Ad Partis III. pag. 269. lin. 12.

Andreas *Stübelius*, dresdenſis, natus anno 1653. maximum vitæ ſuæ ſpatium emenſus eſt Lipſiæ, tanquam in altera patria: nam abſoluto ſtudiorum academicorum curriculo, & impetratis honoribus magiſterii in philoſophia, ſicut & poſtea primis in theologia, quæ baccalaureatus nomen habent, a Patronis vocatus eſt ad labores ſcholaſticos ad ædem S. Nicolai, ac poſt biennium promotus ad conrectoratum ſcholæ Thomanæ. Atque in hoc pulvere, non ſine fructu & emolumento tironum, ſe ſe exercuit XIII. annos, in eoque adhuc hæreret, niſi anno 1697. a die 4. Febr. uſque ad diem 25. eiusdem menſis gravioribus & mirabilibus prorſus afflictionibus in ſchola tentationis ſubactus, ſubſtitutum admittere, eique lampada tradere debuiſſet. De ſcriptis ſuis ipſe A. 1698. publicavit Catalogum, cuius particula legitur in *Narrat. innoc.* A. 1707. p. 435. eique addi poſſunt ſequentia, quorum alia ſunt theologica: ut, Reſponſio ad Epiſtolam Achaſiæ *Chaſidai*, Epiſtola ad D. *Spenerum* de obitu D. Io. Bened. *Carpzovii*, Gratulato-

ria

ria ad D. Ittigium & D. Seligmannum, Schediaſma de magna eclipſi ſolari A. 1699. Collatio de falſis prophetis cum M. *Rotthio*, Colloquium cum Nuntio apoſtolico A. 1700. Prognoſtica de fatis eccleſiæ & termino mundi, Expoſitio parvi cornu ex Dan. 7, 8. 20. 24. Expoſitio X. Regum, Dan. 7. & Apoc. 17. alia ad rem litterariam & ſcholaſticam pertinentia: ut, Diſſertatio academica de Excerptis adornandis: Mart. *Zeileri* Hungaria completa, Corn. *Nepos* Buchnerianus recognitus cum Phraſeologia germanico-latina & Clave chronologica, Hebraiſmus, Latiniſmus, & Græciſmus in nuce, *Buchneri* Poëmata cum Præfatione & Indice ſingulari inſtar Lexici poëtici, Corn. *Nepos*, & Q. *Curtius* ad modum Io. *Minellii*, Baſilii *Fabri* Theſaurus eruditionis ſcholaſticæ Indice germanico-latino inſtructus, & bis locupletatus, Ioach. *Zehneri* Sententiæ inſigniores recognitæ, & libro IV. auctæ. In pangendis carminibus, tam latinis quam germanicis, nec non in arte ad eccleſiam dicendi, egregiis ſe facultatibus, etiam cum adhuc diſcentium numero adſcriptus eſſet, inſtructum oſtendebat; ideoque CL. Ioach. *Fellerus*, de utroque, ſi quis alius, optime iudicare valens, dicere ſolebat: *Stubelium bonum eſſe poëtam, & bonum prophetam.* Sed cum ſe poſtea controverſiis immiſceret theologicis, & polemicis ſuis ſcriptis publice editis pugnas illas adverſus verum chriſtianiſmum, & infeliciſſimas theologorum concertationes, pio quidem affectu, ſopire vellet, laterem ſe lavare, æthiopemque dealbare expertus eſt, adverſarios nactus Val. *Alberti*, *Rotthium*, *Bucherum*, Aug. *Pfeifferum*, *Nungeſſerum*, & alios.

Ad Partis IV. pag. 82. lin. 30.

Ionas Conradus *Schramm*, natus Brunsvici A. 1675. philoſ. ac theol. doctor, huiusque nunc ordinarius, illius extraordinarius profeſſor, utraque in cathedra induſtrius ac bene merens, publicavit *Abarbanelis* Diſcurſum de Saulis αυτοχειρια & fatis extremis, cum verſione latina & notis, Diſſertationem de cœlo heroum glorioſo, qua doctrina de apotheoſi Gentilium illuſtratur, Epiſtolam de legibus moſaicis, & aliam de circulo rationis intra naturam, Orationem de concordia philoſophica, & varias Diſputationes, nec non Programmata in philoſophicis & theologicis, Memoriamque Aſcanii Chriſtoph. Lib. Bar. *a Marenholz*.

CORRIGENDA IN PARTE V.

Pag. 13. lin. 2. coniunctum 14. 10. unquam 96. 26. talem 143. 24. KILIANI, Brücka-thuringus, paſtor gluckſtadianus - - appellatus, edidit Poſtillam ſacramentariam polyglottam, obiitque anno 1669. ætatis 47. 144. 6. I. V. doctor 148. 4 illas 210. 33 vixiſſet 51. 249. 22. Mich. Ang. 304. 15 *Remeccio* 384. 35 Moder. 510. 10. & 15 (Lipſiæ) 560. 26 Secundum p. 29. non *Behmii*, qui affirmantem tenuit ad utramque quæſtionem, ſed alius cuiusdam, nobis ignoti.

IN PARTE I.

Pag. 276. lin. 10 ſed præcipue 482. 8. col. 1 *Corderius* Balth. 80. 83. lin. 17 *Cruciger* - - 434. 483. 24. col. 1 *Garnerius* - - 148. 150.

IN PARTE II.

Pag. 139. lin. 21 e pago Normandiæ 194. 1. col. 2 Vid. Io. G. *Olear.* 235. 11 Philippi p. 193. lin. 33 C. I. *Blumius*, hildesheimenſis, - - & conſiſtorialis, ex æde ſacra, ubi confeſſiones audiverat, domum reverſus, poſt 3. horarum ſpatium in muſeo ſuo animam Deo reddidit A. 1712. æt. 58. *Rehtmeyer* Supplem. Partis IV. Hiſt. eccl. brunſvic. 258.

IN PARTE III.

Pag. 136. lin. 10 De morali 274. 26 Io. Frid. *Gronovii* 300. 24 Rime 316. 7 Franco-Gallia 348. 16 prædictæ 367. 31 Evangeliorum 376. 17 *Modeto* 440. 7 ſummæ in patria, atque apud exteros, lin. 10 ſcripſit etiam Relationem de ſtatu, viribus, & aliis rebus Imperii germanici, aliamque de Regno Galliæ, & Epiſtolam ad abbatem Fran. de Tallemant, ne quid de MSStis dicam, & ad plures abiit lin. 31. Michaël *Foſcarenus* 536. col. 1 Blum *Chriſtoph. Iac.* 533. col. 2 Caſa *Io.* 79. duo autem ſeqq. numeri deleantur.

IN PARTE IV.

Pag. 3. lin. 12 FOSCARENVS 14. 31. A. 1692 42. 2 concionatoris 75. 26 paſtorem tremonienſem 81. 14 & linguarum orientalium profeſſor 110. 24 neocæſarienſem, conſecratus 159. 37 de mortuo inferendo, & 204. 12 *Cotoni* 220. 3. Georg. Chriſtoph. Ferdin. *a Raſewitz* lin. 24 ſervavit 327. 2 conſilio 334. 10. col. 2 Georg *Calixtus* in h. l. 359. 24. Wittebergenſes, auctore D. Calovio, opponunt Antapologiam 379. 17 & cui ſacro in munere 409. 26 ſcivit 418. 7 poſt hæc præpoſitus lin. 9. & ſacræ doctor ac profeſſor 424. 29 eamque 457. 28 qui tamen eſt Merſeburgum, 483. 12 Reſponſionem 487. 5 Chriſtiano *Langio* lin. 11. deleantur hæc verba: Ad extremum notandum, Hodegetæ huic Io Guſtavum *Reinbeckium* A. 1719. oppoſuiſſe tractatum de Redemtione per lytron. 531. 15 deleantur verba ultima 532. col. 1 Bœhmer *Iuſt. Henn.* 161. 162 Bremenſes paſtores 504 Breithaupt *Ioach. Iuſt.* 116. Brunnemann *Io.* 158. 159 534. 18 col. 2 deleantur 541. 11. deleantur lin. 13 Schiller *El.* 292. 294 lin. 14 Schilter *Io.* 119. 137. 162. lin. 32 Scultetus *Abr.* 514. 542. 24 col. 2 Vincentius lerinenſis lin. 34 Voet *Gisbert.* 543. 30 Ziegler *Caſpar* 136. 156.

FINIS.

9234823 A

93964493

Digitized by Google

